NOVISSIMVS COLLEGII COMPLVTENSIS FR. DISCALCEATORVM B. M. V. DE MONTE CARMELI,

ARTIVM CVRSVS,

Ad breuiorem formam collectus, & nouo ordine, atque faciliori ſtylo diſpoſitus.

Per R. P. F. IOANN. AB ANNVNTIATIONE
in Salmanticenſi eiuſdem Ordinis Collegio ſacræ Theologiæ Lectorem.

Complectens octo libros Phyſicorum Ariſtotelis, juxta miram Angel. Doct. D. THOMAE, doctrinam.

CVM PRIVILEGIO.



PATAVII, MDCLXXV.

Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopolæ.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

Diſputationum, & Quæſtionum, quæ in hoc Phyſic. Tractatu continentur.

DISPVTATIO I.
Prooemialis totius Philoſophiæ. 1
QVÆST. I. *De Obiecto Philoſophiæ. col.1.* 2
II. *An Philoſophia ſit ſcientia vera, & vna in ſpecie, atque Metaphyſicæ ſubalternata, col.2.* 3
III. *De fine, & partitione Philoſophiæ. col.2.* 4

LIBER PRIMVS.
Phyſicorum. 6

DISPVTATIO II.
De principijs entis naturalis in communi. ibid.
QVÆST. I. *Quæ ſit eſſentia primorum principiorum entis naturalis. col.1.* ibid.
II. *Quot ſint principia entis naturalis. col.2.* 7
III. *An principia entis naturalis ſint contraria, & prima contraria. col.1.* 9

DISPVTATIO III.
De materia prima. 10
QVæſt.I. *An ſit, & quid ſit materia prima. col.1.* ib.
II. *An materia prima ſit potentia pura, & nullum includens actum. col.1.* 11
III. *An materia prima habeat vnitatem ſpecif.c.1.* 13
IV. *Vtrum materia prima habeat ex ſe propriam exiſtentiam. col. 1.* 15
V. *An materia prima poſſit per diuinam potentiam exiſtere ſine forma. col.2.* 17
VI. *Vtrum materia prima ſit ingenerabilis, & incorruptibilis. col.1.* 19
VII. *De appetitu materiæ ad formas. col.1.* 20
VIII. *An materia ſit prima radix corruptionis. col.2.* 21

DISPVTATIO IV.
De forma ſubſtantiali. 22
QVæſt. I. *An ſit, & quid ſit forma ſubſt. col.1.* 23
II. *An forma ſubſt. educatur de pot. mat. col.2.* ib.
III. *Vtrum formæ cælorum, & elementorum fuerint eductæ. col.2.* 25
IV. *An formæ accidentales educantur de potentia ſubiecti. col.1.* 28
V. *Vtrum poſſint plures formæ ſubſtantiales informare eandem materiam, & vna plures materias. col.1.* 30

DISPVTATIO V.
De priuatione. 32
QVæſt. vnica. *Quam conuenientiam habeat priuatio cum materia, & forma in ratione principij generationis. col. 1.* ibid.

DISPVTATIO VI.
De compoſito. 33
QVæſt. I. *Vtrum ens naturale conſtituatur eſſentialiter ex materia, & forma. col.1.* ibid.
II. *Vtrum materia, & forma vniantur aliquo nexu ab eis diſtincto, col.2.* 35
III. *An vnio nectens materiam, & formam ſit vna, vel duplex. col.1.* 38
IV. *An ens naturale diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis. col.1.* 40

LIBER SECVNDVS.
Phyſicorum. 12

DISPVTATIO VII.
De natura. ibid.
QVæſt. I. *Quid ſit natura? col.1.* ibid.
II. *An materia prima, & forma materialis ſint natura. col.1.* 45
III. *An anima rationalis ſit natura. col.1.* 47
IV. *Qualiter natura dicatur de mat. & forma. col.1.* 49
V. *De diſtinctione inter naturam, & artem. col.2.* ibid.

DISPVTATIO VIII.
De cauſis in communi. 50
QVæſt.I. *Quid, & quotuplex ſit cauſa. col.1.* 51
II. *Vtrũ omnis cauſa ſit prior ſuo effectu. col.2.* 52
III. *An omnis cauſa ſit perfectior ſuo effectu. col.1.* 54

DISPVTATIO IX.
De cauſis materiali, & formali. 56
QVæſt. I. *Per quid materia, & forma cauſent. col. 1.* ibid.
II. *An vnio materiæ, & formæ ſecundum omnia, quæ dicit, ſit cauſalitas illarum. col.1.* 57
III. *Vtrum effectus primarij harum cauſarum diſtinguantur realiter ab illis?* 58
IV. *Vtrum idæa, ſiue exemplar ſit vera cauſa formalis. col.1.* 60

DISPVTATIO X.
De cauſa efficiente. 62
QVæſt. I. *Quid, & quotuplex ſit cauſa efficiens. col. 1.* ibid.
II. *Vtrum ſubſtantia creata ſit cauſa efficiens immediatè operatiua. col.2.* 63
III. *Quomodo accidens concurrat ad productionem ſubſtantiæ. col.2.* 66
IV. *Vtrum, vt accidens producat ſubſtantiam, indigeat ſpeciali influxu ſubſtantiæ, cuius eſt virtus. col.1.* 69
V. *Qualiter paſſiones dimanent ab eſſentia, col.1.* 72
VI. *Vtrum accidens producat principaliter aliud accidens ſibi ſimile. col.1.* 7
VII. *Quæ ſit cauſalitas cauſæ efficientis. col.2.* 75

DISPVTATIO XI.
De modo, quo cauſa prima concurrit ad operationes cauſæ ſecundæ, & neceſſariæ. 76
QVæſt. I. *An cauſa ſecunda poſſit operari ſine actuali, & ſimultaneo concurſu Dei. col.1.* 77
II. *An cauſæ ſecundæ indigeant præuio concurſu Dei, quo applicentur ad operandum. col.1.* 78

DISPVTATIO XII.
De inſtrumentis. 82
QVæſt. I. *An inſtrumentum debeat moueri à cauſa principali. col.1.* ibid.
II. *An ſit de ratione inſtrumenti habere virtutem ſibi propriam, & actionem præuiam. col.2.* 85

DISPVTATIO XIII.
De caſu, fortuna, & fato. 89
QVæſt. I. *Quid ſint, & an ſint fortuna, & caſus. col.1.* ibid.
II. *Quid ſit, & an ſit fatum. col.2.* 90

DISPVTATIO XIV.
De cauſa finali. 91
QVæſt. I. *An finis ſit vera cauſa realis. col.1* ibid.
II. *Per quid finis conſtituatur in actu primo ad finalizandum. col.1.* 93
III. *Quidnam ſit cauſalitas finis. col.1.* 95

DISPVTATIO XV.
De cauſis ad inuicem comparatis. 97
QVæſt. I. *De Perfectione cauſarum. col.1.* ibid.

II. Vtrum

II. *Vtrum vna cauſa ſit prior alia in cauſando. col. 2.* 98
III. *An vnus, & idem effectus poſſit ſimul produci à duabus cauſis totalibus, & eiuſdem ordinis. col. 1.* 100
IV. *An idem effectus poſſit fieri diuiſim à pluribus cauſis totatilibus. col. 2.* 102

DISPVTATIO XVI.
De eſſentia motus in communi. 105
QVæſt. I. *An definitio motus tradita ab Ariſtot. ſit recta. col. 1.* ibid.
II. *Quod ſit definitum in definitione motus. col. 1.* 107
III. *An motus diſtinguatur realiter à termino ad quem. col. 2.* 108
IV. *Vtrum omnis motus ſubiectetur in mobili. col. 2.* 109

DISPVTATIO XVII.
De actione, & paſſione, tam inter ſe, quam cum motu comparatis. 110
QVæſt. I. *An motus ſit gradus ſuperior ad actionem, & paſſionem; an verò illarum ſubiectum quo. col. 1.* 111
II. *Qualis diſtinctio ſit inter actionem, & paſſionem, & motum. col. 1.* 113
III. *Quod ſit ſubiectum actionis tranſeuntis. col. 2.* 114

DISPVTATIO XVIII.
De infinito. 117
QVæſt. I. *Vtrum poſſit naturaliter dari infinitum in actu. col. 1.* ibid.
II. *An poſſit dari per potentiam Dei abſolutam creatura infinita ſecundum eſſentiam. col. 1.* 119
III. *An data quacumque creatura, poſſit Deus aliam, & aliam, perfectiorem ſecundum ſpeciem producere, col. 2.* 120
IV. *An ſit poſſibile infinitum in actu ſecundum magnitudinem. col. 1.* 122
V. *An poſſit dari multitudo infinita in actu. col. 1.* 123
VI. *An ſit poſſibile infinitũ ſecundũ intenſionẽ. col. 2.* 124
VII. *Vtrũ vnum infinitũ poſſit eſſe maius alio. col. 1.* 126

DISPVTATIO XIX.
De loco. 128
QVæſt. I. *An ſit, & quid ſit locus. col. 1.* ibid.
II. *An immobilis ſit de ratione loci. col. 1.* 130
III. *Quæ ſuperficies conſtituat locum; & an ſit genus reſpectu illius. col. 1.* 132
IV. *An locus naturalis addat ſupra naturam loci qualitatem conſeruatiuam locati. col. 2.* 133
V. *Vtrum omnia entia naturalia ſint in loco. col. 1.* 134
VI. *Vtrum duo corpora poſſint diuinitus eſſe in eodem loco. col. 2.* 136
VII. *Vtrum idem corpus poſſit ſupernaturaliter eſſe circumſcriptiuè in duobus locis. col. 2.* 138

DISPVTATIO XX.
De vacuo. 142
QVæſt. I. *Vtrum ſit poſſibile dari vacuum in natura. col. 1.* ibid.
II. *An corpus moueretur per vacuum, & eius motus fieret in inſtanti. col. 1.* 143

DISPVTATIO XXI.
De tempore. 144
QVæſt. I. *An ſit, & quid ſit tempus. col. 1.* ibid.
II. *Vtrũ ſit tantum vnũ numero tempus. col. 1.* 146
III. *An tempus, & motus realiter diſtinguãtur. col. 1.* 147
IV. *An tempus exiſtat ſolùm ratione inſtãtis. col. 2.* 148
V. *Vnde ſit deſumenda differentia eſſentialis inter tempus, æternitatem, & æuum. col. 2.* 150
VI. *An ſubſtantiæ generabiles, & corruptibiles ſecundum ſuum eſſe menſurentur tempore. col. 2.* 152

DISPVTATIO XXII.
De vnitate, diſtinctione, & contrarietate motus. 155
QVæſt. I. *Ad quæ prædicamenta detur per ſe motus. col. 1.* ibid.
II. *A quo ſumat motus vnitatem ſpecificam. col. 1.* 159
III. *Quid ſufficiat, & requiratur ad vnitatem numericam motus. col. 1.* 161
IV. *Vnde contrarietas motuum deſumatur. col. 2.* ibid.
V. *An idem mobile valeat ſimul moueri motibus contrarijs. col. 1.* 162

DISPVTATIO XXIII.
De compoſitione continui. 163
QVæſt. I. *An dentur in continuo indiuiſibilia terminatiua, & continuatiua. col. 1.* ibid.
II. *An continuum componatur ex ſolis indiuiſibilibus. col. 1.* 165
III. *An partes continui ſint finitæ, vel infinitæ. col. 2.* 167

DISPVTATIO XXIV.
De modo inceptionis, & deſitionis rerum. 170
QVæſt. I. *Quomodo incipiant, & deſinant res ſucceſſiuæ? col. 1.* 171
II. *De modo inceptionis, & deſitionis rerum, quæ fiunt, & deſinunt per motum. col. 2.* 172
III. *Qualiter ſubſtantiæ generabiles, & corruptibiles incipiant, ac deſinant? col. 1.* 174
IV. *Quomodo incipiant, & deſinant entia, quæ in ſuo fieri non dependent à motu. col. 1.* 175

DISPVTATIO XXV.
De termino rerum naturalium. 176
QVæſt. I. *Vtrum ſicut viuentia, ita & non viuentia habeant ex natura ſua terminum magnitudinis. col. 1.* ibid.
II. *Vtrum ſicut viuentia, ita & non viuentia habeant terminos ſuæ paruitatis. col. 1.* 178

DISPVTATIO XXVI.
De conditionibus ad agendum. 180
QVæſt. I. *An idem, & ſecundum idem poſſit ſeipſum per ſe primò mouere. col. 1.* ibid.
II. *An grauia, & leuia moueantur localiter à generante, vel à ſe ipſis. col. 1.* 182
III. *Vtrum cauſa efficiens debeat coniungi paſſo, vt in illud agat. col. 2.* 183

LIBER TERTIVS,
Phyſicorum.

DISPVTATIO XXVII.
De æternitate mundi, ac de primo eius motore. 186
QVæſt. I. *Vtrum mundus fuerit conditus ab æterno. col. 1.* ibid.
II. *Vtrum mundus cum concurſu Dei ordinario valeat durare in æternum. col. 2.* 187
III. *Vtrum aliqua creatura permanens potuerit eſſe ab æterno. col. 2.* 188
IV. *Vtrum valeant motus, & tempus eſſe ab æterno. col. 2.* 190
V. *Vtrum generationes, & corruptiones ſubſtantiales potuerint per diuinam potentiam eſſe ab æterno. col. 1.* 193
VI. *Quomodo ex motu deueniamus in notitiam vnius primi motoris. col. 2.* 194

Digitized by Google

COLLEGII COMPLVTENSIS FR. DISCALCEATORVM B. M. V. DE MONTE CARMELI, ARTIVM CVRSVS.

PHYSICA.

DISPVTATIO I.

PROŒMIALIS TOTIVS PHILOSOPHIÆ.

PHILOSOPHIÆ nomen, propriè loquendo ſolùm ſignificat amorem, & ſtudium ſapientiæ; vſu tamen Doctorum pro ipſa ſapientia communiter vſurpatur. Nam cùm Pythagoras interrogatus à Leontio Phlyaſiorum rege, quam ſcientiam profiteretur? modeſtè reſpondiſſet, ſe non eſſe ſophum, hoc eſt ſapientem; ſed philoſophum, id eſt, ſapientiæ amatorem: adeò eius dictum placuit, vt ex tunc alij ſapientes philoſophi fuerint appellati, vt tradit D. Thom. 1. Metaph. lect. 2. Quare ſicut ſapientia, ita etiam Philoſophia multipliciter accipitur. In primis enim ſumitur pro collectione omnium ſcientiarum, eo planè modo, quo Iuſtitia ſolet denotare vniuerſitatem virtutum. Qua ratione definita eſt à Stoicis, eſſe rerum humanarum, & diuinarum cognitionem: appellaturquè ſcientia entis, & veritatis cognitio: & ſolet in ſcientiam naturalem, moralem, & rationalem tripartiri. Deinde ſtrictiùs accipitur pro ſolis illis habitibus, qui nudæ veritatis contemplationi inſiſtunt; & ſic ſumpta diuiſa eſt ab Ariſtot. 6. Metaph. cap. 1. in Metaphyſicam, Mathematicam, & Philoſophiam naturalem, iuxta tres abſtractiones à materia, quas expoſuimus in libris Poſteriorum. Vltimò vſurpatur duntaxàt pro ſcientia, quæ ſubſtantijs rerum cognoſcendis vacat: quo pacto complectitur Metaphyſicam, quæ contemplationi nobiliſſimarum ſubſtantiarum incumbit, & ideò primæ Philoſophiæ inſignitur titulo: atque Philoſophiam naturalem, quæ ſubſtantias corporeas contemplatur, & nomen commune Philoſophiæ ex communi Auctorum acceptione, iam diù ſibi vendicauit. Et Philoſophia hoc poſteriori modo ſumpta ſpectat ad præſens inſtitutum, & de illa exindè ſermò nobis erit.

Digitized by Google

QVÆSTIO I.

De obiecto Philoſophiæ.

MEritò ab hac quæſtione præſentem diſputationem ordimur, quia cuiuſuis habitus quidditas deſumenda eſt, per habitudinem ad proprium obiectum, tanquam ad propriam menſuram, & ſpecificatiuum: quod proinde debet ante alia certò præfigi, vt in alijs, quæ ad habitum pertinent, poſſimus maiori cum claritate procedere. Ad intelligentiam autem eorum, quæ nunc dicemus, recolenda ſunt ea, quæ in Logica ſtatuimus circa diſtinctionem obiecti materialis, & formalis, adæquati, & inadæquati, principalis, & minus principalis, rationis *qua*, & *ſub qua*: quibus ſuppoſitis haud difficilis erit huius dubij reſolutio.

§. I.

Defenditur D. Thomæ Sententia.

1 PRiuſquàm concluſionem ſtatuamus, breuitèr prænotare oportet, quod nomine *entis mobilis* (de quo præſens difficultas præcipuè procedit) intelligitur id, quod habet in ſe primam radicem motus ſtrictè dicti: quod re ipſa coincidit cum corpore de prædicamento ſubſtantiæ, ſiue ex materia, & forma eſſentialiter conſtituto. Huiuſmodi enim corpus dicitur propriè ens mobile: quia poteſt eſſe ſubiectum, & principium primum motus intrinſeci, & phyſici, vt *infrà* latiùs conſtabit. Vndè à ratione entis mobilis propriè accepti excluduntur, tùm accidentia, tùm Angeli: illa quidem, quia nequeunt eſſe primum ſubiectum motus: iſti verò, quia ſicut æquiuocè dicuntur eſſe in loco, ſic etiam dicuntur æquiuocè moueri, vt oſtendit D. Thom. 1. *par. q.* 52. & 53.

Ens autem mobile appellatur etiam *ſubſtantia naturalis*, & coincidit re ipſa cum illa: quia ly *naturalis* adiunctum ſubſtantiæ, non ſignificat rationem oppoſitam enti ſupernaturali: qua ratione *ſubſtantia naturalis* ambit omnem ſubſtantiam creatam, etiam ſpiritualem. Sed ſumitur ex communi acceptione Doctorum pro ſubſtantia habente in ſe principium motus, & quietis, ſiue pro ſubſtantia compoſita ex materia, & forma, quæ dicuntur natura, vt dicemus *lib.* 2. huius Operis. Quo pacto idem eſt *ſubſtantia naturalis*, ac *ens*, vel *corpus mobile*; vt ſatis ex ſe liquet. His ſuppoſitis,

2 Dicendum eſt primò, quod loquendo de obiecto Philoſophiæ ſecundum rem, tàm corpus mobile, aut naturale, quàm ens, vel ſubſtantia mobilis, aut naturalis, conuenientèr aſſignatur. Hæc aſſertio eſt communis inter Doctores, & probatur primò ab auctoritate: quoniam Ariſtot. docet aliquandò obiectum Philoſophiæ eſſe ens mobile, vt *6. Metaph. text.* 1. aliquandò verò eſſe corpus naturale, vt *1. de Cœlo text.* 1. aliquandò autem eſſe ſubſtantiam naturalem vt, *loco cit. ex 6. Metaph.* & idem videre eſt apud D. Thom. pluribus in locis, quæ paſſim lector offendet: ergo omnia, quæ in aſſertione recenſuimus, ſunt re ipſa idem. Patet conſequentia: nam alias Philoſophus, & D. Thom. inconſequentiæ, atque inconſtantiæ arguerentur; ſiquidem modo vnum, & modo aliud determinant eſſe obiectum Philoſophiæ. Quod etiam ſatis apparet ratione deſumpta ex his, quæ prælibauimus: nam *naturale*, & *mobile* ſignificant corpus habens in ſe naturam, ſiue primum principium motus: ſed idem ſignificatur per ens, vel ſubſtantiam naturalem, aut mobilem: ergo hæc omnia idem re ipſa ſunt; ac proinde, loquendo de obiecto quoad rem ſignificatam, nihil refert, quod vnum, vel alterum aſſignetur. Minor liquet: quia differentia inferior addita rationi ſuperiori reſtringit illam ad ſupponendum pro conſtituto per differentiam, & ideò idem ſignificatur per ens rationale, ac per animal rationale: ergo quamuis ens, & ſubſtantia latiùs pateant quàm corpus; nihilominùs, vt determinantur per ly *mobile* aut *naturale* pro eodem ſupponunt.

Id verò, quod tot, & diuerſis nominibus inſignitur, eſſe obiectum *quod* adæquatum, ſiue rationem *qua* Philoſophiæ, ſic oſtenditur: nam conueniunt illi tres conditiones obiecti attributionis, quas in Logica *diſp.* 1. *q.* 2. ſtatuimus: ergo eſt proprium, & adæquatum obiectum Philoſophiæ. Conſequentia patet ex ibidem dictis: antecedens autem ſuadetur: quia in primis ens mobile continet omnia, de quibus Phyſicus tractat; vt aliqualitèr ad ſe referibilia, ſunt enim, vel ſpecies, vel principia, vel effectus entis mobilis, vt conſtabit diſcurrenti per ſingula. Deinde præcipua in Philoſophia cura eſt circa prædicti entis cognitionem, vt apparebit ex proceſſu iſtius operis, cuius omnes quæſtiones ad perfectam dicti obiecti notitiam ordinantur. Denique Philoſophia vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam ab eo mutuatur: vt conſtat ex dictis in Logica *diſp.* 19. *q.* 4. Nulla igitur conditio propria obiecti attributionis deficit *enti mobili* (quod etiam eſt *ens*, & *ſubſtantia naturalis*) reſpectu Philoſophiæ.

3 Dicendum eſt ſecundò, attentis omnibus, conuenientiùs ſignificari obiectum Philoſophiæ nomine *entis mobilis*, quam quouis alio. Hanc concluſionem defendunt communiter Thomiſtæ, & meritò: quia traditur ab Angelico Doct. in proœmio huius Operis *lect.* 1. his verbis: *Hic autem eſt liber Phyſicorum, cuius obiectum eſt ens mobile ſimpliciter. Non dico autem corpus mobile: quia omne mobile eſſe corpus, probatur in hoc libro: nulla autem ſcientia probat ſuum obiectum.* Idem docet *6. Metaph. lect.* 1. *& opuſc.* 42. *cap.* 4.

Ex quibus depromitur hæc ratio: quia obiectum Philoſophiæ debet eſſe principium *quod*, & radicale motus: ergo id conuenientiùs dicitur Philoſophiæ obiectum, cui abſque vlla dubitatione, vel controuerſia conuenit ratio talis principij: ſed hæc competit enti, & non alijs: ergo conuenientiſſimè aſſeritur ens mobile pro obiecto Philoſophiæ. Suadetur, & explicatur minor: quoniam dubitari poteſt, an omne principium motus phyſici debeat neceſſariò eſſe corpus, & id probatur ipſis libris Phyſicorum; cum tamen citra omnem controuerſiam ſit debere eſſe ens. Similiter non eſt ita exploratum, an natura ſit principium motus, & ideò oſtenditur *in* 2. *Phyſic.* ergo eſſe principium motus conuenit certiſſimè enti; ſecus verò alijs. ¶ Accedit ratio D. Thom. quia nulla ſcientia probat ſuum obiectum: ſed omne mobile eſſe corpus, vel ſubſtantiam naturalem probatur in Philoſophia: ergo non ita congruè deſignatur pro eius obiecto corpus mobile, aut ſubſtantia naturalis; ſed magis ens mobile.

4 Obijcies primò: differentia meliùs adiungitur generi proximo, quam gradui ſuperiori: meliùs enim explicatur homo per animal rationale, quam per ens rationale: ergo obiectum Philoſophiæ aptiùs explicatur per ſubſtantiam mobilem, quam per ens mobile; ſiquidem ſubſtantia eſt genus proximum, quod per *mobile* contrahitur. ¶ Reſpondetur, antecedens eſſe verum ſecundum ſe, & cæteris paribus: in præſenti autem non ſunt cætera paria, vt patet ex dictis: quare neganda eſt conſequentia.

Obijcies

Digitized by Google

Obijcies ſecundò: quamuis mobilitas vtcumque prius conueniat enti, quam corpori; mobilitas tamen phyſica, quæ ſola reſpicitur per ſe à Philoſophia, vnicè conuenit corpori: nihil enim poteſt moueri phyſicè, niſi corpus: ergo obiectum Philoſophiæ conuenientiùs explicatur per corpus mobile, quàm per ens mobile. ¶ Reſpondetur, quod licèt motus phyſicus perfectè cognitus nequeat alijs, quam corpori attribui: nihilominùs perfecta notitia ipſius motus pendet ex cognitione naturæ, & corporis: quæ non eſt adeò euidens eſſe mobilia, ſicut omne mobile eſſe ens: & idcircò ens mobile pro obiecto Philoſophiæ aptiùs deſignamus.

5 Dicendum eſt tertiò, obiectum principale Philoſophiæ eſſe hominem. Probatur concluſio; quia ex obiectis inadæquatis alicuius habitus illud dicitur principaliùs, quod alijs in dignitate precellit: ſed inter obiecta inadæquata Philoſophiæ nobiliſſima ſpecies eſt homo: ergo ſe habet, vt obiectum principale, cuius proindè notitia aliorum cognitioni præfertur.

6 Vltimò aſſerendum eſt, rationem *ſub qua* genericam huius habitus eſſe abſtractionem à materia ſingulari; ſpecificam verò eſſe prima principia, ex quibus procedit. Hæc aſſertio ſuppoſitis his, quæ diximus in Logica *diſp.* 19. *qu.* 4. ſatis ſuperquè conſtat: quare in ea ſuadenda non immoramur. Solùm obſeruandum eſt, prima principia propria Philoſophię eſſe materiam, & formam, ſiue rationem naturæ, quę in vtraque inuenitur, & eſt ipſa mobilitas radicalis. Quibus omnibus non poſſumus nunc maiorem lucem afferre; cùm hęc dependeat omninò ex ijs, quę infra latè dicenda ſunt.

§. II.

Proponitur duplex opinio contraria.

7 B. Albertus M. *tractatu* 1. ſuę Philoſophię, & alij, quos refert Rubio in pręſenti, defendunt obiectum formale Philoſophię eſſe corpus mobile; non verò ens mobile. Quorum placitum poteſt ſuaderi: quia illud eſt obiectum *quod* alicuius habitus, cui ratio *ſub qua* talis habitus conuenit per ſe primò, & immediatè: ſed mobilitas radicalis, quę eſt ratio *ſub qua* reſpectu Philoſophię, conuenit per ſe primò, & immediatè corpori mobili, non verò enti mobili: ergo illud eſt obiectum *quod* Philoſophię, non autem hoc poſteriùs. Minor conſtat: quia ideò ens mouetur, quia corpus mouetur: ergo mobilitas radicalis non conuenit immediatè enti, ſed corpori.

Reſpondetur negando minorem: quia licèt mobilitas radicalis conueniat enti ratione corporis, enti tamen mobili conuenit omninò immediatè, & ratione ſui: eò quod ſecundum rem idem eſt ens mobile, ac corpus mobile: quia differentia inferior iuncta conceptui vniuerſali trahit illum ad ſtandum pro gradu inferiori, quem ipſa conſtituit, vt ſupra diximus in prima concluſione.

Sed replicabis: quoniam mobilitas radicalis, quę eſt ratio *ſub qua* Philoſophię, meliùs explicatur per corpus, quam per ens mobile; ſiquidem plura ſunt entia mobilia, & non motu phyſico, vt Angeli: ergo aptiùs exprimitur obiectum *quod* Philoſophię per corpus mobile, quam per ens mobile.

Huic replicę ſatis conſtat ex dictis: quia *mobile* in pręſenti non ſupponit pro eo, quod poteſt moueri vtcumquè, quo pacto conuenit ſubſtantijs ſpiritualibus; ſed ſtat pro principio motus phyſici, ſiue naturalis, qua ratione in ſolis corporibus inuenitur. Sed quia certum eſt, omne mobile eſſe ens, & non eſt ita exploratum, quod ſit corpus, cùm hoc demonſtretur in ipſa Philoſophia: idcircò aſſerimus obiectum huius ſcientię nomine entis mobilis aptiùs deſignari.

8 Secunda opinio tenet, ſubſtantiam naturalem eſſe obiectum Philoſophię. Sic Scotus, & alij relati à Maſio in pręſenti. Probatur primò ex Ariſtot. 6. *Metaph. cap.* 1. vbi inquit, Philoſophiam naturalem verſari circa ſubſtantiam naturalem. ¶ Ad hoc tamen facilè occurritur: nam Philoſophus loquitur de obiecto ſecundum rem, quod libenter concedimus eſſe ſubſtantiam naturalem, vt liquet ex prima noſtra aſſertione.

Deindè arguitur ratione: quoniam illud eſt obiectum adęquatum ſcientię, quod radicat omnes paſſiones, quas de obiecto ſcientia demonſtrat: ſed paſſiones, quas Philoſophia probat de ſuo obiecto, conueniunt ſubſtantię naturali, ſecus verò enti mobili: ergo &c. Minor quoad primam partem ſatis liquet: nam paſſiones, quas Phyſicus demonſtrat, ſunt motus, & quies, quarum radix eſt ſubſtantia naturalis; cùm habeat in ſe naturam, quę definitur eſſe principium motus, & quietis. Secunda pars etiam probatur: quia idem nequit radicare paſſiones oppoſitas; ſed ens mobile eſt principium motus: ergo non eſt principium quietis.

Reſpondetur negando minorem quoad ſecundam partem: quoniam ens mobile eſt idem re ipſa cum ſubſtantia naturali: & ideò quod conuenit vni, debet etiã, ſecundum rem, alteri conuenire. Et probatio inducta nullius roboris eſt: nam mobile radicaliter poteſt etiam eſſe radicaliter quieſcibile; atque ideò principium motus, & quietis: ſicut idem homo, qui eſt radicaliter riſibilis, eſt ſimul flebilis per modum radicis; quamuis ad actus flendi, atque ridendi dentur diſtinctæ potentiæ proximæ.

9 Tandem arguitur: quia in obiectis aſſignandis debet omnis æquiuocatio vitari; cùm ex eorum poſitione ſcientiarum notitia dependeat: atqui ens mobile non parum æquiuocationi ſubiectum eſt: ergo minùs congruè deſignatur pro obiecto Philoſophiæ. Probatur minor: quia ens mobile poteſt ſumi, vel pro ente mobili radicaliter, vel pro ente mobili formaliter, & per conſequens ſtat æquiuocè.

Reſpondetur negando minorem: nam cùm ens mobile aſſignatur pro obiecto Philoſophiæ, tam ex communi vſu Doctorum ly *mobile* vſurpatur pro mobili radicaliter: quod ſatis eſt ad æquiuocationem vitandam. Eadem autem, imò maior æquiuocatio latet in *ſubſtantia naturali*: quoniam *naturale* aliquando ſumitur, prout eſt idem ac eſſentiale: ſæpè verò vſurpatur, vt diſtinguitur contra liberum: & non ſemel accipitur pro eo, quod non eſt violentum: interdum autem, vt opponitur ſupernaturali. Vndè, attentis omnibus, congruentiùs deſignamus pro obiecto Philoſophiæ ens mobile, quàm ſubſtantiam naturalem.

QVÆSTIO II.

An Philoſophia ſit ſcientia vera, & vna in ſpecie, atque Metaphyſicæ ſubalternata.

AB hac quæſtione breuitèr nos expediemus, quia eius reſolutio conſtat maiori ex parte ex ijs, quæ in Logica *diſp.* 19. *quæſt.* 4. ſtabiliuimus: quibus ſuppoſitis.

10 Dicendum eſt primò, Philoſophiam eſſe veram ſcientiam: Sic Ariſtot. 6. *Metaph. cap.* 1. & *lib.* 11. *cap.* 6. vbi etiam D. Thom. *lect.* 7. Ratio eſt ſatis perſpicua

Digitized by Google

quia ſcire eſt rem per ſuam cauſam cognoſcere ex Ariſtot. 1. *Poſter. cap.* 11. ſed in Philoſophia plura cognoſcuntur per ſuam cauſam, vt cùm oſtendimus, mixta eſſe corruptibilia, quia conſtant ex contrarijs, & terram eſſe grauem propter denſitatem, & multitudinem materiæ, &c. ergo Philoſophia eſt vera ſcientia.

Obijcies: ſcientia agit de rebus neceſſarijs, & perpetuis: ſed Philoſophia tractat de rebus ſubiectis mutationi; ergo non eſt ſcientia. ¶ Reſpondetur, ſcientiam non verſari circa ſuum obiectum, vt ſtat ſub exercitio exiſtendi, qua ratione eſt contingens; ſed reſpicit illud ſecundum ſuam eſſentiam acceptum, quo pacto fundat propoſitiones æternæ veritatis. Et ita contingit in Philoſophia: quia non minùs neceſſarium, & infallibile eſt, plures res naturales, quas Phyſicus ſpeculatur, eſſe mutabiles, & corruptibiles, quam Angelum eſſe incorruptibilem.

11 Dicendum eſt ſecundò, Philoſophiam eſſe ſcientiam ſpeculatiuam. Ita Philoſophus, & D. Thom. *in locis citat.* Probatur; quia ille habitus, cuius proprius finis eſt veritatis cognitio, eſt ſpeculativus, vt diximus *in Log. diſp.* 1. *quæſt.* 6. ſed finis Philoſophiæ naturalis eſt veritatis cognitio; ergo eſt ſcientia ſpeculatiua. Minor liquet; nam Philoſophus non ordinat contemplationem rerum ad opus, ſed in ea ſiſtit, & quieſcit.

Sed obijcies primò: Philoſophia agit de Deo, vt auctore naturæ, & de eius attributis: ſed per huiuſmodi notitiam excitatur voluntas ad amorem Dei; ergo Philoſophia eſt practica. Probatur conſequentia; nam habitus excitans, & dirigens ad opus debet inter practicos numerari. ¶ Reſpondetur, Philoſophiam non contemplari Deum, ad excitandum illum affectum; ſed duntaxat, vt aſſequatur veram notitiam illius, quatenus auctor naturæ eſt. Quocirca talis affectus eſt præter intentionem huius ſcientiæ, atque ideò inſufficiens ad eam conſtituendam in eſse practicæ.

12 Secundò obijcies: Medicina eſt vera pars Philoſophiæ: & tamen eſt ſcientia practica; ergo Philoſophia adæquatè accepta nequit eſse ſpeculatiua. Maior probatur; quia Medicina agit de quodam ente naturali, videlicet de corpore humano, vt eſt mobile ad ſanitatem; ergo eſt pars Philoſophiæ, quæ verſatur circa ens naturale. Minor etiam conſtat, tum ex Ariſtot. *6. Metaph.* tùm quia finis Medicinæ eſt opus, nimirùm reſtitutio ſanitatis.

Reſpondetur ex D. Thom. *opuſc.* 70. *q.* 5. *art.* 1. *ad* 4. *& ad* 5. negando maiorem; quoniam licet idem materialiter homo, qui eſt obiectum Medicinæ, ſit etiam pars entis naturalis, quod contemplatur Philoſophia; nihilominùs non attingitur ſub eadem ratione formali ab vtroque habitu: quia Philoſophus attingit hominem, quatenus eſt ens naturale, ſiue mobile à natura: ſub qua ratione non reſpicitur à Medico; ſed quatenùs per artem eſt mobile ad ſanitatem: quæ rationes ſunt valdè diuerſæ, ac ſubindè ſufficientes ad ſpecificandum diſtinctos habitus. Accedit, hominem, vt ſanabilem per artem non eſse partem ſubiectiuam entis naturalis vt ſic; quod requirebatur, vt Medicina eſset pars ſubiectiua Philoſophiæ: ſed tantùm addere differentiam accidentalem obiecto Philoſophiæ, ſcilicet ſanabilitatem per artem. Quare ſicut Perſpectiua, cuius obiectum, nempè linea viſualis, addit differentiam accidentalem lineæ ſecundum ſe, quæ eſt obiectum Geometriæ; non eſt pars huius ſcientiæ; ſed alius habitus longè diuerſus, quamuis ei ſubalternatus; ſic Medicina non eſt pars Philoſophiæ, ſed diſtincta ſcientia, illi tamen ſubalternata: quia ex concluſionibus Philoſophiæ procedit Medicus, vt proprias de ſuo obiecto paſſiones demonſtret.

Replicabis; vnitas ſpecifica ſcientiæ ſumitur ex vnitate principiorum, quandò ſcilicet, deriuantur ex alijs, vel ex alterutris intra eandem abſtractionem à materia; ſed principia Medicinæ deriuantur à principijs Philoſophiæ intra eandem abſtractionem à materia; cùm vtriuſque obiectum à ſola materia ſingulari præſcindat: ergo Medicina non eſt ſcientia adæquatè à Philoſophia diſtincta; ſed quædam illius pars ſubiectiua.

Reſpondetur, maiorem verificari, quandò vtraque ſcientia eſt ſpeculatiua: ſecùs verò, ſi vna ſit practica: tunc enim diſtinguuntur pluſquam duæ ſcientiæ ſpeculatiuæ. Et ratio eſt: nam differentia, quæ ſumitur ex fine per ſe intento, & ad quem ſcientia per ſe ordinatur eſt valdè vniuerſalis, & conſequenter potens refundere in habitus diuerſitatem, nedum ſpecificam, verùm etiam genericam. Finis autem ſcientiæ ſpeculatiuæ eſt recta cognitio proprij obiecti: finis verò ſcientiæ practicæ eſt opus: quare licèt principia vnius deriuentur ex principijs alterius, & contineantur intra eandem abſtractionem, nequeunt non eſsentialiter diſtingui. Et hoc pacto ſe habent Philoſophia, & Medicina, quæ proindè diſtinguuntur, vt duo habitus adæquatè diuerſi: ex quibus vnus alteri ſubalternatur. Vbi obſerua, Medicinam communiter diuidi in theoricam, & practicam: quod non ideò eſt, quia aliqua pars Medicinæ ſit ſimpliciter ſpeculatiua; ſed quia illa minus, quàm aliæ partes approximatur curationi. Videatur Angel. Doctor *opuſc. citato.*

13 Dicendum eſt tertiò, Philoſophiam, vt comprehendit libros Phyſicorum, de Generatione, de Anima, & parua naturalia eſſe vnam ſcientiam in ſpecie infima. Fundamentum ſumitur ex dictis *in lib. Poſterior.* quoniam vnitas ſpecifica ſcientiarum attenditur penès rationem *ſub qua* proprij obiecti; ſed omnia de quibus in diuerſis libris diſſerit Philoſophus, cadunt ſub eadem indiuiſibili ratione *ſub qua*, nempè ſub mobilitate radicali; ergo Philoſophia eſt vnicus habitus in ſpecie infima.

14 Dicendum eſt vltimò, Philoſophiam non eſſe ſcientiam propriè ſubalternatam Metaphyſicæ. Hanc aſſertionem ſtatuimus in Logica *diſput.* 19. *quæſt.* 1. quoniam ſcientia propriè ſubalternata eſt illa, cuius obiectum addit differentiam accidentalem obiecto ſubalternantis, ex quo fit, ſubalternatam non poſſe probare ſuas concluſiones, niſi dependenter à ſubalternante: atqui obiectum Philoſophiæ addit differentiam eſſentialem obiecto Metaphyſicæ, & illa oſtendit ſuas concluſiones independenter ab illa; ergo Philoſophia nequit ſubalternari rigoroſè Metaphyſicæ: ſed ſolum impropriè, quatenùs ens mobile, quod eſt obiectum Philoſophiæ, eſt pars ſubiectiua entis, quod Metaphyſica contemplatur.

Ex hactenùs dictis, poſſumus colligere eſſentialem definitionem Philoſophiæ, quæ eſt hæc: *Philoſophia eſt ſcientia entis mobilis.* Circa quam, quia ſatis ex ſe patet, nihil addendum occurrit præter ea, quæ diximus in Logica *diſp.* 1. *quæſt.* 5. quo remittimus lectorem.

QVÆSTIO III.

De fine, & partitione Philoſophiæ.

15 SI de fine Philoſophiæ, atque omnibus ſcientijs communi loquamur, certum eſt conſiſtere in perfectione, ſiue rectitudine intellectus circa verum, quod eſt proprium obiectum illius. Finis autem particularis Philoſophiæ eſt contemplatio, & recta cognitio entis mobilis. Quod ſatis conſtat, tum ex his, quæ diximus in Logica, tum ex ſe: quoniam finis ſcientiæ ſpeculatiuæ eſt rectitudo cognitionis circa proprium obiectum;

Digitized by Google

ctum: Philoſophia autem eſt ſcientia ſpeculatiua, vt ſtatuimus *num.* 11. ergo. Accedit, Philoſophiam non eſſe ſcientiam ancillarem, ſed principalem: quæ proindè non debet ordinari ad finem alterius ſcientiæ; ſed perfectioni circa proprium obiectum per ſe primò inuigilat.

Circa partitionem Philoſophiæ obſeruandum eſt, ſcientiam diuidendam eſſe, ſicut obiectum, de quo tractat, vt docet Ariſtot. 3. *de Anima*, *textu* 38. Ens autem mobile, quod eſt Philoſophiæ obiectum, poteſt multipliciter ſumi. Primò ſecundum ſe, non deſcendendo ad aliquam particularem ſpeciem. Secundò prout diuiditur in corpus ingenerabile, nempè cœlum, & in corpus generabile, nimirùm ſublunare. Porrò ſublunare partitur in ſimplex, quod eſt elementum; & in mixtum, quod videlicet ex elementis componitur. Rurſus mixtum diuiditur in mixtum imperfectum, qualia ſunt nix, & grando; & in mixtum perfectum: quod iterum bipartitur in mixtum perfectum inanimatum, vt aurum v.g. & in mixtum animatum, vt homo, & equus.

16 Igitur de ente naturali ſecundum ſe, & quatenus explicatur per accidentia communia omni corpori, tractat Philoſophus in octo libris Phyſicorum. In libris autem de Cœlo, huius naturam & motus ſpeculatur. Notitiam verò mixtorum omnium perfectorum, & imperfectorum, demptis animatis, in libris de generatione, & Meteororum comprehendit. Deniquè in libris de Anima inſiſtit animantium cognitioni, quæ proinde eſt nobiliſſima pars inter cœteros tractatus Philoſophiæ.

Obijcies: ens mobile in communi eſt obiectum adæquatum totius Philoſophiæ: ergo nequit pertinere ad vnam illius partem, videlicet ad octo libros Phyſicorum; ſiquidem obiectum totius habitus latiùs patet, quàm obiectum cuiuſdam partis.

Reſpondetur, ens mobile aliter pertinere ad partem Philoſophiæ, quæ complectitur libros Phyſicorum, & aliter ad totam Philoſophiam. Quoniam ad illam ſpectat, quatenùs præcisè eſt explicabile per principia communia motus, & dicit communem, & præciſum gradum ſubſtantiæ corporeæ: ad totam autem Philoſophiam pertinet, ſecundum quod complectitur, non ſolùm prædictum gradum corporis, ſed etiam omnes ſpecies illi inferiores, & explicatur per omnia principia, tùm communia, tùm ſpecialia. Vndè Philoſophus in libris Phyſicorum ſolùm exponit paſſiones entis mobilis in communi; in omnibus verò alijs libris explicat etiam paſſiones particulares, quæ conueniunt prædicto enti, prout in ſuis inferioribus inuenitur. Ex quibus ſatis apparet, non confundi obiectum adæquatum totius Philoſophiæ cum quadam portione illius.

17 Obſeruauit autem Ariſtoteles in omnibus his libris methodum compoſitionis, iuxta quam proceditur ab vniuerſalibus ad particularia: qui ordo aptiſſimus eſt ad tradendas diſciplinas, & intellectui noſtro apprimè conformis. Procedimus enim in cognoſcendo à pura potentia ad actum perfectum, ſiue à cognitione confuſa ad cognitionem diſtinctam: vndè opus eſt, quod nobis priùs occurrant ea, quæ plùs potentiæ includunt, ac proindè ſecundum ſe ſunt minùs cognoſcibilia; poſteriùs verò ea, quæ ſunt magis nota, vtpotè quæ important maiorem actualitatem. Vniuerſalia autem ſunt valdè potentialia, & confuſa; ſicut materia prima, quæ, quia eſt pura potentia, eſt ſecundum ſe ſummè ignota; particularia verò plùs participant de actu, & ſunt magis diſtincta, ſicut quia Deus eſt actus purus, ideò eſt ſummè intelligibilis. Quapropter neceſsè eſt, quod intellectus procedat ab vniuerſalibus ad minùs vniuerſalia, ſicut ab eo, quod eſt magis notum ipſi intellectui, licèt ſit minus notum ſecundum ſe, ad id quod eſt notiùs ſecundum ſe, ſed minus notum reſpectu noſtri. Propter quod oportet eandem methodum in tradendis ſcientijs obſeruare: eamquè Ariſtot. in his quę ad Philoſophiam ſpectant, amplexus eſt.

Digitized by Google

LIBER I.

PHYSICORVM.

QVEMADMODVM ſcientia, quæ ens naturale contemplatur, adæquatè accepta dicitur Philoſophia: ita ſumpta ſecundum diuerſas ſui partes, differentes denominationes ſortitur. Hi verò Phyſicorum libri, quos exponere paramus, peculiari titulo inſigniuntur: nam inſcribuntur de phyſico auditu, ſiue de naturali auſcultatione. Ariſtoteles enim duo genera librorum protulit in lucem: alterum exotericum, nempè facilioris ſtyli; ad quorum proindè intelligentiam non eſt adeò neceſſarium præceptoris ſubſidium: alterum ſubtilioris doctrinæ, & phraſis magis reconditæ; quos propterea appellauit acromaticos, ſeu auſculatorios: quia poſtulant à diſcipulis maiori cum attentione audiri, & à magiſtro profundiori ſtudio explicari. De quo videri poſſunt Plutarchus in vita Alexandri, *& Clemens Alexandrinus* lib. 5. ſtromat. *Quocircà hi octo Phyſicorum libri, cùm poſterioris generis ſint, meritò de phyſicè auditu, ſiue de naturali auſcultatione appellantur. In eorum autem expoſitione, cui deinceps inſudabimus, non libet textum Philoſophi adducere, & ſcholijs illuſtrare: cùm quia id ita præſtitit Angelicus Doctor, vt nihil in hac parte deſiderari videatur: cùm quia quidquid luce, aut diſcuſſione eget, corpori diſputationum inſeremus, retinentes vbiquè, quoad fieri poſſit, ordinem, quem Philoſophus in his libris obſeruauit.*

DISPVTATIO II.

De principijs entis naturalis in communi.

METHODVS compoſitionis, qua Ariſt. in tradenda hac ſcientia proceſſit, expoſtulat, vt priùs de principijs entis naturalis in communi acceptis inſtituamus ſermonem, & poſteà diſſeramus de eiſdem ſeorſim, & in particulari.

QVÆSTIO I.

Quæ ſit eſſentia primorum principiorum entis naturalis.

OMittimus in præſenti quæſtionem *an eſt*, & à *quid ſit* exordimur: exiſtentia enim principiorum entis naturalis eſt omninò certa; cùm experimentò conſtet, quod exiſtat ens naturale, ſiue ſubſtantia corporea. Neque procedit difficultas de quibuſuis principiis, ſed de his ſolùm, quæ ſunt ſimpliciter prima: ſiue in ordine ad *fieri* compoſiti, ſiue in ordine ad *eſſe* illius.

§. Vnicus.

Enodatio difficultatis.

1 DIcendum eſt, prima principia entis naturalis eſſe ea, *quæ nec fiunt ex alijs, neque ex alterutris; ſed omnia fiunt ex ipſis*. Hæc definitio traditur ab Ariſt. hic *cap. 5. text. 42.* & D. Thom. *ibidem lect. 10.* admititurquè communiter à Doctoribus. Cuius bonitas facilè oſtenditur: quoniam prima principia nequeunt fieri ex aliis; alioqui iam non eſsent prima: neque valent fieri ex alterutris, id eſt, ex ſe inuicem: aliàs eſsent, & non eſſent prima; nam contra rationem primi principii eſt, quod ex alio fiat, vt patet ex terminis. Rurſus de ratione principij eſt, quod ab eo aliquid procedat: & conſequenter ad eſſentiam primorum principiorum entis naturalis ſpectat, vt omnia entia naturalia fiant ex ipſis. Hoc autem explicatur ſufficienter per adductam definitionem: & aliàs nihil continet, quod redundet: ergo eſt legitima.

2 Objcies primò: quidquid conuenit rationi communi, debet etiam conuenire omnibus particularibus ſub illa contentis, iuxta illud: *Quidquid prædicatur de ſubiecto*, &c. ſed nulla ſunt prima principia in particulari, ex quibus omnia entia naturalia fiant: ergo nec primis principijs in communi acceptis competit, quod omnia fiant ex ipſis. Suadetur minor: quia ex principijs v. g. aquæ ſolùm fit aqua, & ex principijs ignis duntaxàt ignis originatur.

Reſpondetur, illam particulam, *Omnia fiunt ex ipſis* intelligendam eſſe per diſtributionem accommodam ipſis principijs: ita quod omnia entia naturalia in com-

Digitized by Google

muni conſiderata, fiant ex primis principijs eodem modo ſumptis, videlicet in communi; ex eiſdem verò contractis ad aliquod genus, vel ſpeciem fiant omnia entia naturalia illius generis, vel ſpeciei. Quod proculdubiò ſaluatur: ſiquidem ex materia, & forma abſolutè acceptis fiunt omnia entia naturalia: & ex materia, & forma ignis fit ignis; & ex materia, & forma aquæ reſultat aqua; & ſic de alijs. Et quamuis prædicata realia, quæ conueniunt rationi ſuperiori, prout abſtrahit ab inferioribus, debeant etiam cuilibet inferiori competere: non tamen oportet quod prædicatum conueniens rationi ſuperiori, prout includit omnia ſua inferiora, dicatur de quolibet particulari ſeorſim ſumpto. Hac enim de cauſa diuerſitas ſexuum, quæ conuenit naturæ humanæ in communi, minimè competit cuicumque indiuiduo v. g. Petro. Eſſe autem id, ex quo omnia entia naturalia fiunt, competit primis principijs hoc poſteriori modo conſideratis; nimirùm quatenus includunt omnia prima principia particularia. Quare opus non eſt, quod omnia entia naturalia fiant ex quolibet principio determinato, niſi iuxta diſtributionem explicatam: quatenùs ſicut ex omnibus primis principijs entis naturalis fiunt omnia entia naturalia; ſic ex talibus principijs talia entia reſultent.

3 Obijcies ſecundò: forma ſubſtantialis eſt primum principium entis naturalis: & nihilominùs fit ex alio: ergo prædicta definitio nequit adaptari omni definito. Minor liquet: quia forma materialis educitur de materia, & fit ex ſui priuatione, vt infra declarabimus.

Reſpondetur ex Ariſtot. 8. *Metaph. cap.* 1. *fieri ſimpliciter*, & vt *quod* ſolùm conuenire compoſito: cùm partes non habeant eſſe, ſed totum: fieri autem, & eſſe debent ſibi mutuò correſpondere. Quando autem in adducta definitione dicitur, quod prima principia non fiunt ex alijs, neque ex alterutris, intelligendum eſt *ſimpliciter*, & vt *quod*: eo planè ſenſu, quo entia naturalia dicuntur fieri ex ipſis. Si enim loquamur de fieri ſecundum quid, hoc eſt, cum addito, & vt *quo*, non repugnat vnum primum principium fieri ex alio: & hac ratione forma materialis fit ex materia, ſicut ex ſubiecto, & ex priuatione, ſicut ex termino *à quo*.

Tertiò obijcies: per illam particulam *ex ipſis* poſitam in definitione, vel ſignificatur habitudo partis componentis, vel habitudo termini *à quo*: primum duntaxat competit materiæ, & formæ; non verò priuationi: ſecundum autem conuenit ſoli priuationi, ſecùs autem materiæ, & formæ: ergo nequit in eodem, & vero ſenſu applicari omnibus primis principijs.

Reſpondetur, illam particulam non importare determinatè habitudinem partis, vel termini *à quo*; ſed ſolam habitudinem principij ab ijs determinatis principiandi modis præſcindentem: & ſic ſemper vſurpatur in eodem ſenſu, valetque proindè cuilibet principio adaptari. Ex quibus omnibus relinquitur perſpicuus ſenſus prædictæ definitionis; eſt namque huiuſmodi: Prima principia ſunt, quæ non fiunt ex alijs: neque ex alterutris *ſimpliciter*, & vt *quod*: omnia tamen entia naturalia, atque habentia eſſe ſimpliciter fiunt ex ipſis per diſtributionem accommodam vnicuique principio, nimirum, vel tanquam ex ſubiecto, vel tanquam ex actu dante ſpeciem, vel tanquam ex termino à quo.

4 Inquires, an Ariſtot. comprehenderit ſub adducta definitione omnia principia cuiuſcumque entis naturalis, etiam incorruptibilis, quale eſt cœlum? ¶ Reſpondetur affirmatiuè: tùm quia id ſatis indicat horum librorum inſcriptio; eſt enim de rerum omnium naturalium primis principijs. Tum, & præcipuè, quia ad eandem ſcientiam pertinet agere de eſſentia, & de proprietatibus ab ea dimanantibus, vt docet Ariſtot. *lib.* 1. *de Demonſtrat. cap.* 1. ſed in his libris (quibus aditum præſtat illa definitio) agit Philoſophus de affectionibus communibus corpori cœleſti, & ſublunari, nempè de motu, tempore, loco, &c. ergo definitum huius definitionis complectitur omnia principia cuiuſcumque entis naturalis.

Nec refert ſi cum Soto opponas, quod Ariſtot. in præſenti, *cap.* 7. *tex.* 8. dixerit principia, de quibus locutus fuerat, eſſe principia earum rerum, quæ oriuntur, & intereunt: ergo non comprehendit principia entis incorruptibilis. Maximè quia cùm cœli non fiant ex priuatione ſui (ſiquidem eorum materia non potuit eſſe ſub priuatione formæ, quam habet) ſequeretur, quod inter prima principia hic definita non comprehenderetur priuatio: hoc autem eſt contra communem ſenſum Doctorum: ergo.

Non inquam refert: quoniam licèt Ariſtot. dixerit ſe egiſſe de principijs rerum, quæ oriuntur, & intereunt; nihilominùs non aſſeruit ſe de ijs duntaxàt diſſeruiſſe; neque id aſſerere potuit, cùm ſermonem texuerit de materia, & forma: quas certum eſt eſſe principia entis naturalis incorruptibilis. Id autem, quod additur, nullius roboris eſt: quia quamuis ſub tradita definitione priuatio fuerit comprehenſa; tamen non oportet, quod omnia principia omnibus entibus conueniant, ſed alia alijs. Quare materia, forma, & priuatio ſunt prima principia, ex quibus omnia corpora ſublunaria reſultant; materia verò, & forma, priuatione ſecluſa, concurrunt ad fieri, vel potiùs ad conſtitutionem cœlorum.

QVÆSTIO II.

Quot ſint principia entis naturalis.

ENs naturale poteſt conſiderari dupliciter: nimirùm *in fieri*, & *in facto eſſe*. Primo modo acceptum importat ſui ipſius generationem, ſiue inſtantaneam mutationem, media qua reſultat: poſteriori autem modo ſumptum dicit ſe ipſum iam genitum, & ex ſuis partibus conſtitutum. Quare ad perfectiorem difficultatis reſolutionem, eam in vtroque ſenſu decidemus.

5 Dicendum eſt, principia entis naturalis *in fieri*, ſiue, quod idem eſt, principia generationis eſſe tantùm tria, videlicet materiam, formam, & priuationem. Ita Ariſtot. *in hoc lib. cap.* 7. *text.* 67. & D. Thom. *ibidem*, & *opuſc.* 31. & communiter Doctores. Probatur breuiter: nam principia intrinſeca mutationis ſunt tantùm tria, ſcilicet terminus à *quo*, terminus ad *quem*, & ſubiectum vtrique commune, cùm mutatio ſit quidam tranſitus ſubiecti à *non eſſe* ad *eſſe*, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 45. *art.* 2. *ad* 2. ſed generatio entis naturalis per ſe loquendo, ſaltem ſecundum communem rerum ordinem, eſt mutatio ſubſtantialis, media qua tranſit materia prima à *non eſſe* formæ genitæ ad *eſſe* illius: ergo tria tantùm ſunt principia generationis, ſiue entis naturalis in fieri: ex quibus materia habet rationem ſubiecti: priuatio termini à *quo*; & forma termini *ad quem*.

6 Dicendum eſt ſecundò, principia entis naturalis in *facto eſſe*, hoc eſt, principia compoſiti ſubſtantialis eſſe duo tantùm, nempè materiam, & formam. Sic docet Ariſtot. *loc. citat. text.* 66. aſſerens principia entis naturalis eſſe quodammodo duo, & quodammodo tria: nam primum verificatur, loquendo de ente naturali in *facto eſſe*; poſterius autem, loquendo de eodem in *fieri*. Ratio concluſionis eſt perſpicua: quoniam ea ſunt principia entis naturalis in facto eſſe, quæ manent tranſacta generatione, & ex quibus ipſum intrinſecè componitur.

Digitized by Google

ponitur: atqui hoc ſolùm conuenit materiæ, & formæ, vt ex ſe liquet: ergo principia entis naturalis in facto eſſe ſunt tantùm duo.

§. vnicus.

Diluuntur plura argumenta aduerſus primam aſſertionem.

Plura argumenta contra priorem concluſionem ſeſe offerunt: ex quibus alia videntur probare, quod principia generationis ſint pauciora tribus; alia autem, quod ſint plura. Quibus, vt cum maiori claritate occurramus, priùs diluemus ea, quæ ad primum genus ſpectant: deindè alia, quæ ad ſecundum pertinent, ſubijciemus, & enodare curabimus. Illud tamen ante alia obſeruandum eſt, nomine principij in præſenti non intelligi principium vtcumquè acceptum: hac enim ratione euidens eſt, principia generationis eſſe plura tribus: ſiquidem quælibet cauſa habet rationem principij; & cauſa quadruplex eſt, nempè finalis, efficiens, formalis, & materialis. Vndè tantùm loquimur de principijs generationis primis, & intrinſecis: vt magis ex ſolutione argumentorum conſtabit.

7 Arguitur primò: nam priuatio nequit eſſe principium generationis: ergo huius principia ſunt pauciora tribus. Suadetur antecedens: tùm quia de ratione principij eſt influxus in principiatum: conſtat autem priuationem non poſſe influere; cùm ſit nihil, vel ens rationis. Tùm etiam; quia principium debet coëxiſtere principiato: ſed priuatio non eſt in inſtanti generationis; ſiquidem tunc primò deſinit eſſe, adueniente forma denuò genita: ergo priuatio nequit eſſe principium generationis.

Reſpondetur negando antecedens: cuius prima probatio minimè vrget, quia licèt influxus ſit de ratione principij, quod ſimul eſt cauſa, vel pars componens; non tamen eſt de conceptu principij vniuerſaliter ſumpti. Priuatio autem exercet munus principij, non per modum partis, vel cauſæ; ſed ſolùm per modum termini à *quo*: qui concurrendi modus non enti, ſiue carentiæ reali, qualis eſt priuatio, poteſt conuenire. Per quod patet ad ſecundam probationem: quoniam quod inchoat generationem per modum termini à *quo*, non debet illi coëxiſtere; ſed potiùs ad primum illius eſſe deficere. Priuationi autem non competit alia principij ratio, niſi per modum termini à *quo*: cui proinde ſufficit, quod immediatè præceſſerit in materia.

8 Arguitur ſecundò: quia forma non eſt principium generationis: ergo. Probatur antecedens, tùm quia id, quod terminat generationem nequit eſſe illius principium; ſiquidem principium præcedit generationem, & terminus illam ſubſequitur: ſed forma eſt terminus ad *quem* generationis: ergo non eſt principium illius. Tùm præterea; nam ideò compoſitum ſubſtantiale nequit eſſe principium generationis, licèt ſit terminus præcipuè intentus, quia illam ſubſequitur, & fit per eam: ſed hoc etiam conuenit formæ materiali: ergo. Tùm deniquè, quoniam ſicut per generationem producitur forma genita, ſic etiam fit, & reſultat priuatio formæ præëxiſtentis: & tamen huic non competit ratio principij: ergo nec formæ.

Reſpondetur negando antecedens: & ad primam probationem dicendum eſt, formam eſſe principium generationis, quatenùs per ſe, & eſſentialiter inſpicitur per modum termini ſpecificatiui. Porrò quamuis terminus *ad quem* mutationis ſit poſterior ea, quoad exercitium, & in genere cauſæ efficientis, illam nihilominùs præcedit in genere cauſæ formalis, cùm illi ſpeciem transfundat. Quocircà non deeſt formæ, prioritas requiſita ad rationem principij. Vndè conſtat ad ſecundam probationem: nam compoſitum denuò genitum, licèt principaliter intendatur, non ſpecificat generationem, niſi quatenùs formam includit, & ab ea mutuatur ſpeciem, ac proindè non eſt principium, ſed principiatum. Ex quibus etiam diluitur vltima probatio: quoniam priuatio formæ præexiſtentis, quæ per generationem reſultat, non ſpecificat eam, neque intenditur per ſe; ſed fit per accidens ob incompoſſibilitatem duarum formarum in eadem materia, & ideò non valet ſortiri conditionem principii.

9 Arguitur tertiò, oſtendendo plura eſſe principia generationis, quam tria, quæ hactenùs recenſuimus: quoniam generans eſt per ſe, & eſſentialiter principium generationis: ergo hæc vendicat plura principia, quam tria. Antecedens probatur, tùm quia generatio eſt productio geniti, quæ ſine generante non valet eſſe, aut intelligi. Tùm quia generatio eſt aliquid creatum, ac proindè intrinſecè pendet ab agente. Tùm deniquè, quia generatio eſt mutatio, ad quam indiſpenſabiliter requiritur mutans.

Reſpondetur, generationem ſubſtantialem bifariàm accipi: primò pro mutatione inſtantanea, qua materia prima tranſit à non eſſe formæ ad eſſe illius: & de ea ſic ſumpta loquimur in præſenti: quia Philoſophus agit de rebus provt mutationi ſubſtant. Secundò ſumitur pro actione alteratiua, quæ prædictam mutationem inducit. Vndè ad argumentum dicimus, quod licèt generatio, vt actio, reſpiciat per ſe generans, vt ſui principium; nihilominùs vt mutatio ab hoc reſpectu, ſaltem immediato, præſcindit, cùm eius adæquata ratio conſiſtat in eo, quod ſit tranſitus materiæ à priuatione ad formam: & ſic ſolùm reſpicit generans tanquam principium remotum. Per quod patet ad primam illius antecedentis probationem. Ad ſecundam dicimus ſufficere, vt generatio in eſſe mutationis ſit quid creatum, quod ſaltem identicè, & mediatè reſpiciat agens. Ad tertiam reſpondetur, mutationem actiuam, ſiue actionem non poſſe intelligi abſque agente, quod eſt principium illius immediatum. Mutatio autem paſſiua, in qua generationis eſſentia conſiſtit, tantum reſpicit immediatè *ſubiectum*, terminum *à quo*, & terminum *ad quem*. Quare vel præcindit omninò à reſpectu ad mutans; vel illud reſpicit dumtaxat mediatè, & remotè: quod ſatis non eſt ad rigoroſam rationem principij, de quo in præſenti.

10 Quartò arguitur: nam forma præexiſtens in materia eſt verum principium generationis: ergo datur aliud principium præter ea, quæ numerauimus. Probatur antecedens: quoniam ideò priuatio eſt principium generationis, quia habet rationem termini, *à quo* progreditur generatio: ſed hoc etiam competit formæ præexiſtenti; ſiquidem materia non potuit eſſe abſque forma, & hæc per ſubſequentem excluditur: ergo. ¶ Confirmatur primò: quoniam generatio cadaueris eſt per ſe à forma viua: quoniam illius forma nequit introduci, niſi in materia prius informata forma viuentis: ergo forma præexiſtens eſt per ſe principium huius generationis. ¶ Confirmatur ſecundò: quia generatio formæ accidentalis pendet per ſe à forma accidentali præexiſtenti, vt tradit Ariſtot. *in hoc lib. cap. 5. text. 43.* ergo idem dicendum eſt de generatione ſubſtantiali.

Reſpondetur negando antecedens: quoniam licèt forma debeat præexiſtere in materia; id tamen non exigitur per ſe ad generationem. Hæc enim, cùm ſit tranſitus ſubiecti à *non eſſe* ad *eſſe*, æquè benè fieret, quantum eſt de ſe, etſi materia non præexiſteret ſub alia forma; ſed tantùm ſub priuatione formæ generandæ. Quapropter

priua-

Digitized by Google

priuatio eſt principium generationis; ſecùs verò forma præexiſtens. Requiritur tamen, quod materia fuerit ſub aliqua forma: non quidem propter conceptum generationis; ſed ob debilitatem materiæ, quæ aliter nequit exiſtere.

Ad primam confirmationem negandum eſt antecedens: nam poſſet Deus communicare materiæ formam cadauericam, etſi in ea non præceſſiſſet forma viuentis: quo tamen caſu cadauer non denominaretur mortuum, quia hæc denominatio ſumitur à forma cadauerica, non vtcumque, ſed quatenùs connotat præceſſiſſe formam viuam in materia. Ratio autem, quare forma viuentis præcedit de facto formam cadaueris, non eſt quia hæc per ſe petat fieri ex illa: ſed quoniam diſpoſitiones viuentis facilè alterantur; atque ideò, quando v. g. comburitur viuens, priùs corrumpitur, quàm ignis producat omnes diſpoſitiones requiſitas ad inducendam ſuam formam. Quare ne materia maneat abſque omni forma, inducitur per accidens forma cadaueris, vſque dùm ſubiectum diſponatur ſufficienter ad formam ignis.

Ad ſecundam confirmationem dicimus, quod forma accidentalis, quando producitur per motum, fit per ſe ex termino *à quo* poſitiuo, ſiue ab alia forma contraria: id tamen non expoſcit, cùm reſultat per inſtantaneam mutationem. Generatio autem ſubſtantialis non eſt motus, ſed mutatio: vndè ex hac inſtantia minimè labefactatur noſtra aſſertio; ſed magis robur aſſequitur.

11 Deniquè arguitur: quia ad generationem ſubſtantialem requiritur vnio inter materiam, & formam, & diſpoſitiones accidentales, quibus materia præparatur ad ſuſceptionem formæ: ergo principia generationis ſunt plura tribus.

Reſpondetur negando conſequentiam: quia vnio inter materiam, & formam eſt cauſalitas, per quam vtraque exercet munus principij: vndè non conſtituit principium diuerſum ab illis, ſed reducitur ad eas. Ob quam etiam rationem diſpoſitiones accidentales non important principium diſtinctum à materia: quia ſe tenent ex parte eius, & pertinent ad genus cauſæ materialis: & ideò vt idem principium cum materia, quam diſponunt, computantur.

Dices: priuatio etiam ſe tenet ex parte materiæ: ergo, vel non conſtituit differens principium, vel diſpoſitiones accidentales illud debent conſtituere. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: quoniam priuatio, licèt ſe teneat ex parte materiæ, non eſt cauſalitas eius, ſed habet rationem termini *à quo* reſpectu generationis. Qui modus concurrendi adeò diſtinguitur ab eo, quo materia concurrit, vt meritò conſtituat diſtinctum generationis principium. Diſpoſitiones autem accidentales non concurrunt, niſi determinando, & præparando materiam: quo circa ad illam debent reduci. Accedit, diſpoſitiones accidentales non requiri eſſentialiter ad generationem: poteſt enim intelligi, & dari diuinitùs abſque illis; at priuatio indiſpenſabiliter exigitur ad illam, vt mutatio eſt, qua ratione de ea loquimur in præſenti.

QVÆSTIO III.

An principia entis naturalis ſint contraria, & prima contraria.

TItulus quæſtionis intelligendus non eſt de contrarietate propriè ſumpta: hanc enim inter ſubſtantias minimè interuenire conſtat ex dictis in Logica. Vſurpatur ergo contrarietas in præſenti largè, & minùs propriè: qua ratione ſolùm importat incompoſſibilitatem inter aliqua, & mutuam expulſionem ab eodem ſubiecto.

12 Dicendum eſt primò, principia entis naturalis in facto eſſe, nempè materiam, & formam non eſſe contraria. Hæc aſſertio eſt communis, & facilè oſtenditur: quia contraria mutuò ſe deſtruunt: ſed forma non deſtruit materiam, neque è contra; ſed potiùs forma materiam exornat, & hæc illam recipit, & amplectitur: ergo materia, & forma non contrariantur. Vndè etiam deducitur, nullam interuenire contrarietatem inter materiam, & priuationem; ſiquidem hæc recipitur in illa, ſicut in ſubiecto ſibi connaturali.

13 Dicendum eſt ſecundò, principia entis naturalis in fieri, nimirùm formam, & priuationem, eſſe non ſolùm contraria, ſed prima contraria. Hanc concluſionem ſtatuunt Ariſtot. & D. Thom. *cap.* 5. & Doctores communiter admittunt. Prima illius pars ſatis eſt manifeſta: quia nomine contrarietatis nihil aliud intelligimus in præſenti, quàm aliquorum repugnantiam, & incompoſſibilitatem in eodem ſubiecto: ſed hæc conuenit priuationi, & formæ: ergo. Minor conſtat: nam terminus à *quo*, & terminus ad *quem* cuiuſcumque mutationis habent mutuam incompoſſibilitatem, & repugnantiam; cùm vnus excludatur per alium: conſtat autem priuationem formæ genitæ eſſe terminum à *quo* generationis; formam autem eſſe terminum ad *quem*: ergo nequeunt non gaudere contrarietate.

Secunda autem pars (quæ non ita liquidò apparet) ſic ſuadetur: quoniam principia oppoſita, quæ non fiunt ex aliis, vel ex alterutris; ſed omnia fiunt ex ipſis, ſunt prima contraria: atqui priuatio, & forma ſunt principia oppoſita, & non fiunt ex aliis, vel ex alterutris; ſed omnia fiunt ex ipſis: ergo priuatio, & forma ſunt prima contraria. Conſequentia eſt legitima: Minor liquet ex dictis, ſiquidem priuatio, & forma mutuò ſibi repugnant, & aliàs ſunt prima principia, de quorum ratione eſt, quòd non fiant ex aliis, vel ex alterutris; ſed omnia fiant ex ipſis. Maior autem ſola explicatione indiget: etenim vnumquodque fit ex ſuo contrario, vt dicitur in hoc libro, & docet D. Thom. 1. *part. quæſt.* 46. *art.* 1. *ad tertium*. Ergo prima contraria, non ſolùm habent oppoſitionem omnibus contrariis communem, ſed inſuper important, quod non fiant ex aliis, vel ex alterutris; ſed omnia fiant ex ipſis. Sicut quia de ratione principii eſt, quod aliquid fiat ex ipſo; prima principia debent eſſe, quæ non fiunt ex aliis, vel ex alterutris, ſed omnia ex ipſis fiant.

Dices: quando ex homine pallido fit cadauer pallidum, de nouo producitur pallor: & tamen non fit ex ſuo contrario: ergo falsò aſſeritur vnumquodque ex ſuo contrario produci. ¶ Reſpondetur, prædictam propoſitionem intelligendam eſſe, quando aliquid generatur, & terminat mutationem ratione ſui; ſecùs verò ſi fiat per accidens, & comproducatur ad productionem alterius. Pallor autem cadaueris non terminat motum ratione ſui; ſed comproducitur ad fieri formæ cadauericæ: vndè mirum non eſt, quod non fiat ex ſuo contrario.

14 Aduerſus ſecundam partem huius aſſertionis obijcies: quoniam illa debent eſſe prima contraria, quibus conuenit prima, & formalis contrarietas: ſed hæc reperitur inter primas qualitates v. g. inter calorem, & frigiditatem; non autem inter priuationem, & formam, vt ſatis ex ſe liquet; ergo priuatio, & forma non ſunt prima contraria.

Reſpondetur, quod nomine contrarietatis non intelligitur in præſenti contrarietas ſtrictè ſumpta, quam fatemur ſubſtantiis repugnare, & primis qualitatibus conuenire; ſed intelligenda venit repugnantia, & incom-

poſſibi-

Digitized by Google

poſſibilitas duorum in aliquo ſubiecto. Quam quia primò reperimus inter formam ſubſtantialem, & illius priuationem, idcircò aſſerimus cum Ariſtot. illa eſſe prima contraria.

Replicabis: nam in quolibet genere datur vna prima contrarietas, vt inquit Philoſophus *in hoc lib. text.* 50. *&* 56. & conſequenter in quolibet genere erunt aliqua prima contraria: ergo ſi in prædicto ſenſu, & in proprietate loquimur de primis contrarijs, iam prima contrarietas non erit propria priuationis, & formæ ſubſtantialis, ſed in alijs etiam generibus inuenietur.

Reſpondetur, Ariſtotelem loqui de oppoſitione priuatiua, quæ inter ſpecies cuiuſuis generis reperitur: quia ſpecies imperfectior comparatur ad perfectiorem, ſicut priuatio ad formam, vel habitum. Porrò hæc oppoſitio priuatiua meritò appellatur prima reſpectiuè ad alias oppoſitiones, ſiue repugnantias, quæ intra idem genus cum ipſa continentur: nam omnes aliæ contrarietates reducuntur in oppoſitionem inter priuationem, & formam, ſicut in vniuerſaliorem repugnantiam, quæ in cæteris includitur. Primitas autem abſoluta, facta comparatione inter contrarietates, quæ in omnibus prædicamentis repetitur, atque attentis omnibus, ſolùm conuenit contrarietati inter priuationem, & formam ſubſtantialem; ſecus verò ijs contrarietatibus, quæ inter priuationem, & formas accidentales intercedunt. Et ratio eſt: quoniam illa eſt prima contrarietas, primitate abſolutè, & ſimpliciter tali, quæ eſt cauſa omnium aliarum contrarietatum, eaſque in cæteris generibus radicat: conſtat autem, omnem contrarietatem inter accidentia repertam radicari in ſubſtantia, ab ea dependere, & ortum ducere: vndè contrarietas concurrens ad fieri ſubſtantiæ, nequit non per modum radicis primæ comparari ad alias contrarietates. Cùm ergo oppoſitio inter priuationem, & formam ſubſtantialem concurrat per ſe ad generationem ſubſtantiæ completæ, vt conſtat ex *ſuprà* traditis, optimo iure munus, & nomen primæ contrarietatis ſortita eſt.

DISPVTATIO III.

De materia prima.

POSQVAM tractauimus de principijs entis naturalis in communi acceptis, rectus ordo poſtulat, vt de eiſdem ſingillatim ſumptis inſtituamus ſermonem. Et quia materia prima aliorum fundamentum eſt, ideò ab ea exordium auſpicamur.

QVÆSTIO I.

An ſit, & quid ſit materia prima.

1 DIcendum eſt primò, materiam primam verè dari in rerum natura. Hæc aſſertio communis eſt, non ſolùm, inter Philoſophos, ſed etiam apud ſanctos Patres, quorum plures refert Maſius *cap.* 9. *ſect.* 2. *quæſt.* 1. Et ſuadetur breuiter, & efficaciter: quoniam in qualibet mutatione datur ſubiectum, quod tranſit de non eſſe ad eſſe: ſed generatio ſubſtantialis eſt quædam mutatio ſubſtantialis: ergo aſſignandum eſt ſubiectum illius. Tùm vltra: vel hoc ſubiectum ſupponit aliud, vel non, ſi hoc poſteriùs dicatur: ergo eſt primum ſubiectum: ergo datur materia prima. Patet hæc vltima conſequentia: quia nomine materiæ primæ nihil aliud intelligimus, niſi primum ſubiectum generationis ſubſtantialis, & formæ, quæ per illam inducitur. Si dicatur primum, inquirimus, an illud ſubiectum ſupponat aliud, vel ſit primum: & cùm in cauſis per ſe ſubordinatis impoſſibilis ſit proceſſus in infinitum, neceſſariò ſiſtendum eſt in aliquo ſubiecto, quod proindè erit primum, atque ideò materia prima, vt conſtat ex dictis.

Circumloquitur autem Ariſtot. Materiæ primæ naturam, dicendo, *quod ita ſe habet ad formas ſubſtantiales, ſicut æs, vel lignum ad artificiales*. Quod etiam tradit D. Thom. *opuſc.* 31. §. 1. Vbi non accipitur *æs*, aut *lignum*, quatenùs in ordine ſubſtantiali ſunt entia completa; ſed quatenùs comparata ad genus artificiale, ſunt pura potentia ad formas, & actus illius ordinis. Vndè ſenſus eſt, quod quemadmodum lignum v. g. nullam ex ſe importat figuram artificioſam; habet tamen capacitatem, vt illam recipiat beneficio artis; ſic materia prima eſt ſubiectum exiſtens in pura potentia ad formas ſubſtantiales.

Vndè intelligitur definitio, quæ traditur ab eodem Philoſoph. *cap. vlt. huius libri, text.* 81. & materiæ naturam apprimè manifeſtat: *Materia eſt primum ſubiectum vniuſcuiuſque, ex quo aliquid fit, cùm inſit; non ſecundum accidens*. In qua ly *ſubiectum* gerit vices generis: quia in ea ratione conuenit materia prima cum materia ſecunda, ſiue cum compoſito, quod ſuſtentat formam accidentalem. A quo diſtinguitur per ly *primum*, vt ex ſe conſtat. Per illam autem particulam *cùm inſit* excluditur priuatio: hæc enim licèt ſit terminus a *quo* generationis; nequit tamen conſtituere compoſitum, vt pars intrinſeca: quod conuenit materiæ, & ſignificatur per ly *inſit*. Vltimò additur *non ſecundum accidens*; quibus verbis denotatur, quod ex materia, & forma reſultat vnum ens per ſe.

2 Objicies primo: quia de ratione primi ſubiecti eſt, quod ſit ſubſtantia: ſed materia prima non eſt ſubſtantia, vt conſtat ex Ariſtot. 7. *Metaph. text.* 8. dicente; *Materiam primam per ſe ipſam, neque eſſe quid, neque quantum, neque quale, neque aliud eorum, quibus ens determinatur*: ergo nequit eſſe primum ſubiectum.

Huic obiectioni occurrit Angelicus Doct. *ibidem lect.* 2. dicens: *Philoſophum ſolùm velle, quod oportet ſubiectum mutationis, & motus alterum eſſe, per ſe loquendo, ab vtroque terminorum motus. Vndè cùm materia ſit primum ſubiectum, ſubſtans non ſolùm motibus, qui ſunt ſecundum qualitatem, quantitatem, & alia accidentia, ſed etiam mutationibus, quæ ſunt ſecundum ſubſtantiam: oportet, quod materia ſit alia ſecundum ſui eſſentiam ab omnibus formis ſubſtantialibus, & earum pri-*

uationibus, & non ſolùm, quod ſit aliud à quantitate, qualitate, & alijs accidentibus. Ex ijs autem minimè excluditur, quod materia ſit ſubſtantia per modum ſubiecti, quod ſubſtat mutationibus, & terminis earum.

Obijcies ſecundò; nam materia ſolùm eſt ens in potentia, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 5. *art.* 2. *ad* 3. ergo actu eſt nihil: ergo nec datur in rerum natura, nec valet veri ſubiecti conditionem ſortiri.

Reſpondetur, quod licèt materia prima ſit ex ſe pura potentia, nihilominùs quamdiù datur à parte rei, eſt ens actu per exiſtentiam emendicatam à forma: quod duntaxat intendit S. Doct. *loco citato*. Pro cuius intelligentia eſt obſeruandum, *ens* dici ab actu exiſtendi; *rem* verò ab entitate, ſeu quidditate. Vndè quia materia non habet exiſtentiam à ſe; ſed participatam à forma; idcircò appellatur ens in potentia, licèt verè habeat realitatem, & ſit aliquid ſubſtantiale. Quod ſatis expreſſit D. Th. *quæſt.* 3. *de Veritat. art.* 5. *in fine*, vbi inquit: *quod etſi materia non habeat propriè eſſentiam; attamen eſt pars eſſentiæ.*

4 Vltimò oppones: quoniam ſi ſemel materia prima eſt primum ſubiectum, per hoc ſolùm eius quidditas ſufficienter explicatur, vt conſideranti conſtabit: ergo ſupra adducta definitio eſt vitioſa, cùm aliæ eiuſdem particulæ ſint ſuperfluæ.

Reſpondetur negando conſequentiam: nam cùm materia prima ob ſuam potentialitatem ſit valdè ignota, potuerunt citra vitium claritatis gratiâ, reliquæ particulæ collocari in eius definitione. Quod ſatis colligitur ex nominibus, quæ Auctores frequenter multiplicant, vt materiæ primæ propriam conditionem manifeſtent. Appellatur enim: *Chaos, mater, matrix, turpis, maleſica, per ſe ignota, tenebra, & propè nihil.* Vocatur *chaos*: quia confusè reſpicit formas. *Mater*: quia eſt principium paſſiuum generationis. *Matrix*: quia in ſuo quaſi gremio recipit, & conſeruat formas. *Turpis*: quia omni actu caret: decor autem eſt per actum. *Maleſica*: quia ob inſatiabilem potentialitatem appetit nouas formas, & machinatur deſtructionem eius, quam poſſidet, vt alias nanciſcatur. *Per ſe ignota, & tenebra*: quia non eſt cognoſcibilis, niſi per formam. Deniquè dicitur *propè nihil*: quia eſt pura potentia, atque ideò parum à nihilo diſtat. Quæ omnia ex ijs, quæ in in hac diſputatione dicemus, maiorem lucem accipient.

QVÆSTIO II.

An materia prima ſit potentia pura, & nullum includens actum.

1

SVpponimus in præſenti, materiam primam non eſſe actum primum, & informantem; hoc enim ſoli formæ ſubſtantiali competit: nec actum ſecundum, & accidentalem: nec actum exiſtentiæ, vel ſubſiſtentiæ; cùm materia ad omnes illos actus ſupponatur. Sed procedit difficultas de quodam alio actu entitatiuo, qui à materia nullo modo diſtinguatur; ſed eius entitatem tranſcendat. Autumant enim plures Doctores, actum hunc eſſe ita vniuerſalem, vt nulla entitas realis poſſit dari expers illius: quod in præſenti diſcutiendum eſt.

§. I.

Defenditur ſententia D. Thomæ.

5 DIcendum eſt, materiam primam ſecundum ſuam eſſentiam nullum actum includere, ſed eſſe potentiam omninò puram. Hæc eſt Ariſtot. vt ſtatim ponderabimus: quam perſpicuè tradit Angelicus Doctor pluribus in locis, & præcipuè 1. *contra Gent. cap.* 43. vbi hæc habet: *In rebus inuenitur aliquid, quod eſt potentia tantùm, vt materia prima; & aliquid, quod eſt actus tantùm, vt Deus; & aliquid quod eſt actus, & potentia, vt res cæteræ.* Vndè hanc ſententiam tutantur communiter Thomiſtæ, quibus ex extraneis adhærent Fonſeca, Conimbricenſes, & alij.

Probatur primò ratione ſimul, & auctoritate: quoniam eſſentia materiæ primæ conſiſtit in eo, quod explicatur per eius definitiones, & deſcriptiones traditas ab Ariſtot. & receptas communiter à Doctoribus: ſed eæ non attribuunt materiæ aliquem actum: ergo materia prima ſecundum ſe accepta eſt pura potentia, & nullum includit actum. Minor conſtat ex dictis quæſtione præcedenti, maximè ex illa comparatione, qua vtitur Philoſophus, vt quidditatem materiæ exponat; nimirùm quod ita ſe habet materia prima in ordine naturali, ſicut lignum in genere artificiali: conſtat autem lignum ſecundum ſe acceptum non includere vllum actum artificioſum; ſed eſſe in potentia ad illos: ergo definitiones, & deſcriptiones, quibus Ariſtot. explicat materiæ quidditatem nullum actum præ ſe ferunt; ſed potiùs puram, & ſummam potentialitatem.

Reſpondebis, definitionem explicare ſpecialem, & propriam conditionem definiti; ſecus verò conceptus communes, & tranſcendentes: vndè cum actus entitatiuus tranſcendat per omnes res; propria autem ratio materiæ primæ conſiſtat in eo, quod ſit potentia receptiua formarum: meritò in eius definitionibus non fit mentio actus, ſed potentiæ; quamuis re ipſa actum entitatiuum includat.

Sed contra: quia ratio tranſcendens eſt, realiter loquendo, talis iuxta talitatem rei, & vltimæ differentiæ, per quam tranſcendit: & ideò ens in ſubſtantia eſt ſubſtantia, in accidenti accidens, in actu actus, &c. ſed materia prima ſecundum propriam rationem eſt potentia: ergo omnis ratio per eam tranſcendens eſt potentia, & non actus. § Confirmatur, & explicatur: nam repugnat, conceptum potentiæ imbibi tranſcendentaliter in aliqua entitate, quæ ſecundum ſuam propriam rationem non dicat aliquem ſpecialem potentialitatis modum, ſicut quod ens tranſcendat aliquid, quod ſecundum vltimam ſui differentiam non ſit ens: ergo pariter repugnabit, quod conceptus actus tranſcendat per entitatem, quæ ſecundum propriam rationem non eſt actus, ſed potentia: atqui propria ratio materiæ primæ conſiſtit in eo, quod ſit potentia, vt liquet ex illius definitione, & deſcriptione: ergo minimè imbibitur in ea aliquis actus per modum tranſcendentis.

6 Secunda, & principalis ratio noſtræ aſſertionis eſt huiuſmodi: quoniam omnis actus, vel eſt informans, vel per ſe ſubſiſtens: ſed neuter competit materiæ primæ: ergo hæc eſt pura potentia, & caret omni actu. Minor conſtat: nam in primis materia eſt primum ſubiectum: ergo nequit eſſe actus informans, de cuius ratione eſt, quod ſupponat, & actuet ſubiectum. Deindè actus per ſe ſubſiſtens antecellit in perfectione actum informantem: ergo, cùm materia ob ſuam imperfectionem nequeat eſſe actus informans, minùs poterit eſſe

actus

Digitized by Google

actus per ſe ſubſiſtens.

Reſpondebis, materiam primam eſſe actum entitatiuum, & poſſe dici actum ſubſiſtentem: actum quidem, quia per ſuam entitatem explet ſuam poſsibilitatem, ſeu potentiam obiectiuam, & implicat, quod potentia expleatur, niſi per actum; ſubſiſtentem verò, quoniam eſt primum ſubiectum, quod non dependet ab alio ſuſtentante. Nec hinc ſequitur, quod ſit perfectior, quam actus informans, ſiue forma ſubſtantialis: nam licèt actus ſubſiſtens completus, & ſpiritualis, qualis eſt Angelus, ſit nobilior actu informante; ſecùs verò actus ſubſiſtens, qui per modum partis, & ſubiecti comparatur ad informantem: & hoc pacto materia prima habet rationem actus ſubſiſtentis.

Sed contra arguitur, & ſimul detegitur debilitas præcipui fundamenti aduerſæ opinionis, cui fidit reſponſio nuper adducta: quoniam licèt verum ſit, potentiam receptiuam actus non poſſe expleri, niſi per ipſum actum: tamen potentia obiectiua non petit neceſſariò expleri per actum; ſed aliquando expletur per illum, aliquando verò per realem potentiam poſitam extra cauſas. Et ratio eſt: quia potentia obiectiua nihil aliud importat, quàm non repugnantiam eſſendi in tota entis realis latitudine: ſed intra latitudinem entis ſtat vera potentia realis abſque vllius actus incluſione: ergo poteſt expleri potentia obiectiua per poſitionem huius potentiæ, & ſi nullum actum includat. Probatur minor: quoniam ens reale diuiditur immediatè, & adæquatè in actum, & potentiam 6. *Metaph. text.* 4. *& lib.* 9. *text.* 1. ſed membra diuidentia includunt diuiſum, & opponuntur formaliter inter ſe: ergo intra latitudinem entis realis ſtat potentia realis, quæ excludat omnem actum: ſicut ſtat actus realis, qui excludit omnem potentiam, Quod perſpicuè docet D. Thom. *loco ſupra citato num*.... Vndè ſicut poſſibilitas actus expletur per actum: ita poſſibilitas potentiæ debet expleri per hoc, quod ipſamet potentia ponatur extra cauſas: eadem quippè eſt res, quæ ſubſtat poſſibilitati, & poſteà mandatur executioni.

Nec refert ſi dicas, tot modis dici actum, quòt dicitur potentia; & conſequenter, cuilibet potentiæ reali debere aliquem actum reſpondere. Quapropter potentia obiectiua materiæ primæ nequit non reſpicere aliquem actum: qui non eſt alius, quam entitas eiuſdem materiæ exercita, ſeu poſita extra cauſas. ¶ Non inquam, hoc refert: quoniam potentia obiectiua non eſt vera, & rigoroſa potentia; ſed duntaxat quædam non repugnantia ad eſſendum intra latitudinem entis realis, & denominatio extrinſeca deſumpta à potentia actiua illius agentis, quod illam rem producere valet. Vndè cùm hic poſſit efficere non ſolùm actum, ſed etiam potentiam, ſequitur quod potentia obiectiua non ſemper reſpiciat actum: ſed ſi fuerit potentia ad actum, explebitur per actum: ſi autem ad potentiam, explebitur per hoc, quod ipſamet potentia collocetur extra cauſas.

§. II.

Reſpondetur argumentis Aduerſariorum.

7 OPpoſitam ſententiam amplectuntur Scotus *in* 2. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. Suarez *diſp.* 13. *Metaph. ſect.* 1 & alij plures. Probatur primò: quoniam, vt inquit D. Thom. *quæſt.* 3. *de Veritate art.* 5. ad primum, licèt materia prima ſit informis, tamen ineſt ei imitatio primi entis: ſed primum ens, nempè Deus, eſt actus puriſſimus: ergo materia prima habet aliquem actum, per quem illi aſsimiletur.

Reſpondetur negando conſequentiam: quoniam materia prima non imitatur Deum ſub ratione actus; ſed ſub ratione entis, & ſubſtantiæ: quamuis enim in Deo omnia ſint ſimpliciſsimus, & puriſsimus actus; nihilominùs materia ex parte ſua poteſt imitari Deum ſub vno munere, quin eum participet ſub alio: ſicut etiam in Deo omnia ſunt ſubſtantia; & tamen accidens imitatur Deum ſub conceptu entis, licèt ſubſtantia non ſit.

8 Secundò arguitur, quia materia prima eſt pars actualis compoſiti; ſiquidem illud actu componit, & conſtituit: ſed implicat, quod pars actualis non includat actum, vt conſtat ex ipſis terminis: ergo materia dicit aliquem actum ſaltem entitatiuum.

Huic argumento (quod ex æquiuocatione procedit) reſpondetur animaduertendo, partem dici actualem dupliciter: primò quia re ipſa componit: ſecundò quia intrat compoſitionem actuando, ſiue determinando potentiam, atque ideò per modum principij conſtitutiui. Vt pars ſit hoc poſteriori modo actualis, debet eſſe actus: cæterùm ad hoc, quod dicatur pars actualis priori modo, non requiritur quod ſit actus, vel includat actum, ſed ſufficit, quod connotet exiſtentiam, licèt aliundè emendicatam. Exiſtentia enim connotata, quælibet pars, quantumuis ex ſe potentialis, eſt re ipſa pars actualis; cùm in actu exercito intret conſtitutionem compoſiti. Quare cùm materia prima non componat per modum formæ, & actus, cuius eſt conſtituere, & actuare; ſed ſolùm per modum potentiæ, & ſubiecti, cuius eſt actualitatem recipere: non oportet quod ſit ex ſe actus, ſed ſufficit, quod mutuetur ſpeciem à forma, & exiſtentiam à toto. His namquè connotatis, erit pars actualis: ideſt, pars componens in exercitio, re ipſa, & in actu; licèt non per modum actus.

9 Tertiò arguitur: quia quod eſt actu bonum, eſt actu ens, ſiquidem bonum coincidit cum ente perfecto, de cuius ratione eſt actus: atqui materia prima eſt actu bona, vt docet D. Thom. 3. *contra Gentes*, *cap.* 20. ergo importat ex ſe aliquam actualitatem.

Reſpondetur primò, quod ſicut materia dicitur ens actu, non quidem, quia ſit actus, ſed quia re ipſa eſt ens: ita appellatur actu bona, non quia includat aliquem actum; ſed quia re ipſa, & in exercitio aliquam bonitatem importat per modum puræ potentiæ. ¶ Addendum eſt (& ſit ſecunda ſolutio) quod licèt materia prima non dicatur bona, bonitate finis, quæ coincidit cum entitate perfecta, & includente actualitatem; attamen poteſt dici bona bonitate vtilitatis, & medij, cùm conducat ad conſtitutionem compoſiti; ad quod tamen non requiritur, quod ſit actus; ſed ſufficit eſſe veram, & realem potentiam, licèt puram. Id namquè expoſtulat ipſa conſtitutio compoſiti ſubſtantialis. Quapropter quamuis materia non dicatur ens abſolutè, ſed cum addito, nimirùm ens in potentia; eo quod ens dicitur ab actu exiſtendi, qui non conuenit materiæ primæ ex ſe: poteſt nihilominùs appellari bona abſolutè; & ſine addito, quia conducit ex ſe ad conſtitutionem compoſiti; & *bonum etiam in ordine conſiſtit*, vt ait D. Thom. *loc. cit.* in argumento.

Sed dices: bonum eſt paſſio entis: ergo eo modo eſt aliquid, & dicitur bonum, quo eſt, & appellatur ens: ſed materia eſt bona actu, & abſolutè: ergo eodem modo debet eſſe, & dici ens. ¶ Reſpondetur, paſſiones abſolutas conuerti cum ente, non ſolùm quoad rem, ſed etiam quantùm ad modum denominandi: paſſiones autem, quæ reſpectiuæ ſunt, & connotant aliquid extrinſecum, conuerti quidem quoad rem; ſecus verò quoad modum denominandi. Vndè materia ſicut ex proprijs meritis non eſt ens in actu, ſiue per modum actus: ita nec eſt bona in actu, aut per modum actus; ſed per modum bonæ, & puræ potentiæ. Poteſt tamen, licèt non dica-

Digitized by Google

dicatur abſolutè ens, appellari bona abſolutè propter ordinem, quem dicit ad actum, & connotando exiſtentiam: hæc enim connotatio eſt ad minùs de ratione boni, eo quod bonum eſt paſſio entis participaliter ſumpti.

10 Vltimò arguitur: nam id, quod omninò eſt in potentia, eſt reipſa nihil in ſe ipſo, cùm ſolùm dicatur ens, quia poteſt ab agente produci: vt patet in creaturis poſſibilibus, quæ abſolutè ſunt nihil in ſe ipſis, licèt ſint aliquid in potentia: conſtat autem, quod materia prima non eſt purum nihil: ergo non eſt pura potentia, ſed imbibit aliquem actum.

Reſpondetur, quod dupliciter poteſt aliquid appellari ens in potentia: vno modo, quia ſolùm eſt in potentia obiectiua, ſiue in ſtatu poſſibilitatis, & hoc eſt nihil in ſe ipſo: alio modo, quia eſt potentia ſubiectiua, & receptiua actuum, & formarum; & iſtud connotandò exiſtentiam aliundè emendicatam eſt aliquid in ſe, & importat veram, & exercitam entitatem. Vndè cùm materia prima dicatur ens in potentia, non priori modo, ſed poſteriori; minimè infertur, quod ſit omninò nihil, neque etiam ſequitur, quod ſit actus: nam inter actum, & purum nihil datur medium, nimirùm pura potentia realis.

QVÆSTIO III.

An materia prima habeat vnitatem ſpecificam.

AD intelligentiam, & reſolutionem huius difficultatis obſeruandum eſt ex doctrina D. Thom. *1. p. q. 16. art. 7. ad 2. & opuſc. 31.* vnitatem ſpecificam eſſe duplicem; aliam poſitiuam, & aliam negatiuam. Tunc aliquid eſt vnum vnitate ſpecifica poſitiua, cùm habet ex ſe aliquod principium, per quod conſtituatur in determinata ſpecie; quo pacto homo dicitur vnus ſpecificè, quia habet animam rationalem, ex qua eius ſpecificatio deſumitur. Tunc autem dicitur aliquid vnum vnitate ſpecifica negatiua, quando caret ex ſe omni principio, per quod, vel trahatur, & determinetur ad vnam certam ſpeciem: vel per quod plurificetur in plures; ſed negatiuè ſe habet ad vtrumque. Quod poteſt declarari exemplo immenſitatis, & æternitatis: nam quod habet ex ſe principium coëxiſtendi omni loco, & tempori, dicitur immenſum, & æternum poſitiuè, vt Deus: quod verò non habet ex ſe principium, per quod determinetur ad vnum ſpecialem locum, & tempus, vel ad plura, appellatur immenſum, & æternum negatiuè, vti ſe habent vniuerſalia. Qua diſtinctione ſuppoſita, haud obſcurè apparet legitima huius difficultatis deciſio.

§. I.

Statuitur vera ſententia.

11 DIcendum eſt, materiam primam non habere ex ſe vnitatem ſpecificam poſitiuam, ſed tantùm negatiuam. Sic docent Ariſtot. *2. de Anima text. 2. & 8. Metaph. cap. 1. &* D. Thom. *ibidem, & loco citato* ex prima parte, vbi inquit; *Materia prima dicitur eſſe vna, non quia habet vnam formam, ſicut homo eſt vnus ab vnitate vnius formæ; ſed per remotionem omnium formarum diſtinguentium.* Quare hic modus dicendi communis eſt apud Thomiſtas, quos proindè non referimus in particulari.

Prima aſſertionis pars, in qua eſt potiſsima difficultas, ſic probatur: quia non poteſt dari vnitas ſpecifica abſque differentia metaphyſica; ſiquidem per hanc contrahitur genus, & conſtituitur ſpecies: ſed materia prima ſecundum ſe conſiderata caret omni differentia metaphyſica: ergo non habet aliquam ſpeciem poſitiuam. Probatur minor: nam conceptus metaphyſicus fundatur ſupra entitatem phyſicam, & ab ea deſumitur: ſed differentia eſt actus metaphyſicus: ergo deſumenda eſt ab actu phyſico; atqui materia eſt pura potentia phyſica, & nullum includit actum, vt conſtat ex dictis *quæſt. præcedendi*: ergo ſecundum ſe accepta caret omni differentia metaphyſica.

Confirmatur, & explicatur: nam quia genus eſt conceptus potentialis metaphyſicus, ideò deſumi debet ab aliqua potentialitate phyſica: quam quia Deus nequit habere, non valet in genere conſtitui: ergo pariter vbi repugnat actus phyſicus; non poteſt excogitari cum fundamento actus metaphyſicus, ſiue differentia, ex qua conſurgit ſpecies poſitiua: ſed materia prima non habet ex ſe vllum actum phyſicum: ergo caret, quantùm eſt de ſe, omni ſpecie poſitiua. Quare ſicut in Deo ob ſummam eius actualitatem non datur compoſitio ex genere, & differentia: ita à materia prima ob ſummam ipſius potentialitatem ſimilis compoſitio debet excludi: quoniam hæc conſtitutio ex actu, & potentia metaphyſicis æquè, licèt ex diuerſo capite, repugnat puræ potentiæ, ac actui puro. Et quemadmodum Deus ſe toto ab omni alia entitate differt: ita materia per totam ſuam quidditatem ab alijs rebus eſſentialiter diſtinguitur. Secunda autem pars concluſionis facilè oſtenditur: quoniam, vt ſupra prænotauimus, tunc aliquid eſt vnum ſpecificè negatiuè, quando non habet ex ſe principium, per quod determinetur ad vnam, vel plures ſpecies: ſed materia prima caret hoc principio: ergo eſt vna ſpecificè negatiuè: Minor liquet ex proximè dictis: nam principium vnitatis, & pluralitatis ſpecificè eſt actus: materia autem caret omni actu: ergo.

12 Ex ijs infertur primò, materiam primam ex ſuis meritis non habere vnitatem numericam poſitiuam, ſed tantùm negatiuam. Ratio eſt: quia vnitas ſpecifica, & numerica debent inter ſe proportionari: ſed materia prima non habet vnitatem ſpecificam poſitiuam, ſed ſolùm negatiuam: ergo non eſt vna numero poſitiuè, ſed ſolùm negatiuè.

Infertur ſecundò, materiam primam ſecundum ſe non eſſe vnam vnitate generica poſitiua, ſed duntaxàt negatiua. Quoniam licèt genus deſumatur à potentialitate phyſica, tanquam à prima radice; petit tamen aliquam actualitatem in re: vt ſic poſsint diſtingui duo conceptus eſſentiales, & ſe inuicem formaliter excludentes, è quibus vnus habeat rationem contrahibilis, & generis; alter verò ſit contrahens, & differentia. Materia autem eſt ſimplex, & pura potentia phyſica, & caret omni actu, atque ideò nequit gaudere vnitate generica poſitiua, ſed tantùm negatiua, vt de vnitate ſpecifica dictum eſt.

Infertur tertiò, omnem vnitatem poſitiuam, ſiue generica, ſiue ſpecifica ſit, conuenire materiæ primæ ex communicatione formæ, cui vnitur. Quod ſatis colligitur ex dictis, nam materia prima à parte rei exiſtens, habet vnitatem genericam, ſpecificam, & numericam; cùm ſit pars compoſiti ſubſtantialis, in quo omnes eæ vnitates reperiuntur, vt patet in Petro, cuius materia pertinet intrinſecè ad animal, hominem, & hoc indiuiduum. Conſtat autem, quod hoc non conuenit materiæ primæ ex ſuis meritis; ſiquidem conſiderata ſecundum propria prædicata negatiuè ſe habet ad omnes has vnitates, & ad nullam determinatur: ergo aliundè has vnitates ſortitur, nimirùm genericam, & ſpecificam à for-

Digitized by Google

forma ſubſtantiali; numericam verò ex ſigillatione ad certam quantitatem.

13 Infertur quartò, vnitatem poſitiuam, quam materia prima ſortitur à forma, eſse eſsentialem illi conſideratæ, quatenùs pertinet ad ordinem exiſtendi practicum, & vt fiat proximè capax exiſtentiæ: ei verò ſumptæ ſecundum ſe non eſſe eſſentialem; nec tamen appellandam eſſe omninò accidentalem, & extraneam, ſed potiùs valdè connaturalem. Fundamentum eſt ſatis manifeſtum, quoniam materia prima nequit exiſtere, niſi priùs habeat vnitatem poſitiuam: ergo prædicta vnitas eſt illi omninò eſſentialis, ſi conſideretur, quatenùs eſt proximè capax exiſtentiæ. Porrò vnitas proueniens ab actu connaturaliſsimo nequit eſſe omninò extranea, & accidentalis; ſed potiùs debet dici valdè connaturalis: ſed forma ſubſtantialis eſt actus valdè connaturalis materiæ, & in quem ipſa maximè inclinat: ergo licèt vnitas poſitiua deriuata à forma non ſit eſsentialis materiæ primæ conſideratæ ſecundum ſe, & præciſæ ab existentia; attamen non eſt appellanda accidentalis, & omninò extrinſeca; ſed debet dici connaturalis materiæ.

Infertur vltimò, eandem entitatem materię primę habere ſucceſsiuè diuerſas vnitates poſitiuas, & ſpecificationes intrinſecas: nullamquè in hoc implicationem inuolui. Quoniam & ſi res habens ex ſe vnitatem ſpecificam poſitiuam nequeat ſucceſsiuè ad varias ſpecies trahi; id autem, quod ex ſe ſolùm gaudet vnitate negatiua, vnitatem verò poſitiuam ſortitur à forma, tot vnitates poteſt ſucceſsiuè mutuari, & in tot ſpecies transferri, quot fuerint formæ, quibus vniri, atque ſubſtare valet. Cùm ergo materia ſolùm ſit vna negatiuè, & queat ab vna forma in alteram tranſmutari; mirum non eſt, quod ſucceſſiuè plures ſpecies, & vnitates ſortiatur.

§. II.

Refertur opinio contraria cum ſuis argumentis.

14 Contraria ſententia docet, materiam primam habere ex ſe vnitatem ſpecificam poſitiuam illi intrinſecam, & eſſentialem; alias verò ſpecificationes conuenientes ei per coniunctionem ad formas, eſſe illi accidentarias, & extraneas. Ita Suarez *diſp.* 13. *Metaph. ſect.* 5. & alij plures. Quorum placitum poteſt ſuaderi primò: quia quælibet potentia deſumit ſpeciem poſitiuam ab actu ſibi adæquato, & quem reſpicit per ſe primò: ſed omnis materia ſublunaris reſpicit per ſe primò, vt actum adæquatum formam amiſſibiliter informantem in communi ſumptam: ergo omnis materia ſublunaris habet eandem ſpeciem poſitiuam.

Confirmatur: quia materia ſublunaris conuenit omninò cum materia cœleſti in ratione puræ potentiæ; & ab illa diſtinguitur eſſentialiter, per hoc, quod cœleſtis reſpicit, vt actum adæquatum formam inamiſſibilem; ſublunaris verò amiſſibilem: ergo conueniunt in geneſe, & diſtinguuntur ſpecie: & conſequenter quælibet habet vnitatem genericam, & ſpecificam.

Reſpondetur, reſpectum puræ potentiæ, & in pura potentialitate conſiſtentem, neutiquam ſufficere, vt potentia capiat ſpeciem poſitiuam ab actu ſibi adæquato: quia in tali reſpectu nulla actualitas intelligitur, ſine qua impoſſibilis eſt vnitas ſpecifica poſitiua. Quare cùm materia prima reſpiciat hoc modo ſuum actum adæquatum, nullam ſpeciem poſitiuam per huiuſmodi reſpectum conſequitur. ¶ Ad confirmationem dicendum eſt, conuenientiam inter materiam primam cœleſtem, & ſublunarem non eſſe vniuocam, ſed analogam: ac proindè diſtingui ſe totis. Et ratio eſt: quia vt detur aliqua ratio ſimpliciter abſtracta, in qua duo vniuocè conueniant, neceſſarij ſunt duo conceptus, quorum vnus habeat rationem potentiæ contrahibilis, & alter rationem actus contrahentis, & determinantis. Conſtat autem ex hactenùs dictis, materiam primam eſſe totius actualitatis expertem. Quare non adeſt fundamentum requiſitum ad hoc, vt ex duabus materijs abſtrahamus ſimpliciter aliquam rationem: ſed ad ſummum poterimus concipere eas ſecundum aliquam proportionalem conuenientiam, non cognoſcendo explicitè diſconuenientiam ſimpliciter, quæ actu ibidem includitur. Vndè ſicut duæ vltimæ differentiæ diſtinguuntur ſe totis, quia ſunt conceptus impartibiles in alios duos conceptus, nimirùm contrahibilem, & contrahentem: ita repugnat, quod in materia diſtinguantur duo conceptus, & conſequenter, quod è duabus materijs abſtrahatur ratio, quæ ſit ſimpliciter vna, & in qua vniuocè conueniant; ſed diſtinguuntur ſe totis ob eandem proportionabiliter rationem.

15 Arguitur ſecundò: quoniam vnitas eſt paſſio entis: ſed materia prima habet ex ſe entitatem poſitiuam: ergo & vnitatem poſitiuam; ergo eſt vna ſpecificè poſitiuè. Probatur hæc vltima conſequentia: nam eſſe vnum ſpecificè idem eſt, ac eſſe vnum eſſentialiter: ergo ſi materia prima ſecundum ſuam eſſentiam eſt vna poſitiuè; etiam erit vna poſitiuè in ſpecie.

Reſpondetur, vnitatem, quæ eſt paſſio entis, non eſſe genericam, ſpecificam, aut numericam; ſed ſolùm analogicam: quam materiæ primæ libenter concedimus: eſt enim quædam potentia, & entitas ſubſtantialis ab omnibus alijs huius vniuerſi rebus diſtincta. Hinc tamen minimè colligitur, vnitatem ſpecificam poſitiuam eidem, attribuendam fore: quoniam ad ſpeciem poſitiuam requiritùr, quod conſtituatur ex genere, & differentia, ſiue ex potentia, & actu metaphyſicis: quæ compoſitio omninò repugnat puræ potentiæ, qualis eſt materia prima.

16 Arguitur tertiò: quia materia prima habet ex ſe vnitatem numericam poſitiuam: ergo etiam eſt vna ſpecificè poſitiuè; cùm vnitas ſpecifica debeat numericæ proportionari. Suadetur antecedens: nam compoſitum ſingulare, vt tale, non conſurgit, niſi ex partibus ſingularibus, & habentibus vnitatem numericam: ſed Petrus v. g. eſt vnum compoſitum ſingulare poſitiuè: ergo eius materia habet ex ſe vnitatem numericam poſitiuam. ¶ Confirmatur: quia diſtinctio ſupponit vnitatem vniuſcuiuſque extremi: ſed materiæ ſublunares ex proprijs meritis diſtinguuntur numero poſitiuè: ergo quælibet habet ex ſe vnitatem numericam poſitiuam. Minor probatur: quia materia Ioannis, & materia Petri ſe ipſis numero diſtinguuntur: aliàs duæ formæ ſubſtantiales illorum hominum reciperentur in eadem materia: quod eſt abſurdum.

Reſpondetur negando antecedens: cuius probatio non viget, quia vt aliqua pars per modum primi ſubiecti, & puræ potentiæ intret compoſitionem totius indiuidui, non petit habere ex ſe vnitatem numericam poſitiuam; ſed ſufficit, quod poſſit illam aliundè recipere. Et ita contingit in materia prima: quæ ex ſe ſolùm eſt vna numero negatiuè; habet tamen capacitatem recipiendi ex alio principio vnitatem numericam poſitiuam. Vndè etiam ſoluitur confirmatio: quamuis enim omnis materia prima ſublunaris conſiderata ſecundùm ſe ſit vna numero negatiuè; cùm, inſpectis præcisè ſuis meritis, careat omni principio diſtinctionis numericæ poſitiuæ: nihilominùs numquam datur à parte rei ſecundum ea præcisè, quæ illi ex proprijs meritis competunt. Nam ſicut ſortitur ſpeciem poſitiuam à forma: ſic etiam mutuatur vnitatem, & diſtinctionem numericam poſitiuam

per

Digitized by Google

per habitudinem ad formam, vel quantitatem, quibus ſubeſt: & ſic ſemper habet à parte rei vnitatem numericam poſitiuam, per quam vna portio materiæ ſecernitur ab alijs. Quocircà non ſequitur, quod anima Ioannis, & anima Petri ſint in materia omninò eadem; ſed ſolùm infertur, quod ſint in materijs, quæ ſecundum ſe ſunt vna, & eadem materia negatiuè: attamen à parte rei ſunt poſitiuè plures.

17 Vltimò arguitur; quoniam ſi materia prima ſecundum ſe accepta, ſolùm haberet vnitatem ſpecificam negatiuam, deberet reduci ad aliquam ſpeciem poſitiuam, ſiquidem omne negatiuum trahitur ad ſuum poſitiuum: atqui materia prima non valet ad vllam ſpeciem reduci: ergo non eſt vna ſpecificè negatiuè; ſed poſitiuè. Probatur minor: nam in primis nequit reduci ad ſpeciem ſubalternam corporis; cùm ipſa habeat vnitatem atomam, nec valet reuocari ad aliquam ſpeciem infimam hominis v. g. vel equi; cùm non ſit maior ratio, quare ſpectet ad vnam, & non ad aliam.

Reſpondetur negando minorem, & ad probationem dicendum eſt, materiam primam non reduci ad aliquid poſitiuum poſitiuè, eo modo, quo ſpecies imperfecta reducitur ad perfectam? ſed reduci negatiuè. Quapropter quatenùs non eſt vna genericè poſitiuè, poteſt tamen hanc vnitatem habere; debet reduci ad ſpeciem ſubalternam corporis: quatenùs verò caret omni vnitate ſpecifica poſitiua, & nihilominùs valet omnes ſpecificationes ſucceſſiuè recipere; debet per reductionem negatiuam in omnibus ſpeciebus infimis collocari. Quamuis enim non habeat ſimul, niſi vnam ſpeciem poſitiuam, eam nimirum, quam illi impertitur forma, cui actu ſubeſt; attamen ex ſe habet capacitatem ad omnes formas, ad nullamque determinatur: atque ideò in omnium illarum ſpeciebus debet negatiuè, & per non repugnantiam conſtitui.

QVÆSTIO IV.

Vtrum materia prima habeat ex ſe propriam exiſtentiam.

POſtquam ſtatuimus, materiam primam non habere ex ſe aliquem actum ad eſſentiam pertinentem; recto ordine progredimur ad inueſtigandum, vtrum vendicet ſibi propriam actualitatem exiſtentiæ, quæ eſſentiam illius ſubſequatur.

§. I.

Eligitur pars negatiua.

18 DIcendum eſt, materiam primam nullam ex ſe habere exiſtentiam; ſed exiſtere per exiſtentiam à forma, & compoſito emendicatam. Sic docet D. Thom. *quæſt.* 4. *de potentia, art.* 4. *in corpore* his verbis: *Quidquid in rerum natura inuenitur actu exiſtit: quod quidem non habet materia, niſi per formam, quæ eſt actus eius.* Et 1. 2. *q.* 94. *art.* 5. *ad* 2. inquit: *Idem eſt eſſe formæ, & materiæ, & hoc quidem eſt eſſe compoſiti.* Quod frequenter repetit pluribus alijs in locis. Vnde hæc ſententia perpetua fuit, & conſtans in ſchola Thomiſtica.

Probatur ratione primò: quoniam ſi materia, & forma haberent proprias exiſtentias, eſſent plura entia in actu: ſiquidem idem eſt ens in actu, ac ens exiſtens: ſed ex pluribus entibus in actu nequit fieri vnum ens per ſe, vt communiter docent Philoſophi: ergo compoſitum ſubſtantiale reſultans ex materia, & forma non eſſet vnum ens per ſe: conſequens eſt omnino abſurdum: ergo materia prima non vendicat ſibi peculiarem exiſtentiam; ſed exiſtit per exiſtentiam totius compoſiti.

Reſpondebis, quod licèt ex duobus entibus exiſtentibus per exiſtentias totales, & completas non valeat fieri vnum ens per ſe; bene tamen ex pluribus entibus in actu, ſi exiſtant per exiſtentias incompletas, & partiales, quarum vna habeat rationem perfectibilis, & potentiæ; alia verò ſit perficiens, & actus. Hoc autem modo ſe habent exiſtentiæ propriæ materiæ, & formæ: atque ideo fieri poteſt, quod compoſitum ſubſtantiale ſit ens per ſe, quamquàm conſurgat ex materia, & forma exiſtentibus diuerſis exiſtentijs.

Sed contra: nam implicat, vnam exiſtentiam ſe habere, vt potentiam reſpectu alterius exiſtentiæ: ergo repugnant exiſtentiæ partiales, ex quibus reſultet vna exiſtentia totalis, & per ſe; perſeitate phyſica. Conſequentia patet: nam perſeitas, & totalitas phyſica important compoſitionem ex actu, & potentia. Antecedens autem probatur in primis ex D. Thom. *quæſt.* 7. *de potentia art.* 2. *ad* 9. vbi inquit: *Neque intelligendum eſt, quod ei, quod dico eſſe, aliquid addatur, quod ſit eo formaliùs ipſum determinans, ſicut actus potentiam, & quæſt. vnica de Anima art.* 6. *ad* 2. ait: *ipſum eſſe eſt actus vltimus, qui participabilis eſt ab omnibus; ipſum autem non participat*: ergo ex mente S. Doctoris implicat, quod vna exiſtentia habeat rationem potentiæ reſpectu alterius. Quod deinde oſtenditur ratione ex ijs auctoritatibus deſumpta: quoniam eadem res, & in eodem ordine nequit eſſe ſimul actus, & potentia: hac enim ratione forma ſubſtantialis non poteſt eſſe potentia in linea eſſentiæ, quia eſt actus in hoc ordine; licèt aliàs in linea exiſtendi ſit potentia: ſed exiſtentia ſubſtantialis eſt vltimus actus totius lineæ ſubſtantiæ; & ideò hoc ipſo, quod res exiſtat eſt perfectè producta, & vltimò terminata: ergo implicat, quod exiſtentia comparetur per modum potentiæ ad aliam exiſtentiam. Vndè ſicut repugnat, quod ex duabus formis ſubſtantialibus, quæ ſunt actus primi, componatur alia forma: ita à fortiori implicat compoſitio vnius exiſtentiæ ex alijs duabus, quia exiſtentia eſt actus vltimus.

Confirmatur primò: quia repugnat, quod ratio inferior, & vltima ſit imperfectior, quam conceptus ſuperior, & communis; ſiquidem hic habet rationem actus, illa verò rationem potentiæ: atqui exiſtentia ex communi conceptu exiſtentiæ eſt actus, & valdè perfectus: ergo repugnat exiſtentia, quæ ſecundum propriam, & particularem rationem ſit potentia, & perfectibilis ab altera exiſtentia.

Confirmatur ſecundò: quoniam terminus caret ea diuiſibilitate, & compoſitione, quæ conuenit rei terminatæ, vt patet in linea, quæ ideò caret diuiſibilitate verſus latitudinem, quia terminat ſuperficiem hoc pacto diuiſibilem: ſed exiſtentia eſt terminus naturæ: ergo caret ea diuiſibilitate, & compoſitione, quæ conuenit compoſito ſubſtantiali: hoc autem eſt diuiſibile in actum, & potentiam: ergo implicat exiſtentia compoſita ex duabus exiſtentijs ſe habentibus per modum potentiæ, & actus.

19 Secundò probatur noſtra concluſio alia ratione principali, quæ præcedenti multum lucis, ac roboris conciliat: quoniam ſi materia prima haberet ex ſe propriam exiſtentiam, eſſet exiſtens pro illo priori, quo præcedit formam, & compoſitum: ſed hoc implicat: ergo non gaudet propria exiſtentia. Maior non indiget probatione: quia non ſolùm admittitur; ſed etiam defendi-

Digitized by Google

tur ab Aduerſarijs. Minor autem ſuadetur: quoniam nulla res poteſt abſolutè, & ſimpliciter exiſtere, vſque dum ſit extra omnes cauſas, & dependentiæ modos, à quibus in exiſtendo dependet: nam cum exiſtentia ſit ratio formalis conſtituendi rem extra cauſas, vltimò, complete, & in ſtatu ſiſtentiæ, & quaſi in quiete; non poteſt res exiſtere prius quàm omnes cauſæ, à quibus dependet, peruenerint ad vltimum ſui exercitium; & conſequenter vſque dum omnes dependentiæ modi fuerint exhauſti: ſed materia pro illo priori, in quo præintelligitur formæ, & compoſito non eſt extra omnes cauſas, & dependentiæ modos, à quibus dependet in exiſtendo: ergo in illo priori non exiſtit, ſed eſt in via ad exiſtendum. Suadetur minor: nam materia prima dependet in exiſtendo à compoſito, & forma: ab illo quidem, quoniam materia non fit propter ſe, ſed propter compoſitum; à forma verò, quia ab ea recipit primam actualitatem, ſine qua nequit peruenire ad actualitatem exiſtentiæ, quæ eſt vltima: atqui pro priori ad formam, & compoſitum non poteſt materia eſſe, aut intelligi extra cauſalitates, & dependentias eorum; cùm forma, & compoſitum nondum intelligantur: ergo pro illo priori non eſt extra cauſas, à quibus in exiſtendo dependet.

Confirmatur: quia ſi materia prima pro priori ad compoſitum, & formam exiſteret, non dependeret ab illis in exiſtendo: ergo poſſet, naturaliter loquendo, exiſtere in rerum natura extra compoſitum: ſiquidem quælibet res poteſt naturaliter exiſtere abſque ijs, à quibus in exiſtendo non dependet: conſequens eſt omnino abſurdum, vt conſtabit ex dicendis *quæſt. ſeq.* ergo materia prima pro illo priori non exiſtit, & conſequenter nullam vendicat ſibi peculiarem exiſtentiam.

20 Dices ſequi ex hac ratione, quod compoſitum ſubſtantiale non ſit exiſtens pro priori, in quo præintelligitur accidentibus ad ſuum eſſe, & perfectionem naturaliter, requiſitis; ſiquidem etiam dependet ab eis in exiſtendo, cùm nequeat abſque illis naturaliter exiſtere: conſequens eſt falſum, cùm exiſtentia accidentium ſupponat neceſſariò existentiam ſubstantiæ: ergo &c. ¶ Reſpondetur negando ſequelam: nam existentia compoſiti est vltimum eius complementum intra lineam ſubstantiæ: vndè ſicut qua parte est vltimum, debet aduenire post omnia alia proprij generis; ſic quatenùs est terminus ſubstantialis debet præire existentiam accidentium: & per conſequens prius est, quod compoſitum ſimpliciter existat, quam quod accidentia existentiam ſortiantur. Nec inferas vlterius ſequi ex ijs, quod poſſit compoſitum ſubstantiale naturaliter loquendo abſque accidentibus existere, & reperiri: quoniam, vt ſubstantia nequeat ab accidentibus denudari, ſatis est, quod dependeat ab eis, vt determinantibus, & diſponentibus materiam; quamuis non dependeat ab illis, ſicut à præexistentibus ante illam. Itaque vt ſubstantia dependeat in existendo ab accidentibus ſufficit, hæc eſſe priora in diſponendo, licèt non in existendo.

§. II.

Soluuntur argumenta contraria.

21 Affirmatiuam partem propugnant Scotus, Gabriel, Gregorius, & alij Nominales: illiſque conſenſere Suarez *diſp.* 13. *Metaph. ſect.* 4. Rubio hic *tractat.* 1. *quæſt.* 3. & alij plures Moderni. Quorum placitum ſuadetur primò: quoniam quæ habent diuerſum *fieri*, etiam habent diſtinctum *eſſe*; ſiquidem *fieri* ordinatur ad eſſe: ſed materia, & forma equi habent diuerſum *fieri*: ergo materia exiſtit per eſſe diſtinctum ab exiſtentia formæ. Minor conſtat: quandoquidem illa materia fuit producta per creationem, & in principio mundi: forma verò poſtea producta eſt per eductionem.

Reſpondetur, maiorem ſolùm verificari in ijs, quæ habent diſtinctum fieri per ſe, & ratione ſui terminant productionem; ſecùs verò in his, quæ producuntur per aliud, ſiue ad productionem alterius. Porrò materia prima non terminauit per ſe primam actionem, per quam primò accepit eſſe; ſed comproducta eſt ad productionem compoſiti: & ideò nullam vendicat ſibi propriam exiſtentiam, ſed eſt in rerum natura pro coëxiſtentia in toto. Diuerſa tamen eſt exiſtentia, quam modo habet materia ſub forma equi ab ea, quam primò habuit ſub forma elementi, in quo fuit concreata: nam cùm exiſtat ad exiſtentiam compoſiti, iuxta variationem iſtius variatur illius exiſtentia. Minimè autem exiſtit per exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ equi, quandiu eſt ſub illa: quia ad hoc opus erat, vt fieret per propriam actionem ad eam per ſe terminatam: quod materiæ neutiquam competit.

22 Secundò arguitur: quia tunc aliquid generatur, & corrumpitur, quando accipit de nouo exiſtentiam, vel eam amittit: ſed ſi materia prima ſolùm exiſteret per eſſe compoſiti: quando iſtud generatur, vel corrumpitur, acciperet nouam exiſtentiam, & priſtinam amitteret: ergo generaretur, & corrumperetur: conſequens eſt omninò falſum; eo quod materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, vt infra conſtabit: ego materia habet propriam exiſtentiam diuerſam ab exiſtentia compoſiti.

Reſpondetur, ad generationem requiri, quod res, quæ modo accepit eſſe, fuerit priùs ſub non eſſe; & ſimiliter ad corruptionem deſiderari, vt id, quod modo eſt, ita amittat eſſe, quod aliud eſſe in eodem inſtanti non recipiat: nam generatio eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe; & corruptio eſt tranſitus de eſſe ad non eſſe. Hoc autem non conuenit materiæ primæ: quia nunquam poteſt eſſe abſque omni forma, atque ideò per generationem compoſiti non tranſit à non eſſe ad eſſe; neque per corruptionem illius tranſit ab eſſe ad non eſſe; ſed ſemper tranſit ab vno eſſe ad aliud eſse; quæ a diuerſis formis, & in diuerſis compoſitis materiæ communicantur.

23 Tertiò arguitur: quoniam exiſtentia cuiuslibet rei non diſtinguitur ab eius entitate: ſed materia prima gaudet entitate diuerſa ab entitate formæ: ergo habet exiſtentiam ab exiſtentia formæ diſtinctam. Probatur maior: nam exiſtentia est ratio formalis constituendi rem extra nihil: ſed quælibet res ponitur extra nihil per ſuam eſſentiam, & entitatem; & non per aliquid à ſe distinctum: ergo existentia non distinguitur ab eſsentia, ſiue entitatè rei.

Hoc argumentum destruit statum præſentis quæstionis, quæ locum minimè habet, niſi ſupponatur, vel admittatur; ſaltem diſputationis gratia, distinctio inter eſsentiam, & existentiam: quam aliàs ſatis ſuperquè ostendere ſolent Thomistæ. Si enim existentia ab eſsentia rei non distinguatur, opus non est difficultatem huius quæstionis diſcutere: cùm aliàs ex vniuerſaliori principio constet, quamlibet rem, atque ideò materiam gaudere propria existentia, cùm habeat eſsentiam, quæ iuxta hunc dicendi modum ab existentia non differt. Nihilominùs reſpondetur ad argumentum negando maiorem: ad cuius probationem dicendum est, rem dupliciter constitui extra ſuas cauſas, ſiue extra nihil: vno modo vialiter, & incompletè; alio modo completè, vltimò, adæquatè, & in statu ſistentiæ. Qui effectus, ſiue modi eſsendi extra cauſas ſunt valdè diuerſi, & conſequenter poſsunt, & debent à diuerſis principijs oriri. Porrò existentia non vtcumque est ratio formalis constituendi rem extra cauſas; ſed eam constituit perfectè, vltimò,

&

Digitized by Google

& adæquatè: quia eſt vltimus terminus lineæ ſubſtantiæ, ac proindè terminat vltimò generationem, & conſtituit rem in ſtatu quietis, & ſiſtentiæ. Eſſentia autem, cùm ſit magis potentialis, ſolùm conſtituitur per ſe ipſam vialiter, & incompletè extra nihil: eò quod præcedit origine exiſtentiam, atque ideò præſupponitur ad illam, non quidem vt in actu ſimpliciter; ſed magis ſicut potentia, & in genere cauſæ materialis. Quæ adhuc munera minimè præſtare valeret, niſi tunc connotaret exiſtentiam, quæ in eodem inſtanti reali adeſt, & à qua ſicut à termino, & vltima actualitate dependet. Videatur D. Thom. 1. *p. quæſt.* 3. *art.* 4 *&* *quæſt.* 44. *art.* 1. *&* *quæſt.* 54. *art.* 1.

24 Vltimò ſuadetur hæc opinio: quia quælibet cauſa eſt prior ſuo effectu: ſed materia prima eſt cauſa formæ, & compoſiti, vt ex ſe conſtat: ergo eſt prior illis: ergo pro illo priori habet propriam exiſtentiam. Probatur hæc ſecunda conſequentia: quoniam pro illo priori nequit exiſtere per exiſtentiam formæ, & compoſiti, quæ nondum exiſtunt: ergo exiſtit propria exiſtentia. ¶ Confirmatur: nam priùs eſt, quod cauſa ſecunda producatur; quàm quod cauſet: ergo priùs ſit materia, quàm influat in formam, & compoſitum: ſed omnis productio terminatur ad exiſtentiam: ergo materia pro priori ad formam, & compoſitum recipit exiſtentiam ab agente, à quo producitur.

Reſpondetur ad argumentum conceſſis maiori, minori, & prima conſequentia, negando ſecundam: quoniam licèt cauſa efficiens præſupponatur exiſtens ad ſuum effectum, eo quod vnumquodque operatur ſecundum quod eſt in actu: cauſa tamen materialis ſolùm petit exiſtentiam in illo inſtanti reali, in quo cauſat; ſed pro illo priori, in quo ſuam cauſalitatem exercet, ſufficit, quod intelligatur extra nihil eſſentiæ, & in via, ſeu tendentia ad exiſtentiam. Cuius ratio eſt: quoniam materia prima pro illo priori id debet habere, quod communicat compoſito: atqui ſolùm communicat propriam entitatem, quæ conſiſtit in ratione puræ potentiæ tendentis ad exiſtentiam: ergo pro illo priori non præintelligitur actu exiſtens, ſed in via ad exiſtentiam; quamuis verè exiſtat in toto illo inſtanti reali per exiſtentiam compoſiti. Ad hæc: materia in illo priori cauſat per modum puræ potentiæ nudæ ab omni actu, & receptiuæ, tùm formæ, cùm exiſtentiæ: aliàs eſſet ens in actu, & vltimò terminata per exiſtentiam, ex qua proinde non poſſet fieri vnum ens per ſe, quale eſt compoſitum: ergo pro illo priori ſolùm importat ſuam entitatem, vt proximè capacem recipiendi, media forma, actualitatem exiſtentiæ: non verò ſub exercitio exiſtendi.

Ad confirmationem dicimus, quod licèt actio productiua communicet exiſtentiam termino; attamen non debet eam producere, niſi in vltimo ſui exercitij: quoniam ſicut exiſtentia eſt prior in intentione, ita debet aliâ ſubſequi in executione. Quapropter exiſtentia non intelligitur, vſque dùm materia, forma, & compoſitum ſint extra nihil: omnia quippè iſta debent attingi, vt cauſalitas efficientis exhauriatur; & perueniat ad vltimum ſui. Vndè quamuis materia prima in illo inſtanti reali exiſtat; nihilominùs pro illo priori naturæ, pro quo præcedit formam, & compoſitum, non intelligitur exiſtens: quia adhuc non eſt extra omnes cauſas, & dependentiæ modos, cum forma, & compoſitum à quibus materia dependet, nondum intelligantur exercuiſſe ſuas cauſalitates. Habet ergo pro illo priori ſuam entitatem eſſentiæ, per quam terminat initiatiuè, & vialitèr actionem agentis, & concurrit ad conſtitutionem compoſiti: eſt tamen in progreſſu ad exiſtentiam, quam media forma, & compoſito, in eodem inſtanti reali ab efficiente participat.

QVÆSTIO V.

An materia prima poſſit per diuinam potentiam exiſtere ſine forma.

EX dictis quæſtione præcedenti conſtat, materiam primam non poſſe exiſtere naturaliter abſque forma; cùm per eius exiſtentiam exiſtat: videndum tamen ſupereſt, verùm, nulla præſuppoſita forma, poſſit præternaturaliter exiſtentia communicari materiæ. Quam difficultatem, cuius aliàs reſolutio non obſcurè apparet, ideò excitamus: quia ex illius deciſione conditio, ac natura materiæ ampliùs innoteſcet.

§. I.

Aperitur, & defenditur mens D. Thomæ.

25 DIcendum eſt, quod implicat materiam exiſtere abſque forma. Hanc ſententiam proponit, & defendit ex profeſſo Angel. Doctor *quodlib.* 3. *art.* 1. *&* 3. 1. *p. q.* 66. *art.* 1. *&* 3. *contra Gent. cap.* 4. Quem concorditer ſequuntur eius diſcipuli. Probatur primò ratione ex citat. locis deſumpta: quia ſi materia exiſteret ſine forma, eſſet in actu ſine actu: ſed hoc implicat: ergo, & antecedens, ex quo deducitur. Sequela oſtenditur: nam in primis eſſet in actu; ſiquidem exiſteret: & deindè non eſſet in actu, cùm careret forma ſubſtantiali; quæ eſt actus proprius materiæ: ergo eſſet in actu ſine actu.

Reſpondent Auctores contrarij, concedendo ſequelam in hoc ſenſu, quod materia eſſet in actu exiſtentiæ: & non in actu formæ ſubſtantialis: in quo nullam inueniunt contradictionem. Quamuis enim implicet eſſe in actu exiſtentiæ abſque actu exiſtentiæ: quia eſſet affirmatio, & negatio eiuſdem, & ſecundum idem; nulla tamen datur contradictio in eo, quod ſit in actu exiſtentiæ, & non in actu formæ, propter oppoſitam rationem, vt conſideranti conſtabit.

Sed contra: quoniam implicat dari actum exiſtentiæ abſque actu formæ: ergo ſi materia exiſteret ſine forma, eſſet, & non eſſet in actu exiſtentiæ, quæ eſt implicatio intenta à D. Thom. Conſequentia eſt euidens, & antecedens, oſtenditur: nam actus vltimus alicuius lineæ nequit dari abſque actu primo eiuſdem lineæ: hac quippè ratione operatio, quæ eſt actus vltimus lineæ operatiuæ, ſupponit indiſpenſabiliter potentiam operatiuam, quæ eſt actus primus: ſed in linea ſubſtantiæ forma eſt actus primus, & exiſtentia eſt actus vltimus: ergo implicat dari actum exiſtentiæ abſque actu formæ.

Confirmatur primò: quia ordo eſſentiæ, & ordo exiſtentiæ diſtinguuntur adæquatè, & ille eſt prior natura, ad illumquè eſſentialiter præſupponitur: ſed repugnat ſubordinationem eſſentialem inter hos ordines adæquatè acceptos reperiri; niſi eadem ſubordinatio inter actus eisdem correſpondentes, & proprios ſeruetur: ergo actus eſſentię indiſpenſabiliter ſupponitur ad actum exiſtentiæ: atqui ſola forma eſt actus ordinis eſſentialis; exiſtentia verò eſt actus ordinis exiſtendi; ergo implicat, quod detur exiſtentia abſque forma.

Confirmatur ſecundò: quia illud, quod eſt ſummè potentiale, nequit attingere maximam actualitatem, niſi per actualitatem mediam; neque actum vltimum, niſi per actum primum: conſtat autem materiam primam eſſe ſummè potentialem; cùm ſit potentia pura, nullum

ex ſe includens actum: exiſtentia autem inter omnes formalitates creatas eſt maximè actualis; cùm ſit vltimus terminus lineæ ſubſtantiæ, vt *ſupra num.* 18. vidimus ex D. Thom. ergo repugnat, quod materia prima perueniat ad actum exiſtendi, niſi per formam ſubſtantialem, quæ eſt actualitas intermedia, & actus primus: hæc quippè conſtituit extrema illa, quæ ex ſe adeò diſtant, proportionata, & vnibilia, cùm excedat in actualitate materiam, & ab exiſtentia excedatur, ac proinde ſit medium quoddam inter vtramque.

Confirmatur tertiò: quoniam ideò repugnat, vt communiter docent Thomiſtæ; eſſentiam diuinam ſub munere ſpeciei intelligibilis vniri intellectui Beatorum non perfuſo lumine gloriæ, quia intellectus creatus in linea intelligibili eſt pura potentia, & eſſentia Dei eſt perfectiſſimus actus: ac proinde, vt detur debita proportio inter intellectum creatum, & eſſentiam diuinam, debet conſtitui lumen gloriæ, quod habeat actualitatem admixtam potentialitati, ac proinde valeat eleuare, & proportionatum reddere intellectum ad illam vnionem: ſed materia prima eſt pura potentia, & exiſtentia eſt actus perfectiſſimus: ergo nequeunt vniri, niſi mediante forma, quæ comparatur ad materiam per modum actus, & ad exiſtentiam per modum potentiæ, atque ideò mediat cum debita proportione.

26 Secundò probatur aſſertio noſtra alio fundamento, quod ab inconuenienti deſumitur: nam implicat aliquid à parte rei contineri ſub determinato genere, & non ſub determinata ſpecie: ſed ſi materia prima exiſteret ſine forma, eſſet actu intra certum genus, & non intra certam ſpeciem: ergo nequit abſque forma exiſtere. Probatur minor: quia in primis eſſet ſub genere corporis, & ſubſtantiæ: cum ſit quædam entitas ſubſtantialis ordinata ad componendum corpus: ruſus non eſſet actu ſub aliqua determinata ſpecie; ſiquidem nullam ex ſe habet ſpecificationem, vt ſupra oſtendimus *quæſt.* 3. ſed eam adæquatè mutuatur à forma, cui tunc non ſubeſſet, vt ſupponitur: ergo eſſet actu intra certum genus, & non intra certam ſpeciem.

Reſpondet Rubio *quæſt.* 5. quod licèt ens completum, & ex ſe indiuiduum nequeat eſſe ſub certo genere, quin ſit etiam ſub determinata ſpecie; benè tamen materia prima, quæ non eſt indiuiduum; ſed ſola pars indiuidui. ¶ Sed hoc nullius momenti eſt, & facilè refellitur: nam ideò nequit dari in rerum natura indiuiduum completum ſub genere, & non ſub ſpecie, quia inter principia generis, & principia indiuidui completi mediant principia ſpecifica: ſed generaliter loquendo inter gradum genericum, & inter vnitatem numericam mediat gradus ſpecificus; aliàs deſtrueretur coordinatio prædicamentorum: ergo implicat aliquid ſingulare, & indiuiduum ſiue complete, ſiue inadæquatè, quod ſit in rerum natura ſub certo genere, & ſub nulla certa, & determinata ſpecie contineatur.

§. II.

Diluuntur fundamenta contrariæ opinionis.

27 OPpoſita noſtræ aſſertioni ſententia defenditur ab omnibus ferè Doctoribus *ſupra num.* 21. relatis, & poteſt ſuaderi primò: quoniam quod Deus producit media cauſa creata, quæ non eſt de eſſentia effectus, poteſt ſe ipſo cauſare: ſed Deus communicat materiæ primæ exiſtentiam, media forma, quæ eſt extra conceptum exiſtentiæ, cùm ab ea realiter differat: ergo poterit abſque interuentu formæ exiſtentiam materiæ communicare: ¶ Confirmatur: quia exiſtentia ſolùm eſt effectus ſecundarius formæ ſubſtantialis: ſed hic poteſt à Deo ſuppleri, vt conſtat in Chriſto domino, cuius humanitas non exiſtit per exiſtentiam propriam; ſed diuinam: ergo.

Reſpondetur, quod licèt forma ſubſtantialis non ſit pars, vel prædicatum intrinſecum exiſtentiæ, attamen eſſentialiter præſupponitur illi, vt conſtat ex hactenùs dictis: quod ſufficit, vt nequeat exiſtentia abſque forma communicari materiæ. Vndè ſicut quantitas eſt extra eſſentiam albedinis; & nihilominùs implicat corpus, quod abſque quantitate ſit album & ſicut intellectus diſtinguitur realiter ab intellectione; & tamen repugnat, quod quis intelligat abſque intellectu: eo quod illa ad hæc indiſpenſabiliter ſupponuntur, vt principia, vel ad minùs, vt diſpoſitiones: ſic implicat, quod materia exiſtat ſine forma, licèt hæc ſit extra conceptum exiſtentiæ, ſufficit enim ad hanc repugnantiam, quod comparentur inter ſe per modum actus primi, & vltimi, & per modum effectus primarij, & ſecundarij. Per quod etiam ſatisfit confirmationi: nam præſuppoſita forma, & effectu primario, poteſt impediri, aut ſuppleri exiſtentia naturalis, quæ eſt effectus ſecundarius, vt contingit in humanitate Chriſti. Cæterùm dari effectum ſecundarium abſque primario, & actum vltimum ſine primo (quod contingeret ſi materia exiſteret ſine forma) contradictionem inuoluit, vt oſtenſum à nobis eſt.

28 Arguitur ſecundò: quia magis dependet accidens à ſubſtantia, quam materia à forma: ſed poteſt accidens exiſtere ſine ſubſtantia, vt patet in Euchariſtia: ergo poteſt diuinitùs materia exiſtere ſine forma. Maior videtur certa: nam quò aliquid eſt magis dependens, eò eſt imperfectiùs: ſed accidens eſt imperfectiùs, quam materia: ergo magis dependet accidens à ſubiecto, quam materia à forma.

Reſpondetur negando maiorem: quoniam magis dependet potentia pura, quæ eſt quid incompletum, à forma, ſiue actu primo, à quo accipit eſſe; quam actus accidentalis, qui in ſuo genere completus eſt, dependeat à ſubſtantia. Quocircà nulla eſt implicatio in eo, quod accidens ſeparetur à ſubiecto; plures autem repetiuntur in eo, quod prima, & pura potentia vniatur immediatè vltimo actui, & quod detur actus vltimus ſine primo. Neque probatio maioris vrget: nam maior dependentia ſolùm arguit maiorem imperfectionem, quando cætera ſunt paria: quod non contingit in præſenti; cum materia ſit ſubſtantia, quæ ex genere excedit accidentia.

29 Arguitur tertiò: quia materia prima realiter diſtinguitur à forma, & eſt prior, quam illa: ergo poterit ab ea ſeparari, & ſic ſeparata in rerum natura conſiſtere. Probatur conſequentia: tùm quia ſignum diſtinctionis realis inter aliqua eſt poſſibilis eorundem ſeparatio. Tùm quia priùs, in eo, quod tale, non dependet à poſteriori.

Reſpondetur negando conſequentiam, quam, inductæ probationes minimè euincunt: non prima, quia licèt omnia, quæ ſeparari queunt, debeant realiter diſtingui: attamen non omnia, quæ diſtinguuntur realiter, poſſunt ſeparari, vt patet in quantitate, & figura: plus enim requiritur ad ſeparationem, quam ad diſtinctionem: ſiquidem illa addit ſupra iſtam independentiam, & carentiam connexionis inter extrema. Nec ſecunda probatio vrget: quoniam licèt id, quod omnibus modis eſt priùs, quam aliud, poſſit ab eo ſeparari; ſecùs verò, quod habet prioritatem in vno genere, & eſt poſterius in alio. Materia autem ita præcedit formam in genere cauſæ materialis; quod tamen eſt ea poſterior, & ab illa dependens in genere cauſæ formalis: atque

ideo

Digitized by Google

ideò non valet ab omni forma nudata exiſtere in rerum natura.

30 Vltimò arguitur: quia id, quod habet propriam ideam, poteſt per ſe fieri, & exiſtere; cùm idea ſit exemplar rei, vt producibilis: ſed materia prima habet ideam diſtinctam ab idea formæ, & compoſiti: ergo poteſt, ſaltem diuinitùs, recipere exiſtentiam à Deo independenter ab illis. Minor probatur: tùm quia aſſeritur à D. Thom. *q. 3. de veritate art. 5.* Tùm etiam, quia materia diſtinguitur à forma, & compoſito: ergo habet exemplar diſtinctum ab ideis eorum. Tùm deniquè, quia quod eſt per ſe intelligibile, habet per ſe ideam: ſed materia prima eſt per ſe intelligibilis; ſiquidem intelligibilitas eſt paſſio entis, & materia prima eſt ſubſtantia, ſiue ens per ſe: ergo &c.

Reſpondetur primò negando minorem cum D. Th. *1. p. q. 15. art. 3.* vbi, vt obſeruat Caiet. retractauit ſententiam, quam docuerat *loco citat. de veritat.* Nam intellectio eſt quædam adæquatio actualiſſima inter intellectum, & rem intellectam, vi cuius transformatur intellectus in ipſum obiectum intelligibile: vndè ſicut ex parte intellectus requiritur aliqua actualitas, ita ipſum intelligibile debet aliquam rationem actûs habere, vt poſſit intellectionem terminare. Materia autem non habet actum vllum à ſe, ſed illum à forma participat; & ideò non eſt intelligibilis ratione ſui, ſed duntaxat ratione formæ, & per habitudinem ad illam. Quando verò aſſeritur, intelligibilitatem eſſe paſſionem entis, intelligendum eſt de ente per modum actus, vel includente actum; non autem de eo, quod in pura potentia conſiſtit, qualis eſt materia prima: hoc quippè ſolùm poteſt intelligi ob incluſionem, vel connotationem actualitatis, quam aliàs mutuatur à forma. Quare cùm id, quod non eſt per ſe intelligibile, non habeat per ſe ideam; ideò hæc materiæ primæ deneganda eſt. Ex quibus ſufficienter occurritur omnibus probationibus in fauorem minoris inductis. ¶ Secundò, & faciliùs reſpondetur, quod eſto materia prima habeat ideam diuerſam ab idea compoſiti, & formæ; nihilominùs per illam non repræſentatur factibilis, niſi dependenter à forma. Quapropter ratione rei faciendæ nequit Deus vti idea materiæ, quin ſimul coûtatur idea formæ, & compoſiti: ſicut ob eandem rationem non valet vti idea compoſiti; niſi vtendo ſimul idea materiæ: nimirùm quia, etſi hęc realiter diſtinguantur, habent tamen neceſſariam connexionem quoad fieri, & eſſe.

QVÆSTIO VI.

Vtrum materia prima ſit ingenerabilis, & incorruptibilis.

AD difficultatis intelligentiam, & quęſtionis reſolutionem obſeruandum eſt, quatuor eſſe gradus incorruptibilitatis. *Primus* eſt ſine dependentia ab aliquo extrinſeco: & hic eſt proprius Dei. *Secundus* cum dependentia, ſed à ſolo Deo: qui propriè reperitur in Angelis. Et neutro ex iis modis poteſt materia dici incorruptibilis; cùm dependeat non ſolùm à Deo, ſed etiam à forma, & compoſito. *Tertius* contingit, quando id, quod ex ſe eſt corruptibile, conſeruatur à Deo impediente cauſas corruptionis. Quo pacto dubium non eſt, materiam primam poſſe dici incorruptibilem; ſiquidem liberum eſt Deo conſeruare quamcumque creaturam. *Quartò* dicitur aliquid incorruptibile, quando dependet, non ſolùm à Deo, ſed etiam ab aliis cauſis, quę tamen nequeunt naturaliter impediri: & ideò petit ex natura ſua concurſum Dei, vt continuò conſeruetur. Et in hoc ſenſu dubitamus, an materia prima ſit ingenerabilis, & incorruptibilis.

31 Dicendum eſt, materiam primam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem. Hanc aſſertionem ſtatuit Philoſophus *in hoc lib. capit. 9. textu. 82.* & probat his verbis: *Incorruptibilem, & ingenitam neceſſe eſt ipſam eſſe: ſi enim fiat, ſubijci aliquid oportet primum, ex quo inexiſtente fiat: hoc autem eſt ipſius natura: quare erit antequam fiat.* Idem tradit Angel. Doct. *ibidem, & 1. p. q. 46. art. 1. ad 3.* Et eſt commune Philoſophorum placitum, quos proinde ſuperuacaneum eſſet referre.

Probatur ratione Ariſt. quę poteſt ad hanc formam reduci: quoniam, quod generatur, fit ex præſuppoſito ſubiecto; & quod corrumpit relinquit ſuum *non eſſe* in ſubiecto: eo quod generatio eſt tranſitus de *non eſſe* ad *eſſe* ex præſuppoſito ſubiecto; & corruptio eſt tranſitus de *eſſe* ad *non eſſe*, aliquo permanente ſubiecto: atqui materia prima eſt primum ſubiectum, quod omni generationi, atque corruptioni ſubſternitur: ergo implicat, quod generetur, aut corrumpatur: aliàs eſſet ante ſui productionem, & permaneret poſt deſtructionem ſui. Ad hęc: quod generatur, & corrumpitur habet *eſſe*, & *non eſſet* in ſubiecto: ſed materia non eſt in ſubiecto; cùm ſit ſubiectum primum: ergo non valet generari, & corrumpi.

32 Sed obiicies primò: ſubiectum generationis, & corruptionis denominatur ab eis: ergo eſt, & dicitur generabile, & corruptibile: ſed materia prima ſubiicitur generationi, & corruptioni; ergo generatur, & corrumpitur.

Reſpondetur, quaſdam formas eſſe, quę præciſè reſpiciunt ſubiectum, cui proinde communicant omnem ſuam denominationem, vt contingit v. g. in quantitate; aliàs verò eſſe, quę reſpiciunt non ſolùm ſubiectum, in quo ſunt; ſed etiam terminum, quem producunt: & eę aliam denominationem conferunt ſubiecto, & aliam termino. Vndè cùm generatio, & corruptio, ſint huius poſterioris generis, poſſunt, & debent aliter denominare materiam, & aliter compoſitum; illam enim denominant mutatam, quia verè tranſit à termino *à quo* ad terminum *ad quem*, iſtud verò denominant genitum, aut corruptum, quia eſt, quod nouo incipit, vel deſinit eſſe.

Obiicies ſecundò; ſi materia prima eſſet incorruptibilis, excederet in perfectione compoſitum ſubſtantiale; quandoquidem hoc eſt corruptibile; & entitas incorruptibilis perfectior eſt illa, quę ſubiacet corruptioni; conſequens eſt abſurdum; ergo & antecedens. ¶ Reſpondetur negando ſequelam; quia incorruptibile tunc eſt perfectiùs, quàm corruptibile, quando cętera ſunt paria; quod in præſenti non contingit; nam cùm compoſitum ſit ens completum, & per ſe ſubſiſtens, nequit non materiam, quę eſt pars eiuſdem compoſiti, & exiſtit ratione illius, excedere in perfectione.

Denique obiicies; homo denominatur materialis à materia, quamuis habeat aliam partem ſpiritualem; ergo ſi materia eſt incorruptibilis, potiori iure dicetur homo incorruptibilis; cum aliàs eius forma nequeat ſubiacere corruptioni. ¶ Sed hoc facilè diluitur ob manifeſtam diſparitatem; materiale quippè habet rationem mali; eſſe verò incorruptibile eſt quoddam bonum: vnde cum bonum debeat eſſe ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu, meritò homo denominatur materialis ob vnam partem materialem, & nequit dici incorruptibilis, quamuis vtraque eius pars incorruptibilis ſit. Sufficit enim coniunctionem, ſiue nexum illarum partium eſſe ſeparabilem, & corruptibilem, vt totum eandem ſubeat denominationem: nam hoc ipſo, quod

vnio

Digitized by Google

vnio partium queat reſcindi, iam compoſitum valet abſolutè deficere.

QVÆSTIO VII.

De appetitu materiæ ad formas.

DVplicem appetitum diſtinguunt communiter Philoſophi, innatum videlicet, & elicitum. Ille eſt inclinatio quædam rebus impreſſa, qua in proprium bonum ſuaptè natura, & ſecluſa cognitione, propendunt: qualis eſt inclinatio grauis ad centrum. Iſte verò eſt actus potentiæ appetitiuæ, quo tendimus in bonum apprehenſum per ſenſum, vel intellectum. De quo videatur D. Thom. 1. *p. q.* 19. *art.* 1. *& quæſt.* 61. *ad* 2. In præſenti autem ſupponimus; appetitum elicitum non poſſe conuenire materiæ primæ, cùm ſit incapax cognitionis: ſed dubitamus vtrum habeat appetitum innatum ad formas, & qualis, quotuplexquè ſit hic appetitus.

§. I.

Elucidatur placitum commune.

33 DIcendum eſt, materiam primam habere appetitum naturalem ad formam ſubſtantialem. Hanc aſſertionem docet Ariſtot. *in hoc lib. textu* 82. vbi inquit, *materiam appetere formam, ſicut turpe pulchrum.* Cui ſubſcribunt D. Thom. 1. *p. q.* 59. *art.* 2. & communiter Philoſophi.

Probatur ratione: quia quælibet res fertur appetitu innato, ſiue inclinatione naturali in bonum ſibi proportionatum, & neceſſarium, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 5. *art.* 1. ſed forma ſubſtantialis eſt bonum proportionatum materiæ, eiquè maximè neceſſarium; cùm illi ſpeciem, & exiſtentiam communicet; ergo materia prima tendit in formam appetitu innato. Adde, appetitum eò vehementiorem eſſe, quò appetens habet maiorem perfectionis indigentiam: conſtat autem ex ſupra dictis, quod materia habet maximam indigentiam formæ; ſiquidem non valet abſque illa in rerum natura conſiſtere: vndè nequit non in eam vehementi appetitu ferri.

34 Inquires primò, quid ſit, aut importet hic appetitus materiæ? Reſpondetur, hunc appetitum non importare ſolam entitatem materiæ primæ: alioqui quandiù perſiſteret eadem materia, perſeueraret idem appetitus: quod eſt falſum; quandoquidem materia non tendit in formam, quam ſemel habuit. Importat igitur appetitus iſte materiam primam in recto, connotando tamen in obliquo, tùm formam ſubſtantialem, tùm diſpoſitiones, & actionem agentis, medijs quibus tendit in conſecutionem, aut conſeruationem prædictæ formæ. Eſt enim hic appetitus ordo materiæ ad formam, non quidem ſpeculatiuus, ſed practicus, & reſpiciens executionem. Vndè qua parte importat ordinem, nequit in recto acceptus à materia diſtingui; cùm hæc per ſe ipſam reſpiciat formam, & ad illam ordinetur; qua verò parte hic appetitus eſt practicus, debet connotare agens, & diſpoſitiones ab ea inducendas, medijs quibus executioni mandatur. Et quia variato obliquo in eſſe obliqui, debet etiam variari rectum formaliter in eſſe recti; tametſi in eſſe rei materialiter perſiſtat eodem modo: ideò iuxta diuerſam connotationem formarum, neceſse eſt diuerſos appetitus in materia diſtingui, quamuis hæc ſemper eadem materialiter, & entitatiuè perſeueret, vt magis conſtabit ex dicendis.

35 Inquires ſecundò, quotuplex appetitus in materia diſtinguendus ſit? Reſpondetur ex Doctrina Diui Thom. 1. *p. q.* 19. *art.* 1. quod *quælibet res per ſuam formam naturalem hanc habet habitudinem, vt quando non habet ipſam tendat in eam, & quando habet ipſam, quieſcat in ea; & hæc habitudo ad bonum, in rebus carentibus cognitione vocatur appetitus naturalis.* Appetitus autem tendens in bonum abſens appellatur deſiderium; quando verò fertur in bonum habitum, dicitur complacentia, & fruitio. Vndè in materia debemus admittere duplicem appetitum; videlicet deſiderium, quo tendit in formam nondum habitam; & fruitionem, & complacentiam, qua quieſcit in forma habita, vel reſpicit eam, quam poſſedit. Quæ omnia poſſumus illuſtrare exemplo appetitus eliciti: experimur namquè, quod in rem amatam abſentem, quam apprehendimus vt futuram, propendimus per deſiderium; in illud autem bonum, quod habemus, vel habuimus, tendimus per complacentiam: ergo cùm appetitus innatus dicatur per comparationem, & analogiam ad elicitum, eadem proportione, tàm in materia, quàm in alijs rebus inanimatis diſtinguendus eſt.

Sed obſerua, materiam primam non habere hunc appetitum, niſi reſpectu formarum, quas naturaliter conſequi valet. Et ratio eſt perſpicua: quoniam cùm hic appetitus ſit practicus, & à Deo inditus, nequit tendere in rem, quæ non poſſit conſequi viribus naturæ: aliàs fruſtraneus eſset. Cui doctrinæ minimè contradicit D. Thom. 1. *p. q.* 76. *art.* 1. *ad* 6. vbi docet, animam rationalem ſeparatam à materia habere inclinationem naturalem ad vnionem cum illa. Ex quo videtur colligi, quod etiam ex parte materiæ detur appetitus ad vnionem cum eadem anima; licèt talis vnio ſit impoſſibilis viribus naturæ. Non enim hoc ſequitur: quoniam naturale, & ſupernaturale poteſt ſumi dupliciter: primò abſolutè, & ſimpliciter, vt contingit quando aliquid eſt naturale, aut ſupernaturale, tàm ex parte principij, quàm ex parte termini: quo pacto generatio equi ab equo dicitur naturalis, & ſimiliter productio gratiæ, ſupernaturalis appellatur: Secundo modo poteſt aliquid dici naturale ex parte termini producti; ſupernaturale autem ex parte principij producentis, ſicut illuminatio cæci eſt naturalis ex parte termini, nempè viſus, cum hic ſit quædam entitas naturalis; dicitur verò ſupernaturalis ex parte principij, cùm cauſa, à qua procedit, ſupernaturalis ſit. Et hoc poſteriori modo appetitus animæ ſeparatæ ad corpus appellatur à D. Thom. naturalis, nimirum ex parte termini, eò quod res appetita, nempè vnio, est aliquid entitatiuè naturale; nequit tamen appetitus ille dici naturalis ex parte principij, cùm illa vnio ſolùm poſſit fieri à Deo operante ſupra vires, & exigentiam naturæ: atque ideò cognitio, qua cognoſcitur poſſibilitas reſurrectionis, & ad quam ſequitur ille appetitus, debet eſse entitatiuè ſupernaturalis. Vndè minimè ſequitur, quod ex parte materiæ detur appetitus naturalis ad eam vnionem.

§. II.

Refertur negatiua ſententia.

36 DIuus Iuſtinus Martyr in confut. dogmatum Ariſtot. & Auicenna *lib.* 1. *ſuæ ſufficientiæ cap.* 2. defendunt contrariam noſtræ aſsertioni ſententiam. Quæ poteſt ſuaderi primò: quia ſi materia prima haberet appetitum ad formam, appeteret omnes formas; cùm non ſit maior ratio vnius, quam alterius, & omnes poſſint materiam perficere: ſed materia non habet appeti-

tum

rum ad omnes formas: ergo non appetit formam. Minor probatur: quia appetitus innatus, cùm ſit inditus à Deo, nequit eſſe de re impoſſibili: atqui impoſſibile eſt, quod materia recipiat omnes formas poſſibiles, ſiquidem iſtæ ſunt infinitæ ſyncategorematicè: ergo materia non appetit omnes formas.

Reſpondetur negando minorem: quoniam licèt materia prima nequeat peruenire ad actualem, & vltimatam, vt ſic dicamus, receptionem infinitarum formarum; nihilominùs verè habet potentiam ad recipiendum ſucceſſiuè, & ſyncategorematicè formas infinitas: quandoquidem ex formis poſſibilibus, quæ infinitæ in multitudine ſunt, nulla eſt, quæ non poſſit materiæ communicari. Vndè materiæ appetitus non eſt appellandus fruſtraneus: nam fruſtraneum dicitur, quod non conſequitur ſuum finem, quandò, vbi, & eo modo, quo debet. Materiæ autem non debetur, quod ſit in ſatiato eſſe per formam; ſed ſolùm in ſatiari: quem proinde finem ipſa appetit ſub prædicto modo, dum appetit omnes formas poſſibiles. Cæterùm hunc finem ipſa continuò conſequitur: quandoquidem continuò recipit formas, per quas ſemper eſt in ſatiari, etſi non ſit in ſatiato eſſe.

37 Secundò arguitur: quoniam id, quod appetit aliquid, conatur ad eius conſecutionem; ad hoc enim confertur appetitus naturalis, nempè vt incitamentum ſit, quo ad quærendum bonum pungamur: ſed materia prima non adhibet vllum conatum: ergo non habet appetitum. Minor videtur certa: nam conari eſt agere: materia autem, cùm ſit pura potentia, agere nequit; ſed purè paſſiuè ſe habet: ergo. ¶ Reſpondetur negando minorem: quia ad verum conatum non requiritur aliqua operatio; ſed ſufficit propenſio, & habitudo ad bonum, & aliquis influxus pro eius conſecutione requiſitus. Quæ omnia competunt materiæ primæ; ſiquidem eſt potentia ordinata ad formam, & concurrit ad illius productionem, vel vnionem per modum principij paſſiui: quocircà non debet ex hac parte dictus appetitus ab ea relegari.

38 Tertiò arguitur: nam appetitus naturalis debet eſſe ordinatus, & conformis rectæ rationi, ſiquidem eſt impreſſus ab auctore naturæ, & per eius cognitionem dirigitur: vndè ex vi illius nequit appeti forma imperfectior, cum deſtructione, aut ſeparatione perfectioris: ſed ex noſtra doctrina ſequitur, materiam primam, etiam dùm eſt ſub forma omnium nobiliſſima, nempè anima rationali, appetere alias formas ignobiliores: ergo vel noſtra doctrina eſt falſa, vel talis appetitus non eſt naturalis. ¶ Confirmatur primò: quia minus bonum comparatum maiori habet rationem mali: ergo ſi materia appeteret formas imperfectas cum expoliatione ab anima rationali, appeteret quoddam malum: quod appetitui naturali, vtpotè recto, contradicit. ¶ Confirmatur ſecundò: quia nulla pars appetit appetitu innato deſtructionem totius, cùm pars ex natura rei ordinetur ad totum, ſicut ad finem: ſed ſi materia prima appeteret formam, appeteret deſtructionem totius: ergo nequit habere appetitum ad nouas formas. Minor liquet: quandoquidem nequit haberi noua forma abſque expulſione præcedentis, atque ideò ſine corruptione compoſiti.

Reſpondetur ad argumentum, quod poteſt materia prima citra omnem inordinationem, vel defectum, qui auctori naturæ attribuatur, appetere formas minus perfectas, etiam dùm poſſidet animam rationalem. Et ratio eſt: quia maius bonum eſt reſpectu materiæ, tranſmigrari ab anima rationali ad formas minus perfectas, quàm ſine hoc appetitu poſſidere animam rationalem, à qua aliquandò deſerenda eſt: nam ſi hanc amitteret, & aliam non acquireret, neceſſariò abiret in nihilum, quandoquidem minimè valet abſque omni forma in terum natura conſiſtere. Quarè vt propriæ indigentiæ conuenienter ſubueniat, debet adhuc ſub anima rationali exiſtens in alias formas propendere; à quibus, anima recedente, ſpeciem, & eſſe ſortiatur. Maximè, cùm formæ, quæ ſunt in eſſe entis imperfectiores, quàm anima rationalis, illam poſſint excedere in eſſe formæ, ſeu in vi informandi, ſub qua ratione reſpiciuntur, & appetuntur à materia. Conſtat quippè formas lapidum, & metallorum diuturniores eſſe in actuando materiam, & conſtituere compoſita, quæ minus ſubiacent mutabilitati, & corruptioni, quàm homo per animam rationalem conſtitutus. Anima enim licèt in ſe immortalis ſit, actuat tamen ex natura rei, & informat dependenter à pluribus diſpoſitionibus, quæ de facili alterari queunt, & quibus corruptis, ipſa deſerit materiam. Quapropter conſonum rationi eſt, vt materia prima actuata per animam rationalem habeat appetitum ad alias formas. Per quod etiam patet ad primam confirmationem.

Ad ſecundam dicendum eſt, quod licèt materia prima, quatenùs eſt pars actualis, & particularis huius compoſiti v. g. hominis, non appetat eius corruptionem; attamen quatenùs eſt pars huius vniuerſi, & cauſa materialis omnium generationum, valet optimè appetere, ſaltem ſecundario, deciſionem particularis compoſiti, in quo actu exiſtit. Cuius ratio eſt ſatis manifeſta: quoniam bonum commune, ſeu vniuerſi alijs particularibus præferendum eſt. Porrò ad vniuerſi bonum conducit corruptio huius, & illius compoſiti particularis, cùm mundi pulchritudo ex varijs generationibus, atque corruptionibus reſultet, iuxta illud *Eccleſiaſt.* 1. *Generatio præterit, generatio aduenit.* Quocircà poteſt materia, & debet appetere nouas formas cùm deſitione compoſiti, ſub quo exiſtit. Accedit, compoſita naturalia eſſe ab intrinſeco corruptibilia: & ideò ſi nouæ, & continuæ generationes non ſuccederent, conſequens eſſet, vt per continuas corruptiones res naturales omninò perirent, ac proinde, & pulchritudo vniuerſi. Cui malo occurrit materia appetendo nouas generationes, & formas, etiam cum deſtructione antiquarum.

QVÆSTIO VIII.

An materia ſit prima radix corruptionis.

POſtquam oſtendimus, materiam primam habere appetitum ad formam, meritò inueſtigamus, an, & qualiter ſit radix corruptionis; quoniam hoc poſterius ortum ducit ex illo appetitu. Supponimus autem principia corruptionis eſſe materiam, formam, & priuationem ſiquidem corruptio eſt tranſitus materiæ ab *eſſe* ad *non eſſe*: & conſequenter, tàm materia, quàm forma debent munus radicis erga corruptionem ſortiri. Difficultas verò eſt, an facta comparatione inter materiam, & formam, conceptus radicandi, & inferendi corruptionem materiæ principaliter, & attentis omnibus, debeat attribui.

39 Dicendum eſt, principium radicale corruptionis, & omninò primum eſſe materiam primam, non verò formam ſubſtantialem. Hæc aſſertio deducitur ex Ariſtot. *in hoc lib. cap. vlt.* & D. Thom. 2. *contra gent. cap.* 55. & eſt ſatis communis inter Doctores. Probatur ratione: quoniam illud eſt præcipuum principium radicale corruptionis, cui tanquam radici principaliter attribuitur principium corruptionis proximum: ſed qualitates contrariæ, quibus medijs fit proximè corruptio, potius tribuuntur materiæ, quam formæ: ergo. Probatur minor: tum

Digitized by Google

tùm quia licèt eæ qualitates recipiantur in toto compoſito: attamen prima ratio illas recipiendi non eſt forma, ſed materia: cùm hæc ſit prima potentia, & primum ſubiectum in genere ſubſtantiæ. Tùm etiam, quia licèt forma exigat contrarias qualitates, illas tamen petit, quatenùs conducunt ad eius conſeruationem, aut ornatum; non vero quatenùs afferunt corruptionem: quinimò, ſi poſset, hanc imperfectionem ab illis abijceret, vt ſe perpetuò conſeruaret, & à corrumpentibus tueretur. Vndè accidentia illa ſub munere corrumpendi nequeunt non reduci in materiam, ſicut in primam ſui radicem. Ad hæc: priuatio, quæ maximè ad corruptionem deſideratur, cum ſit terminus, & complementum illius, non ſe tenet ex parte formæ dantis eſse; ſed potiùs ex parte materiæ: ergo licèt vtraque ad corruptionem concurrat; materiæ tamen in hac parte primas concedere neceſsum eſt.

40 Obijcies primò: Ideò materia prima appetit nouam formam, & concurrit ad corruptionem compoſiti, quia non ſatiatur à forma ſub qua exiſtit: ſi namque forma vndequaquè illam ſatiet, minimè appetit aliam formam, vt patet in materia, & forma cœleſtibus: ergo in formam non ſatiantem, vt in primam radicem, corruptio ſubſtantialis reuocanda eſt.

Reſpondetur negando conſequentiam: nam licèt negatio ſatietatis requiratur, vt materia ſit principium corruptionis, nihilominùs munus primariæ radicis potiùs materiæ non ſatiatæ, quàm formæ non ſatianti, debet attribui: Tùm ob rationem dictam. Tùm quia materia ſublunaris ex ſe, atque propriæ naturæ relicta petit non ſatiari per formam, & exigit actus, à quibus aliquando deſeratur: cùm hoc conducat ad perfectionem vniuerſi. Forma autem nec valet, nec debet ſatiare materiam: attamen, quantum eſt ex ſe, minimè propendit in deſtructionem compoſiti, ſed magis illi obluctatur: ſiquidem in proprio eſse ab illius conſeruatione dependet. Tùm, & præcipuè, quia forma concurrit ad corruptionem ſolùm negatiuè, nempè non ſatiando materiam: hæc verò concurrit poſitiuè; videlicet ſuſtentando qualitates contrarias, quatenùs corruptiuæ ſunt, & recipiendo priuationem, per quam corruptio completur. Nomen autem radicis concurſum poſitiuum importare videtur: quocirca in officio corrumpendi materia longo interuallo ſuperat formam.

41 Obijcies ſecundò, quia ſi compoſitum deſtrueretur principaliter ratione materiæ, non poſset non illa eſſe corruptibilis; *nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis* ex Ariſtot. 1. *de Poſterior. analyſ. cap.* 2. conſequens eſt abſurdum, vt conſtat ex dictis *quæſt.* 6. ergo materia prima non eſt principalis radix corruptionis.

¶ Confirmatur primò: quia vnum oppoſitum non eſt radix ſui oppoſiti: ſed materia eſt incorruptibilis: ergo non eſt radix corruptionis. ¶ Confirmatur ſecundò: quoniam vbi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis ex Ariſtot. 1. *Poſterior.* atqui cauſa eſsendi in actu non eſt materia, ſed forma: ergo prima radix non eſsendi, non debet attribui illi, ſed huic.

Reſpondetur, maximam illam ſolùm tenere, quandò poteſt fieri reflexio eiuſdem nominis comparatiui ſupra abſolutum, vt ſi dicas: *Luna eſt lucida propter ſolem: ergo ſol eſt magis lucidus*, benè valet: quia verificatur abſolutum, nimirùm ſolem eſse lucidum. E contra ſi dicas: *Iudex punit reum propter iuſtitiam. ergo magis punit iuſtitiam*, non tenet conſequentia: quia non verificatur abſolutum, nempè, quod puniat iuſtitiam: ſic in præſenti, licèt compoſitum corrumpatur propter materiam, minimè infertur materiam eſse magis corruptibilem: quoniam abſolutè non eſt corruptibilis.

Ad primam confirmationem reſpondetur, materiam non eſse principium corruptionis, quatenùs incorruptibilis eſt; ſed ſub alia ratione, videlicet quatenùs habet priuationem, & appetitum formæ incompoſſibilis cum ea, cui actu ſubeſt. ¶ Ad ſecundam dicendum eſt, negationem, ſeu excluſionem formæ eſse ipſam corruptionem in facto eſſe, radix tamen huius *non eſſe* minimè poteſt eſſe ipſa forma, ſed debet eſſe materia: eo quod recipit in ſe, tùm ipſum *non eſſe*, tùm qualitates corruptiuas, quibus forma præexiſtens corrumpitur.

42 Vltimò oppones: ſi materia ſublunaris reciperet formam cœleſtem, compoſitum inde reſultans eſſet incorruptibile, è contra verò ſi materia cœleſtis actuaretur forma ſublunari: totum ex illis compactum ſubiaceret corruptioni: ergo radix corruptionis non eſt materia, ſed forma. Probatur conſequentia: nam illa eſt cauſa per ſe, & adæquata alicuius effectus, qua poſita ponitur effectus, & ablata aufertur, vt inquit Ariſtot. 1. *Poſterior. cap.* 10. ergo ſi poſita forma corruptibili, ſequitur corruptio, & ablata aufertur, radix eius debet in formam reduci, & non in materiam. ¶ Hæc difficultas propriam ſedem habet in *lib. de Cœlo*. Reſpondetur tamen veroſimiliùs eſſe compoſitum in vno, & altero caſu corruptibile fore, ob maximam improportionem inter partes, ex quibus coaleſceret. Vtrobique autem materia prima radicis titulum vendicaret: cùm ob rationes hactenùs traditas: cùm quia appeteret actum ſibi proprium, & conſequenter machinaretur corruptionem, vel ad minùs ſeparationem extranei. Videatur Iauelus 8. *Metaph. quæſt.* 14.

DISPVTATIO IV.

De forma ſubſtantialis.

POſt notitiam materiæ primæ, quam dedimus *diſputat. præced.* ſtatim occurrit formæ ſubſtantialis cognitio, cui elucidandæ præſens diſputatio deſeruiet, vt ſic eſsentia, tàm compoſiti ſubſtantialis, quàm generationis, cognitis illorum principijs perfectè habeatur.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO I.

An ſit, & quid ſit forma ſubſtantialis.

1 DIcendum eſt primò, dari formas ſubſtantiales. Hæc concluſio eſt Ariſtot. *in hoc lib.* & D. Thom. *opuſc.* 45. adeòque communis inter Philoſophos, vt ſuperuacaneum foret aliquem in particulari referre. Probatur primò ex Concilio Lateran. 3. ſub Leone X. *ſeſſione* 8. *& Clementina vnica de ſumma Trinit.* in quibus definitur, dari animam rationalem, quæ ſit vera forma corporis. Vndè irrefragabile depromitur argumentum: nam ſi in homine datur anima rationalis, quæ ſit vera pars: ergo præter animam, deſignanda eſt alia pars, quæ ſit primum ſubiectum, & pura potentia; aliàs non poterit ex illis reſultare vnum ens per ſe, qualis eſt homo: atqui hæc pars nequit, ſaltem naturaliter, per ſe ſola exiſtere: ergo quandò anima rationalis ſeparatur, informatur alia forma ſubſtantiali denuò adueniente. Cùm igitur eadem ratio inueniatur in corruptione cæterarum formarum, planè infertur poſſibiles eſſe formas ſubſtantiales, & de facto exiſtere.

Confirmatur, quia omnia entia naturalia ſunt certæ, & determinatæ ſpeciei, & inter ſe eſſentialiter diſtinguuntur: ergo datur in eis aliquod principium intrinſecum, & ſubſtantiale, à quo eorum ſpecies deſumatur; quippè cùm euidens ſit, ſpecificationem ſubſtantiæ non poſſe ab accidentibus prouenire: ſed hoc principium ſubſtantiale, nequit eſſe materia; cùm in illa omnia entia naturalia conueniant: ergo deſignandum eſt aliud principium, quod formam ſubſtantialem appellamus.

2 Dicendum eſt ſecundò, eſſentiam formæ conſiſtere in eo, quod ſit *Actus primus corporis*. Nam quemadmodum materia eſt prima potentia ſubſtantiæ corporeæ; ita forma eſt primus actus illius. Quod clariùs apparebit exponendo ſingulas prædictæ definitionis particulas. Per ly *actus* conuenit forma ſubſtantialis cum omni alio actu, & diſtinguitur à materia prima, quæ eſt pura potentia, & nullum actum includit. Per ly *primus* differt, tùm ab actibus accidentalibus, quorum nullus poteſt eſſe primus; ſiquidem aduenit ſubſtantiæ exiſtenti, ac proindè in actu conſtitutæ: tùm etiam ab alijs actibus, vel terminis ſubſtantialibus quales ſunt ſubſiſtentia, & exiſtentia: ij enim ſicut ſupponunt eſſentiam, ita ſupponunt formam ſubſtantialem, per quam illa conſtituitur. Deniquè per li *corporis* denotatur, formam ſubſtantialem eſſe actum incompletum, reſpicientem ex natura ſua aliam compartem, videlicet materiam, atque ordinatum ad conſtitutionem compoſiti. Vndè ſatis diſtinguitur à formis ſeparatis, quales ſunt, ſpiritus Angelici: qui licèt actus ſint, attamen non ordinantur ad corpus. Ex quibus liquet, prædictam definitionem eſſe legitimam, cùm ſatis explicet eſſentiam definiti: & non includat aliquid, quod redundet.

Hinc facilè intelligentur plura nomina, quibus hoc nobile ſubſtantiæ principium ſolet inſigniri. Appellatur enim frequenter *forma*, *mens*, *ratio*, *exemplar*, *character*, *vnum*, *& pulchrum*: quibus titulis eius naturam, & excellentiam aperimus. Nam quia format, & polit ruditatem materiæ, dicitur *forma*: quia eſt quædam diuinæ mentis adumbrata ſimilitudo, vocatur *mens*: quia definitio, & eius partes referuntur ad illam ſicut ad cauſam, appellatur *ratio* ſiue definitio: quia eſt id, quod agens naturale ſibi imitandum proponit, nominatur *exemplar*: quia cuicumque enti imprimitur quaſi nota, per quam ab alijs entibus diſcerni queat, *character* nuncupatur: quia vagam materiæ conditionem ad certam ſpeciem trahit, *vnum* appellata eſt: & deniquè pulchræ, ſiue formoſæ nomenclatura illuſtratur, quia & deformem materiam exornat, & maximam pulchritudinem vniuerſo inuehit; dùm eius partes egregia facie condecorat, & mira varietate diſtinguit.

3 Sed aduerſus hactenus tradita, obijcies primò: proprium accidentis eſt recipi in ſubiecto: ergo ſi forma recipitur in materia, nequit eſſe actus ſubſtantialis. ¶ Secundò: calor, & frigiditas, & aliæ primæ qualitates appellantur ab Ariſtot. formæ ſubſtantiales elementorum: & tamen ſunt actus accidentales: ergo forma non eſt actus ſubſtantialis. ¶ Tertiò: forma non eſt actus carens omni potentialitate; aliàs eſſet actus purus: neque componitur ex actu, & potentia; aliàs non eſſet ſimplicior quam totum: ergo nullo modo eſt actus. ¶ Quartò: ſi forma eſſet actus materiæ, eſſet minùs ſubſtantia, quam materia; ſiquidem ſubſtantia dicitur à ſubſtando, & materia pluribus ſubſtaret, quam forma, cùm ſubſtaret eidem formæ. ¶ Quintò: ſi forma eſſet actus corporis illi communicans vnitatem, & perfectionem, eſſet magis vna, & perfectior, quam compoſitum: nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

Hæc tamen leuioris negotij ſunt, & facilè eliduntur: nam ad primum reſpondetur, actum accidentalem eſſe in ſubiecto non vtcumque, ſed per inhærentiam, & recipiendo *eſſe* ab illo: forma verò ſubſtantialis non eſt actus inhærens; ſed informans, & tribuens eſſe materiæ. ¶ Ad ſecundum dicimus, Ariſtot. loqui de elementis, quatenùs ſenſibilia, & contraria proximè ſunt: quo pacto primæ qualitates meritò dicuntur formæ ſubſtantiales eorum, id eſt, formæ eſſentiales eorum, ſumendo, quod frequenter fit, ſubſtantiam pro eſſentia rei: quoniam prædictæ qualitates ſunt de eſſentia elementorum, quatenùs proximè ſenſibilia, & contraria ſunt. ¶ Ad tertium dicendum, formam ſubſtantialem non eſſe compoſitam ex actu, & potentia phyſicis; ſed eſſe actum ſimplicem. Ex quo non infertur, quod ſit actus purus: hic enim nec componitur, nec ordinatur ad compoſitionem; forma verò reſpicit compoſitum, vt vera pars illius, recipitquè in eo exiſtentiam, & accidentia: quod actui puro repugnat. ¶ Ad quartum negatur ſequela: quia nobilitas ſubſtantiæ non ſumitur à ſubſtando vtcumque; ſed ab actualitate, & modo ſubſtandi: in quo forma longè materiæ præſtat, vt ex ſe liquet. ¶ Ad vltimum dicendum eſt, axioma illud procedere quando, id quod eſt commune cauſæ & effectui, conuenit eis eodem modo: quod minimè verificatur in præſenti; cùm forma ſit vna, & perfecta ſolùm vt *quo*, compoſitum verò eſt vnum, & perfectum, vt *quod*.

QVÆSTIO II.

An forma ſubſtantialis educatur de potentia materiæ.

LEgitima huius difficultatis reſolutio omninò dependet ex perfecta notitia eductionis, & conditionum, quæ ad ipſam requiruntur. Quamobrem opus eſt, naturam eductionis deſcribere, illiusquè conditiones deſignare, priuſquam ad quæſtionis deciſionem accedamus.

§. I.

§. I.

Prælibatur, quid ſit eductio.

4 PRimò ſupponendum eſt, formas, quæ includuntur in materia prima, ſicut in cauſa materiali, propriè dici in eius potentia receptiua contineri: quemadmodum illud, quod poteſt ab efficiente produci, continetur in eius potentia actiua. Et ratio eſt, quia omnis effectus continetur in ſua cauſa, & iuxta modum illius: vndè quia efficiens influit prout eſt in actu; materia autem prout eſt in potentia, meritò effectus dicitur contineri in agente ſicut in potentia actiua; in materia verò ſicut in potentia paſſiua, atque receptiua. Vt autem aliqua forma præcontineatur in materia, ſicut in cauſa, debet habere eſſe ipſi materiæ immerſum, eiquè obligatum: non verò eleuatum ſupra conditiones illius. Forma quippè habens eſſe ſupra conditiones materiæ, etſi poſſit ei communicari; minimè tamen ab illa comprehenditur, vt ex ſe liquet.

Secundò obſerua, tunc formam habere *eſſe* materiæ immerſum, quando nec habet, nec habere poteſt ex natura ſua *eſſe* extra materiam, & ab ipſius influxu independens. Porrò ad dignoſcendum huiuſmodi *eſſe*, attendendum eſt, qualiter forma operetur: nam cùm operari ſequatur ad eſſe, modus operandi debet modo eſſendi reſpondere, & illum manifeſtare. Vndè ſi omnes formæ operationes dependeant à materia, atque exerceantur per organum corporale, prædicta forma nequit non habere *eſſe* materiæ immerſum; ſi verò aliqua formę operatio ſit ſpiritalis, & materiæ non communicans, talis forma neceſſariò eleuatur in ſuo eſſe ſupra conditiones materiæ, in qua proinde non poterit contineri, & comprehendi.

5 Deindè animaduertendum eſt, continentiam hanc formæ in potentia materiæ, quam hactenùs expoſuimus, eſſe indiſpenſabiliter requiſitam, vt forma dicatur educi. Impoſſibile enim eſt aliquid extrahi ex principio, in quo aliquo modo non ſupponitur præcontentum. Sed cùm materia prima ſit pura potentia paſſiua, non poteſt eductio formæ reduci ad exercitium abſque actione agentis, quod formam è gremio materiæ eruat in lucem. Porrò hæc actio debet ſimul attingere formam, & eam ſubiecto communicare, atque vnire: nam cùm forma educibilis in ſuo *eſſe* dependeat à materia, debet pariter in ſuo *fieri* dependere ab illa; ac proinde fieri non ſolùm ex influxu efficientis, ſed etiam ex concurſu materiæ. Influxus autem materiæ nequit non includere vnionem; aliàs materia influeret in formam non vnitam ſibi, quod eſt impoſſibile: quocirca actio eductiua attingit formam vniendo eam ad materiam.

Vndè fit, & benè nota, eductionem importare, ſaltem per ſe loquendo, veram, & realem tranſmutationem materiæ, per quam tranſeat à priuatione ad formam, ex vi ipſius actionis eductiuæ. Quod docet Diu. Thom. 2. *contra Gen. cap.* 86. *&* ratione ſatis manifeſta ſuadetur: quoniam actio eductiua non producit materiam primam; aliàs non foret generatio, ſed creatio, quandoquidem materia ſolùm valet fieri per creationem: ac proinde opus eſt, quod ad eductionem præſupponatur materia per aliam actionem producta. Conſtat autem, materiam primam non poſſe, ſaltem per ſe loquendo terminare propriam actionem: nam fieri ordinatur ad eſſe, quod eſt proprium duntaxat totius compoſiti, & non materiæ, vt liquet ex ſupra dictis. Quamobrem ſi ad eductionem ſupponitur materia producta, neceſſarium etiam eſt, quod præſupponatur exiſtens ſub aliqua forma diuerſa ab illa, quæ per eductionem producitur, & conſequenter ſub reali priuatione illius. Vndè neceſſariò ſequitur, quod cùm ei forma per eductionem communicatur, tranſeat à reali priuatione, ſub qua præexiſtebat, ad formam de nouo eductam; ac proinde quod realiter tranſmutetur. Actio igitur educens formam neceſſariò habet, per ſe loquendò, tranſmutare materiam.

Ex quibus liquet, in quo conſiſtat eductio, & quas exigat conditiones: nam educi formam nihil aliud eſt, quam quod forma contenta in potentia materiæ, fiat exiſtens ex vi actionis tranſmutantis ipſam materiam. Quo ſuppoſito, haud obſcurum erit determinare, quæ formæ educantur, & quæ nòn. Sed vt maiori diſtinctione procedamus, obſeruandum vltimò eſt, formas alias eſſe ſubſtantiales, & alias accidentales. Rurſus formæ ſubſtantiales aliæ conſtituunt corpora ſimplicia, qualia ſunt cœli, & elementa; aliæ conſtituunt corpora mixta, ſeu habentia contrarias qualitates, qualia ſunt homo, equus, arbor, & omnia ſublunaria præter elementa. In præſenti ergo quæſtione, ſolùm agemus de formis mixtorum; de aliis autem in ſequentibus diſputabimus.

§. II.

Stabilitur communis ſententia, & ab impugnationibus vindicatur.

6 DIcendum eſt primò, animam rationalem non educi de potentia materiæ. Hæc concluſio eſt omninò certa, quam tradit D. Thom. 1. *p. q.* 90. *art.* 2. & eam poſſumus breuiter ex prænotatis oſtendere: quoniam forma, quæ nòn præcontinetur in materia, nequit ex eius potentia educi: atqui anima rationalis non præcontinetur in materia, ſed habet eſſe ſupra materiam eleuatum, vt conſtat ex eius operationibus, nempè intelligere, & velle, quæ ſunt purè ſpirituales, cùm in Deo, & Angelis formaliter reperiantur: ergo. Ad hæc: forma, quæ educitur ex materia; producitur, vt illi vnita, atque ideò non fit vt *quod*; ſed ſolùm vt *quo*, & dependenter à toto compoſito: ſed anima rationalis habet eſſe vt *quod*, per ſe ſubſiſtens, & independenter à corpore: ergo non fit per eductionem, ſed ex vi actionis ad eam per ſe terminatæ, videlicet per creationem.

7 Dicendum eſt ſecundò, formas ſubſtantiales aliorum mixtorum præter hominem educi de potentia materiæ. Sic docent communiter Philoſophi, quos proindè non oportet referre. Probatur ratione: quia formam educi eſt produci ex vi actionis tranſmutantis materiam, ac proinde ſupponentis materiam ſub priuatione formæ denuò factæ, quam eidem vnit, & communicat: ſed totum hoc reperitur in productione harum formarum: ergo educuntur. Minor liquet: quoniam in primis materia, antequam fiant mixta, ſupponitur producta ſub formis elementorum: rurſus ex mixtorum formę ſunt materiales, ac proinde contentæ in potentia materiæ, ab eaque in ſuo fieri dependentes: ergo fiunt per actionem materiæ tranſmutatiuam, & ex vi euiſdem tranſmutationis.

8 Sed quamuis iſtæ aſſertiones ſint adeò certæ; nihilominùs aduerſus illas, poteſt argui primò: quoniam nihil poteſt inde educi, vbi priùs non continebatur: ſed formæ ſubſtantiales non continentur in materia: ergo non educuntur ex illa. Minor probatur: tùm quia materia prima eſt pura potentia: ergo nequit includere actum, qualis eſt forma. Tùm quia plures formæ ſubſtantiales ſunt contrariæ, & repugnantes; ergo nequeunt

eſſe

Digitized by Google

eſſe ſimul in potentia materiæ. Tùm denique, quia ex oppoſito fieret, materiam non eſſe entitatem ſimplicem, ſed valdè compoſitam; ſiquidem tot, & adeò diuerſos actus includeret.

Reſpondetur, formas ſubſtantiales non præcontineri in materia prima, tanquam in actu formali, aut virtuali; hæc enim continentia eſt propria cauſæ efficientis: ſed includi in illa, ſicut in pura potentia paſſiua. Contra quam præcontinentiam nulla ex inductis probationibus vrget: non prima, quia etſi materia prima non valeat habere ex ſe actum in actu; benè tamen in potentia; cùm ſit potentia ad habendum actum. Non ſecunda: quoniam licèt formæ oppoſitæ, prout ſunt in actu, habeant mutuam repugnantiam; ſecus autem prout ſunt in potentia: hoc enim modo ſumptæ non diſtinguuntur ab entitate materię, in qua præexiſtunt. Non denique tertia: nam cùm prædictæ formæ non ſint in actu, nec diſtinguantur à materia, nullam queunt facere compoſitionem,

9 Secundò arguitur: quia formæ ſubſtantiales fiunt per creationem: ergo non educuntur. Suadetur antecedens: nam id creatur, quod fit ex nihilo ſui: ſed omnis forma ſubſtantialis fit ex nihilo ſui: ergo creatur. Probatur minor: quoniam ideò forma non fieret ex nihilo ſui, quia fit ex materia: at hoc non obſtat; ſiquidem materia non eſt aliquid intrinſecum formæ; ſed ab illa diſtinguitur adæquatè: ergo forma ſubſtantialis fit ex nihilo ſui. ¶ Confirmatur, & explicatur: nam quod forma præcontineatur in potentia agentis, & inde per actionem extrahatur, non impedit formæ creationem, eò quod fit ex nihilo ſuæ entitatis: ſed forma non præſupponit aliquid ſuæ entitatis in materia: ergo creatur; etſi fuerit præcontenta in potentia illius.

Reſpondetur, formam ſubſtantialem hoc ipſo, quod præcontineatur in potentia materiæ, & ab illa in ſuo fieri, & eſſe dependeat, non poſſe terminare per ſe actionem; ſed neceſſariò, ſaltem naturaliter, comproduci ad productionem compoſiti. Porrò compoſitum ſupponens materiam primam productam per aliam actionem nequit terminare creationem; cùm non fiat ex nihilo, ſed ex materia, quæ eſt intrinſeca pars illius. Vndè formæ materiales non creantur, ſed fiunt per actionem productiuam totius, quæ eſt rigoroſa eductio: quandoquidem attingit formam transmutando materiam, quam pręſupponit. Ceterùm pręcontinentia formę in potentia agentis non impedit, quod habeat *fieri*, & *eſſe*, vt *quod*; & conſequenter, quod poſſit produci independenter, tùm à ſubiecto, tùm à compoſito, proindeque per rigoroſam creationem.

10 Tertio arguitur: nam anima rationalis habet *eſſe* dependens à materia: & tamen non educitur: ergo nulla forma quantumuis materialis ſit, educitur de materia. Probatur maior; tum quia anima non producitur, niſi in materia diſpoſita; quod non poteſt aliundè prouenire, niſi quia in ſuo eſſe dependet ab illa. Tum etiam, quia anima non producitur, niſi vnita materiæ, & exercens rationem formæ: ergo non fit, vt *quod*, ſed tantùm, vt *quo*, & dependenter à toto. Tum denique, quia intimior eſt animæ effectus proprius formalis, quam operatio; quippe cum effectus formalis ſit ipſa forma communicata ſubiecto: ſed anima rationalis dependet in ſuo effectu formali à materia, ſiquidem *eſſe* hominem, qui eſt proprius effectus formalis animę rationalis, omninò à materia dependet: ergo etiam dependet in *operari*, & conſequenter in *eſſe*.

Reſpondetur negando maiorem: & ad primam probationem dicendum, quod licèt anima in ſuo eſſe non dependeat à materia; attamen eſt vera forma corporis: obidquè producitur, vt ſimul cum materia conſtituat vnum ens per ſe. Quamobrem non producitur extra materiam, nec in illa, vſquedum ſit vltimatè diſpoſita, & quaſi exigens, & determinans inſtans, in quo anima illi communicanda eſt. Vndè materia non comparatur ad animam rationalem, vt cauſa materialis, à qua in ſuo *fieri*, & *eſſe* dependeat; ſed duntaxat, ſe habet, vt occaſio exigens animę creationem à Deo. ¶ Ad ſecundam reſpondetur, animam priuſquam vniatur, & exerceat officium formę, produci per propriam actionem, quę illi communicat *eſſe*, vt *quod*. ¶ Ad tertiam concedimus effectum formalem intimiorem eſſe formę, quam eius operationem: nihilominùs ex illo non poteſt colligi, an forma dependeat in ſuo eſſe à materia vel non; ſiquidem hic effectus ſemper inuoluit informationem ipſius materię, atquè ideò non valet ab ea pręſcindere. Cęterùm quando forma eſt talis conditionis, vt poſſit naturaliter ab informatione materiæ abſolui, ſatis liquido deprehenditur prædictam formam in ſuo *eſſe* à materia non dependere; cùm valeat eſſe extra illam; & ita contingit in anima rationali.

QVÆSTIO III.

Vtrum formæ cælorum, & elementorum fuerint eductæ.

EX dictis quæſtione præced. facilè erat colligere deciſionem præſentis difficultatis; illam tamen ſpeciatim agitamus cùm, vt intelligentia eductionis dilucidior habeatur, cùm vt nonnulla Iuniorum argumenta extricemus.

§. I.

Eligitur pars negatiua.

11 DIcendum eſt primò, formas cœlorum non fuiſſe productas per eductionem. Hæc concluſio deſumitur ex ſacra ſcriptura; nam *Geneſis* 1. dicitur; *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Quod teſtimonium, vt benè obſeruat Monteſinus 1. 2. *q.* 112. *diſp.* 32. *num.* 34. de vera, & rigoroſa creatione accipiunt communiter ſancti Patres, à quorum ſenſu recedendum minimè eſt. Tradunt etiam hanc aſſertionem Ariſtot. *in lib. de Cælo*, vbi ſtatuit cœlum eſſe ingenerabile; & D. Thom. 1. *p. q.* 46. *art.* 3. & *q.* 65. *art.* 3. Quos ſequuntur communiter Thomiſtæ, & ex extraneis Suarez. 1. *Metaph. diſp.* 15. *ſect.* 2. cum alijs pluribus.

Probatur ratione primò; quoniam forma cœli comproducta eſt ad productionem totius; ſed cœlum factum eſt per creationem; ergo forma cœli concreata eſt, & non educta. Maior probatur; quia forma cœli eſt materialis; conſtat autem formam materialem, ſaltem per ſe loquendo, & citra miraculum (quo pacto ſupponendum eſt ab omnibus, prima corpora fuiſſe producta; nec enim abſque fundamento oportet ad miracula recurrere) non produci, niſi per *fieri* totius; ſiquidem *fieri* ordinatur ad *eſſe*, & eæ formæ non vendicant *eſſe* proprium; ſed exiſtunt ad exiſtentiam compoſiti; ergo forma cœli comproducta eſt per eandem actionem, qua cœlum eſt productum. Minor autem ſuadetur; tum quia cœlum eſt ingenerabile, & incorruptibile, vt communiter docent Philoſophi; ergo non fit per generationem, ſed per creationem. Tum etiam, quia illud propriè creatur, quod non fit ex præſuppoſito ſubiecto; ſed cœlum non fuit factum ex pręſuppoſito ſubiecto; cùm materia tunc

fuerit primò producta; ergo cœlum factum eſt per rigoroſam creationem.

Reſpondebis, materiam primam cœlorum productam fuiſſe per peculiarem, & ſibi propriam actionem, ac proindè cœlum fieri ex ſubiecto præſuppoſito, ſaltem pro aliquo priori naturę; quod ſatis eſt, ne totum dicatur fieri ex nihilò. ¶ Sed hæc ſolutio facilè refellitur: quoniam licèt materia prima poſſit diuinitùs, & per accidens fieri per actionem ad ſe vnicè terminatam; attamen per ſe loquendo, & attentis naturis rerum) quas in prima productione inuertere non oportuit) nequit fieri, niſi per actionem productiuam totius compoſiti: quandoquidem eius eſt *fieri*, cuius eſt *eſſe*; hoc autem competit per ſe compoſito; ſecùs verò partibus materialibus; ergo materia cœlorum non terminauit propriam actionem; ſed comproducta eſt ad productionem totius.

Vndè magis roboratur noſtra concluſio; quoniam per vnam, & eandem actionem producuntur cœlum, & materia cœli; atqui materia ſolùm poteſt fieri per creationem; cùm nullum præſupponat ſubiectum, ex quo fiat: ergo cœlum fuit creatum; ſed implicat, quod totum ſimpliciter ſit creatum, & quod eius forma ſit educta; ergo formæ cœlorum non fuerunt productæ per eductionem.

12 Secundum, & præcipuum fundamentum noſtræ ſententiæ ſumitur ex dictis *quæſt. praced.* & poteſt ad hanc formam reduci; quoniam formam educi eſt produci per realem tranſmutationem materiæ; ſed in productione formę cœleſtis nulla fuit materię tranſmutatio; ergo forma cœli non fuit producta per eductionem. Suadetur minor; nam ad realem transmutationem materię requiritur, quod tranſeat à priuatione ad formam; atqui materia non tranſiuit à priuatione formę cœli ad illam habendam; ſiquidem in nullo inſtanti fuit abſque omni forma, & forma cœleſtis fuit prima, vt ſupponimus; ergo materia non fuit realiter tranſmutata in productione prædictę formæ.

Occurrunt Aduerſarij huic argumento dicendo, quod licèt materia prima non fuerit in aliquo inſtanti reali ſub priuatione formę cœleſtis, nihilominùs illam habuit pro aliquo priori naturę; quandoquidem pro illo priori, pro quo prçintelligitur ad formam ſubſtantialem, non intelligitur habere formam, ac proindè concipitur ſub formę priuatione. Quod ſatis eſſe putant ad hoc, quod materia tranſeat in eodem inſtanti à priuatione ad formam, & conſequenter, vt traſmutetur. Quoniam etiam in qualibet generatione ſubſtantiali debet in eodem inſtanti dari terminus à *quo*, qui eſt priuatio; conſtat autem, priuationem non eſſe pro toto inſtanti reali; cùm pro illo inſtanti ſit realiter forma; atque ideò videtur ſufficere, quod priuatio ſupponatur pro aliquo priori naturæ.

13 Sed contra: nam eductio realis eſt, ſaltem per ſe loquendo, vera, & realis tranſmutatio materiæ, vt conſtat ex dictis quæſt. præced. ergo importat tranſitum à priuatione reali ad formam: quemadmodum enim mutatio petit tranſitum à priuatione ad formam, & mutatio per intellectum requirit tranſitum à priuatione per intellectum; ita mutatio realis conſiſtit in tranſitu materiæ à priuatione realiter habita ad ipſam formam habendam: atqui materia cœleſtis non fuit realiter ſub priuatione formæ: ergo non eſt realiter tranſmutata in productione prædictæ formæ. Minor liquet; quia implicat, quod ſubiectum ſit in eodem inſtanti reali informatum, & priuatum forma: ſed materia cœli in omni inſtanti reali fuit ſub forma: ergo in nullo inſtanti habuit priuationem eius. ¶ Confirmatur: quia minima duratio realis eſt vnum inſtans temporis: ergo quod non durat ſaltem pro vno inſtanti, non poteſt durare realiter: & conſequenter, quod priuatio præintelligatur pro aliquo priori naturæ, non ſufficit, vt detur priuatio realiter; ſed ſolùm per intellectum, & conſequenter erit inſufficiens ad tranſmutationem realem, qualis in reali eductione debet, per ſe loquendo, interuenire.

Nec illa, quæ pro ſe affert hæc ſolutio, ipſi conferunt præſidium: quoniam licèt materia prima in generatione ſubſtantiali pro aliquo priori intelligatur, ſine forma negatiuè, ideſt non intellecta forma genita; quia materia, quantum eſt de ſe, non habet illam: nunquam tamen in illo inſtanti intelligitur poſitiuè ſub priuatione formæ, quam in eodem inſtanti recipit; ſiquidem nihil eſt deſignabile in eo inſtanti, pro quo forma ſubſtantialis non exiſtat realiter, cum minima duratio ſit vnum inſtans. Terminus autem *à quo* generationis non eſt materia prima prout, quantum eſt de ſe, negatiuè ſe habet ad formas; nam etiam, quandò eſt ſub termino *ad quem* poteſt ſic concipi; ſed eſt priuatio realis formæ, quæ de nouo fit: quam priuationem nequit materia habere in eodem inſtanti, quo gaudet forma. Vndè ad rationem termini *à quo* generationis minimè requiritur, quod ſit in inſtanti intrinſeco generationis; ſed ſufficit, & requiritur, ſaltem per ſe loquendo, quod fuerit in tempore antecedenti.

Ex quibus inferendum, & dicendum eſt ſecundò, formas elementorum in prima ſui productione non educi, ſed creari. Hanc concluſionem docet D. Thom. *locis relatis num.* 11. quam etiam rationes hactenùs factæ ſatis liquidò comprobant: quamobrem in eis explicandis, vel enucleandis alijs non immoramur.

§. II.

Conuelluntur argumenta contraria.

14 Vaſquez, & Molina 1. *p. q.* 45. *art.* 1. cum alijs Modernis, quos refert, & ſequitur Rubio *tractatu* 2. *de forma quæſt.* 2. affirmant, formas cœlorum, atque elementorum fuiſſe productas per eductionem. Pro qua ſententia arguitur primò: quia id, quod fit dependenter à materia, non creatur, ſed educitur; cùm non fiat ex nihilò, ſed ex materia: at formæ cœlorum habuerunt in ſuo *fieri* dependentiam à materia: ergo non fuerunt productæ per creationem, ſed per eductionem. Minor oſtenditur: nam *eſſe*, & *fieri* debent proportionari: ſed formæ cœlorum dependent in *eſſe* à materia; ſiquidem ſunt materiales: ergo etiam habuerunt dependentiam ab ea in ſuo produci.

Reſpondetur, ad eductionem non ſufficere, quod res facta dependeat à materia; ſed requiri, quod pręſupponat materiam factam per diſtinctam actionem, & ſub reali priuatione formæ generandæ, vt ſic detur realis tranſmutatio, qualis ad eductionem per ſe requiritur, quod minimè inuenitur in productione formarum cœleſtium. Itaquè aliud eſt, quod *fieri* terminatiuè ſumptum, ideſt res facta, dependeat ex parte ſua à materia, aliud autem, quod *fieri* actiuè acceptum, ideſt actio producens, dependeat ſaltem concepta per modum tranſeuntis à ſubiecto præſuppoſito in attingentia termini. Primum minimè ſufficit ad eductionem: tùm quia aliàs nullum corpus poſſet, etiam per diuinam potentiam, creari; quandoquidem ex parte ſua dependet à materia. Tùm, quia intellectus Angeli fuit concreatus per creationem terminatam primariò ad eſſentiam (ſuperfluum quippè foret ponere vnam actionem terminatam ad naturam, & alteram ad proprietates: nam qui dat formam, dat conſequētia ad formam) & tamen ipſe intel-

lectus

Digitized by Google

lectus ex parte ſua dependet ab eſſentia, ſicut à ſubiecto, extra quod neq; it, ſaltem naturaliter, fieri, aut exiſtere: ergo quod *fieri* terminatiuè ſumptum dependeat à materia, vel alio ſubiecto, nequaquam impedit creationem, & arguit eductionem. Secundum autem ſufficit, & requiritur; ſed minimè repetitur in productione formæ cœlorum: quoniam actio attingens effectiuè materiam, nequit ab aliquo ſubiecto dependere realiter, vel ex noſtro modo concipiendi; cùm materia prima ſit primum ſubiectum, quod proindè non ſupponit aliud, nec ad ſui productionem ſupponitur productum, vt conſtat ex terminis. Vndè cùm cœli, & eorum formæ terminauerint eandem actionem, per quam creata eſt materia, nequaquam potuerunt ab ea dependere in ſuo *fieri* actiuè ſumpto: atque ideò non fuerunt producta per eductionem, ſed per creationem.

15 Arguitur ſecundò: nam forma cœli producta eſt ad productionem ipſius cœli: ſed hoc non fuit creatum: ergo nec forma. Suadetur minor: nam creatio eſt productio rei ex nihilò: at cœlum non fuit productum ex nihilo, ſed ex ſuis partibus; cùm vnumquodque fiat ex iis, ex quibus intrinſecè conſtituitur: ergo cœlum non fuit productum per creationem, ſed alio modo.

Reſpondetur negando minorem, ad cuius probatiotionem dicendum eſt, contra rationem creationis eſſe, quod compoſitum fiat ex partibus præſuppoſitis pro aliquo inſtanti reali, & productis per actionem diuerſam: minimè tamen obſiſtere veræ creationi, quod compoſitum coaleſcat ex partibus, cum quibus producitur in eodem inſtanti, & per eandem actionem. Nam hoc ipſo, quod eadem actio ſimul efficiat partes, & totum, nequit non habere pro termino *à quo* ipſum nihil, & conſequenter eſt rigoroſa creatio, & denominat terminum ad *quem* creatum. Quocircà cœli, & elementa, quæ hoc pacto terminarunt ſui productionem, non ſunt genita, ſed creata; licèt ex parte rei factæ à ſuis partibus dependeant. Et ſi argumentum conuinceret, probaret vtique, Deum non poſſe aliquod compoſitum creare; quod incredibile eſt, & ſatis durum.

16 Tertiò arguitur: quoniam forma materialis, quæ fit per actionem diuerſam, ac materia, non creatur, ſed educitur; ſiquidem dependet in ſuo fieri ab illa, ſicut à ſubiecto præſuppoſito: atqui formæ elementorum in ſua prima productione factæ ſunt per actionem diſtinctam, ac illorum materia: ergo fuerunt eductæ. Probatur minor: quia actio, quæ produxit illam materiam, modo perſeuerat illam conſeruando, cùm conſeruatio ſit continuata productio; actio verò, quæ effecit elementorum formas, ceſſauit, cùm ipſę formę, ſaltem ſecundum partes defecerint: conſtat autem non poſſe eandem actionem perſiſtere, & ceſſare: ergo materia, & formę elementorum productę fuerunt actionibus diuerſis.

Reſpondetur negando minorem, cuius probatio non vrget: quia ſi loquamur de tota materia, & de tota forma alicuius elementi v. g. terrę, ſicut per eandem actionem attingentem compoſitum fuerunt in principio productę, ſic per eandem actionem conſeruatiuam totius, modò conſeruantur in eſſe: ſi autem ſermo fiat de illis partibus formę elementaris, quę propter actionem contrarij, corrumpuntur; dicendum eſt, quod ſicut iſtę partes pereunt, ita materia prima, quę illis ſubſtabat, deſinit conſeruari per actionem antiquam, per quam, dùm erat ſub forma elementi, conſeruabatur: quoniam materia prima, nec fit, nec conſeruatur, ſaltem per ſe loquendo, niſi ad fieri, & conſeruari totius compoſiti, cuius actu eſt pars. Nec tamen ſequitur, quod prędicta materia abeat in nihilum: quoniam conſeruatur per actionem, quę compoſito denuò genito communicat exiſtentiam; ſiquidem partes debent conſeruari per actionem conſeruatiuam totius. Huiuſmodi autem actio non eſt propria agentis particularis; cùm iſtud nequeat materiam primam producere, vel exiſtentiam toti compoſito, vt cauſa præcipua communicare: ſed eſt actio propria Dei, à quo tanquam à cauſa principali *eſſe*, & *conſeruari* rerum dependet.

Nec inferas (vt ſic tacitam obiectionem hic inſurgentem præoccupemus) ex eo, quod partes elementi ſint generabiles, & corruptibiles, totum elementorum eſſe etiam generabile, & corruptibile, atque ideò productum fuiſſe per generationem. Quoniam elementa ex natura ſua habent eſſe prima corpora, & principales partes huius vniuerſi, atque inſuper habent eſſe id, ex quò mixta producuntur. Vndè ex natura ſua petunt ſecundùm ſe tota non corrumpi, ne diſſoluatur harmonia mundi: & petunt corrumpi, ſecundùm aliquas partes, vt detur generatio mixtorum. Quapropter etſi totum elementum, & partes eius ſint eiuſdem rationis in eſſe rei; ſecùs verò in modo productionis, & deſitionis, ob ſpecialem rationem, quæ in iis corporibus inuenitur. Et ideò non infertur, elementum productum fuiſſe per eductionem: quia ad hoc requirebatur illud eſſe ex natura ſua corruptibile, & generabile ſecundùm ſe totum: quod falſum eſſe liquet ex dictis. Imò verò nulla elementi pars fuit tunc producta per eductionem: quamuis enim partes elementales ſeorſim ſumptæ ſint generabiles, & corruptibiles; attamen non terminarunt primam ſui productionem, niſi ratione totius elementi, & quatenùs ſtabant ſub illo: atque ideò productæ fuerunt per creationem, ſicut totum.

17 Vltimò poſſumus arguere in fauorem huius ſententiæ: quia ad veram generationem non requiritur tranſmutatio materiæ: ergo ex eo, quod formæ cœlorum fuerint productæ abſque materiæ tranſmutatione, minimè infertur non fuiſſe eductas. Antecedens oſtenditur: quoniam, cùm corruptis ſpeciebus ſacramentalibus, producuntur vermes, talis productio eſt vera eductio, & generatio, eò quod agens naturale, à quo fit, nequit creare, ſed tantùm educere: atqui ibidem non interuenit mutatio materiæ, ſiquidem non habuit priuationem formæ, ſed eam in primo inſtanti recepit; ergo non eſt de conceptu generationis, quod ſit tranſmutatio. ¶ Et confirmatur; nam gratia Angelorum fuit producta per eductionem; & tamen in eius productione non fuit tranſmutatio; ergo ex eo, quod in productione formarum cœleſtium non interuenerit tranſmutatio materiæ, non rectè denegatur eductio. Minor conſtat; quia Angeli non habuerunt in vllo inſtanti priuationem gratiæ, ſed illam receperunt in primo inſtanti ſuæ creationis, iuxta illud Auguſtini; *Et erat Deus in illis condens naturam, & largiens gratiam*: ergo habuerunt illam abſque tranſmutatione; hæc quippè petit tranſitum à priuatione ad formam.

Reſpondetur ad argumentum admittendo, quod poſſit per accidens, & pręſuppoſito miraculo, dari generatio ſubſtantialis, quin importet actualem, & exercitam tranſmutationem materię, vt contingit in generatione vermium ex ſpeciebus ſacramentalibus. Nam cùm materia panis fuerit conuerſa in corpus Chriſti domini; & aliàs quantitas, quæ potuit ſuſtinere alterationem ab agente naturali inductam, nequeat in ſe recipere formam ſubſtantialem ab eodem agente inducendam; fit, quod in inſtanti corruptionis ſpecierum producatur à Deo nuda entitas materię primę, vt in eodem inſtanti educatur ex illa forma vermis ab agente naturali. Quapropter non interuenit ibi tranſmutatio exercita; quandoquidem ante illud inſtans non fuit materia, & in illo inſtanti habet formam. Cęterùm totum hoc contingit per accidens, & ratione pręſuppoſiti miraculi, nempè

ob abſentiam ſubſtantiæ panis, quę, per se loquendo, debebat eſſe subiectum *quod* totius alterationis antecedentis; cuius proindè materia prçexiſteret toto illo tempore ſub priuatione formę educendę, eamquè in inſtanti generationis aſſequeretur cum actuali ſui tranſmutatione. Conſtat enim, vt iam *ſuprà* expendimus *num* 5 quod actio educens formam ſupponit ſubiectum eius productum per actionem diſtinctam: & cùm materia prima, per ſe loquendo, & attentis naturis rerum, nequeat fieri per actionem ad ſe vnicè terminatam; ſed fiat per actionem productiuam totius compoſiti, cuius proprium eſt *fieri*, ſicut & *eſſe*: opus eſt ad generationem, quod per ſe loquendo, ſupponatur materia exiſtens ſub alia forma, & per conſequens ſub priuatione formæ generandæ; ac proinde quod in eductione iſtius interueniat, per ſe loquendo, vera, & exercita tranſmutatio. Deus autem in prima rerum conditione non inuertit ordinem naturæ: & idcircò ſi in productione formarum cœleſtium non fuit tranſmutatio, meritò colligimus non fuiſſe factas per eductionem: iſtam quippè tranſmutatio materiæ naturaliter, & per ſe loquendo indiuiduè comitatur.

Vndè ſatis conſtat ad confirmationem: quoniam eſſentia Angeli, quæ ad eius gratiam ſupponitur, poteſt, per ſe loquendo, terminare actionem propriam, & exiſtere ſub gratiæ priuatione: quod autem gratia in primo Angeli inſtanti producta fuerit, & conſequenter, quod non præceſſerit eius priuatio, nec ibi interuenerit tranſmutatio, fuit per accidens, & ex diſpoſitione diuina: poſſet enim æquè benè fieri gratia poſt illud inſtans. Quamobrem etſi illa gratiæ productio non fuerit tranſmutatio, fuit tamen ex ſe actio tranſmutatiua, & idcircò ſortitur naturam eductionis. Productio autem formarum cœleſtium non fuit actu, nec aptitudine tranſmutatio materiæ: quoniam ab intrinſeco petit, quod materia non fuerit ſub alia forma, & quod non fuerit producta per propriam actionem: vnde nequit habere naturam eductionis.

QVÆSTIO IV.

An formæ accidentales educantur de potentia ſubiecti.

18 PRiuſquam ad deciſionem præſentis difficultatis accedamus, obſeruandum eſt, formas accidentales eſſe in multiplici differentia: quædam enim ſunt *connaturales* ſubiecto, & iſtæ iterùm bipartiuntur. Nam formæ accidentales connaturales, aliæ petunt fieri in eodem inſtanti, ac earum ſubiectum, & per eandem actionem: & huiuſmodi ſunt propriæ paſſiones, vt ſe habet intellectus reſpectu animæ; aliæ verò id non exigunt neceſſariò, & per ſe; licèt aliàs hæc ſimultas eis non repugnet: & eæ dicuntur accidentia communia, vt color reſpectu hominis. Deindè dantur formæ accidentales *violentæ*, quæ nimirùm ab extrinſeco agente imprimuntur ſubiecto contra eius inclinationem: quo pacto ſe habet calor reſpectu aquæ. Aliæ prætereà ſunt formæ *artificiales*, eæ videlicet, quarum principium eſt ars, vt forma cathedræ reſpectu ligni. Deniquè aliæ ſunt formæ *ſupernaturales*, nempè, quę ſolum ab agente ſupernaturali produci poſſunt, vt gratia ſanctificans, charitas, &c. Vndè per reſpectum ad has formas, & actus diuerſæ potentiæ, ſiue capacitates diſtingnendæ ſunt in ſubſtantia: ſiuè ſint virtualiter diuerſæ, ſiuè ſolùm importent diuerſas eiuſdem potentiæ terminationes: id tamen parum refert ad deciſionem præſentis difficultatis. Quam ideò in particulari diſcutimus, vt eductionis perfectior notitia habeatur.

§. I.

Aperitur veritas duabus aſſertionibus.

19 DIcendum eſt primò, accidentia connaturalia ſubiecto, quæ eius eſſentiam in inſtanti ſuæ productionis comitantur, comproduci per actionem productiuam totius: & conſequenter coëduci, ſi totum producatur per generationem, & concreari, ſi per creationem fiat. Hæc concluſio eſt communis inter Thomiſtas, & ſuadetur breuiter: quoniam qui dat formam, dat per eandem actionem conſequentia ad formam: atqui huiuſmodi accidentia conſequuntur per ſe ad eſſentiam, ſiue ſubiectum: ergo producuntur ad productionem illius: ergo ſi illud generatur, fiunt per eductionem, & cùm creatur, producuntur per creationem.

Confirmatur, & explicatur: nam cùm ſubiectum eſt priuatum forma, eo ipſo eſt conſequenter priuatum omnibus accidentibus, quæ ad illam formam conſequuntur: ergo quando forma fit ex ſui priuatione, pariter eius accidentia debent fieri ex priuatione, & per conſequens educi: ſi verò forma non educatur, non poterunt educi accidentia, quæ illam per ſe comitantur: atquè ideò huiuſmodi accidentia coëducuntur, vel concreantur ad eductionem & creationem formæ, vel ſubiecti, quæ præſupponunt, & quibus in primo inſtanti connaturaliter inſunt.

20 Nec refert ſi obijcies, ſubiectum formę v. g. equi eſſe ſolam materiam primam, quæ præceſſit tempore ipſam formam, & fuit ſub priuatione illius; ſubiectum autem proprietatum equi eſſe ipſum equum, qui non præcedit tempore ſuas proprietates, nec priuationem illarum habuit: ergo licèt forma educatur, non rectè infertur, proprietates eius educi. Patet conſequentia: quia ad eductionem requiritur, quod in ſubiecto præceſſerit priuatio eius, quod educitur. ¶ Reſpondetur enim, quod etſi ſubiectum immediatum horum accidentium non ſit ſola materia; attamen compoſitum, cui immediatè inhærent, integratur ex materia prima, ſicut ex parte intrinſeca, & eſſentiali; in qua ſimul cum priuatione formæ ſubſtantialis prçexiſtit, ſaltem radicaliter, priuatio horum accidentium. Quod ſatis eſt, nè dicantur fieri ex nihilo, ſed potius ex ſubiecto, ſaltem partiali, & per tranſmutationem illius. Maximè quia cùm hęc accidentia non terminent propriam actionem, ſed comproducantur cum toto; ſi iſtud fit per generationem, nequeunt illa creari, ſed coëducuntur.

21 Dicendum eſt ſecundò, alias formas accidentales, quæ non nectuntur per ſe cum ſubiecto in primo inſtanti, fieri per eductionem; quamuis contingat quod in eodem inſtanti producantur. Deducitur hæc concluſio ex D. Thom *quaſi vnica de virtutibus art.* 10. *ad* 13. & eſt communior inter Philoſophos. Probatur ratione: quia forma, quę fit ex ſubiecto producto per diſtinctam actionem, & prçſuppoſito in aliquo priori *in quo*, fit per eductionem: atqui prædictę formæ accidentales ſunt huiuſmodi: ergo non creantur, ſed ſemper educuntur. Minor ſuadetur: quoniam eæ formę non debentur ſubiecto in prima ſui productione: ergo non fiunt ex vi eiuſdem actionis, & per conſequens ſupponunt illud factum per aliam actionem, & quantum eſt de se, in alio tempore productum; licèt per accidens in eodem inſtanti communicentur illi.

Confirmatur: nam illa forma educitur, quę fit ex vi actionis ex natura ſua tranſmutatiuę, id eſt, quę poteſt

subie-

Digitized by Google

ſubiectum tranſmutare; licèt per accidens nullam tranſmutationem inducat; quippè talis actio nequit eſſe creatio, cùm hęc ab intrinſeco excludat omne ſubiectum, ex quo producat, & quod tranſmutet: atqui omnes iſtę formę accidentales producuntur per actionem tranſmutatiuam ſubiecti: ergo educuntur. Minor liquet: quia actio productiua harum formarum omninò contingentium, & conuenientium accidentaliter ſubiecto, ſupponit ipſum ſubiectum productum: & non habet neceſſariam cum illo connexionem: ergo, quantum eſt de ſe, poteſt illud realiter tranſmutare, quamuis per accidens non inferat in exercitio tranſmutationem; eò quod produxit contingentèr formam in primo inſtanti ſubiecti.

Vbi obſerua diſcrimen inter eductionem formę ſubſtantialis, & accidentalis. Nam materia prima, quæ eſt ſubiectum formę ſubſtantialis, nequit ſe ſola, naturaliter loquendo, produci per propriam actionem; ſed fit ad productionem compoſiti. Vndè cùm ſubiectum eductionis debeat ſupponi productum per actionem diſtinctam, opus eſt, quod materia ſupponatur ad eductionem exiſtens ſub alia forma, & conſequenter ſub priuatione formę educendę. Quamobrem debet dari, vel pręſupponi miraculum quoties non interuenit actualis, & exercita tranſmutatio materię in eductione formę ſubſtantialis, vt conſtat ex ſupra dictis. Cęterùm ſubiectum formæ accidentalis poteſt per ſe terminare propriam actionem, & productio prædictæ formæ poteſt citrà omne miraculum coniungi per accidens cum productione ſubiecti in eodem inſtanti: quamuis id non exigat per ſe. Vndè licèt eductio huius formæ ſit, quantum eſt de ſe, actio tranſmutatiua; attamen non eſt miraculum, quod actu non inducat tranſmutationem: quoniam ſicut non petit exerceri in eodem inſtanti, ita nec repugnat ei, quod exerceatur: ſed vtrumque accidit illi. Hoc tamen ſufficit, ne ſit creatio: hæc quippè, nec tranſmutat, nec valet tranſmutare.

§. I.

Proponitur opinio contraria.

22 OPpoſita ſententia tenens, ſolas formas accidentales connaturales ſubiecto produci per eductionem; ſecùs autem accidentia artificialia, ſupernaturalia, & violenta, tribuitur *Ægidio in 2. diſt. 3. q.* 2. Soncin. 7. *Metaph. qu.* 8. *&* alij. Poteſtquè ſuaderi primò: quoniam vt aliquid educatur de potentia ſubiecti, debet in eo præcontineri, ſicut in cauſa: ſed hæc præcontinentia ſolùm conuenit formis naturalibus; & non alijs: ergo illæ, & non iſtæ producuntur per eductionem. Probatur minor: nam cauſa naturaliter inclinatur ad effectus, quos continet, & ideò habet appetitum naturalem cauſandi illos: at ſubſtantiæ non ineſt inclinatio naturalis ad formas ſupernaturales, artificiales, & violentas; benè autem ad formas ſibi connaturales, vt ſatis ex ſe conſtat: ergo iſtæ, & non illæ præcontinentur in ſubiecto, ſicut in cauſa.

Reſpondetur negando minorem, ad cuius probationem dicendum eſt, cauſam materialem non inclinari in omnes effectus, quos continet, ſed ſolùm in eos, qui ſibi ſunt connaturales: certum quippè eſt, calorem receptum in aqua (& idem eſt de alijs formis violentis) dependere naturaliter à ſubiecto, tanquam à cauſa materiali, cùm illi inhæreat, & ab eo *eſſe*, atquè indiuiduationem accipiat; & tamen eſt contra inclinationem eiuſdem ſubiecti, ſeu materiæ.

Replicabis: quia forma non educitur de ſubiecto, quod nullum adhibet influxum, aut conatum ad eductionem: atqui ſubiectum non influit, nec conatur ad productionem formæ violentæ; ſed potiùs obſiſtit: ergo forma violenta nequit educi. § Sed hoc nihil eſt: quamuis enim ſubiectum formæ violentæ non adhibeat influxum ſpontaneum, & connaturalem ad productionem illius: attamen virtute agentis ſuperioris, & ſuperantis reſiſtentiam paſſi compellitur ad præſtandum concurſum coactum, & violentum. Conſiſtitquè prædictus concurſus in eo, quod non obſtante inclinatione ad aliquam formam, recipiat, & ſuſtentet formam contrariam, & ſibi diſſonam.

23 Secundò arguitur: quoniam gratiæ, & aliæ formæ ſupernaturales non educuntur de potentia ſubiecti: ergo ſolæ formæ connaturales ſubiecto producuntur per eductionem. Antecedens ſuadetur primò: quia forma educibilis ex aliquo ſubiecto nequit eſſe ſuperioris ordinis, quàm ſubiectum; aliàs non poterit in eo præcontineri: atqui gratia eſt ordinis ſuperioris, & diuini, ſubiectum verò eſt ordinis naturalis: ergo non valet ex illius potentia educi. *Secundò*: quia forma incorruptibilis eſt etiam ingenerabilis, & ineducibilis: ſed gratia, ex ſe eſt incorruptibilis; cùm ſit eiuſdem ſpeciei cum gratia Beatorum, quam certum eſt corruptioni nullatenus ſubiacere, ergo gratia eſt improducibilis per eductionem. *Tertiò*: nam productio gratiæ appellatur in diuinis litteris creatio, iuxta illud Pſalm. *Cor mundum crea in me Deus*: conſtat autem creationem opponi eductioni: ergo. *Quartò*, & vltimò: quoniam id, quod infunditur ſubiecto, non extrahitur ab illo, nec educitur ex eius potentia: ſed gratia, & alia dona ſupernaturalia infunduntur à Deo, vt docet Trident. *ſeſſ.* 9. *de Iuſtificat. cap.* 7. ergo prædictæ formæ non educuntur. Vndè efformari poteſt generale argumentum in fauorem huius ſententiæ: quia formæ ſupernaturales dependent in eſſe, & fieri à ſubiecto, cùm accidentales ſint: ergo ſi non educuntur, ideò eſt, quia non ſunt eidem connaturales; ſed eadem ratio militat in alijs formis; nempè artificialibus, & violentis; ergo nulla ex iis formis educitur, ſed ſolùm illæ, quæ ſunt connaturales ſubiecto.

Reſpondetur negando antecedens; & ad primam eius probationem dicendum eſt, duplicem potentiam in ſubiecto diſtinguendam fore, videlicet naturalem, & obedientialem. Illa eſt, quę reſpicit formas naturales, & ſubditur agenti naturali; iſta verò ordinatur ad perfectiones ſupernaturales, quas per ſubiectionem ad agens ſupernaturale conſequi poteſt. Et quamuìs hæc potentia entitatiuè, & ex parte ſubiecti ſit naturalis (circa quod modo præſcindendum eſt) attamen eſt ſupernaturalis terminatiuè, eo quod reſpicit terminum ſupernaturalem. Quod ſatis eſt, vt dicatur, & ſit vtcumquè ſupernaturalis; quoniam ratio potentiæ non conſiſtit in entitate abſolutè accepta; ſed reſpectiuè ſumpta, per ordinem videlicet ad proprium actum, & agens, cui ſubiicitur. De quo videndus eſt Caiet. *tom.* 3 *Opuſc. tract.* 3. *q.* 2. Quia ergo gratia non recipitur in creatura ratione potentiæ naturalis, ſed ratione potentię obedientialis; poteſt optimè, licèt ſit ſuperioris ordinis, in hac potentia pręcontineri, & conſequenter ex illa educi. Etſi enim id, quod continetur in alio, ſicut in cauſa efficiente principali, non poſſit eſſe ordinis ſuperioris ad illud; nihilominùs poteſt forma contineri in alio, ſicut in cauſa materiali, quamuis ſit ordinis ſuperioris, ſi ſubiecto inſit potentia obedientialis ad talem formam. Hæc quippè potentia ingreditur ordinem ſupernaturalem, & pertinet ſaltem inchoatiuè ad illum: quod ſatis, ſuperque eſt ad continentiam in genere cauſę materialis, quæ omnium imperfectiſſima eſt.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, gratiam, tàm viæ, quam patriæ eſſe ex parte ſua, & quantum eſt de ſe incorruptibilem; cùm hoc tamen diſcrimine, quod gratia viæ poteſt citra miraculum corrumpi; ſecus verò gratia patriæ. Quoniam eſſe formæ accidentalis dependet à ſubiecto, & à modo, quo recipitur, atque ab eo participatur: gratia autem viæ non dominatur voluntati plenè, & perfectè, atque ideò recipitur amiſſibiliter, & poteſt corrumpi; gratia verò Beatorum habet perfectum dominium ſupra eorum voluntates, & idcircò eſt incorruptibilis ſimpliciter. Vna tamen, & altera producitur per eductionem: quia ad hoc ſatis eſt, quod caſu, quo deſtruantur, habeant *non eſſe* in ſubiecto, & deſinant per corruptionem.

24 Pro cuius intelligentia obſerua; quod dupliciter poteſt aliquid dici incorruptibile: vno modo ita, quod etſi Deus voluerit illud ampliùs non conſeruare, nihilominùs non reſoluatur in aliquod ſubiectum, nec relinquat aliquid ſui, ſed omninò abeat in nihilum: quo pacto ſe habent Angelus, & materia prima. Et quod hoc modo eſt incorruptibile, eſt etiam ingenerabile, & ineducibile; cùm nullum ſubiectum præſupponat, vt ex ſe liquet. Secundò dicitur aliquid incorruptibile, quia relictum ſuæ naturæ perpetuo durat; at ſi Deus voluerit illud non conſeruare, tunc reſoluitur in aliquod ſubiectum, à quo dependet, & relinquit ſuum *non eſſe* in illo. Et quod hac ratione vocatur incorruptibile, deſinit per corruptionem propriè dictam; non verò per annihilationem: atque ideò debet etiam per generationem, ſiue eductionem produci. Gratia autem ſolùm hac poſteriori incorruptibilitate gaudet: & ideò non creatur, ſed educitur.

Tertia probatio facilè diluitur: nam productio gratiæ vocatur creatio, non phyſicè; ſed moraliter: quoniam ſicut creatio fit non ex præſuppoſito ſubiecto, ita gratia non confertur ex meritis præſuppoſitis. ¶ Ad vltimam dicendum eſt, quod ideò gratia, & alia dona ſupernaturalia dicuntur infundi, quia non continentur in potentia naturali ſubiecti; ſed ſolùm in obedientiali: nec indè poſſunt extrahi viribus agentis naturalis, ſed tantùm virtute Dei, vt agentis ſupra omnem exigentiam ſubiecti, atque naturæ.

QVÆSTIO V.

Vtrum poſſint plures formæ ſubſtantiales informare eandem materiam, & vna plures materias.

DVas formas ſubſtantiales dantes ſpeciem atomam non poſſe naturaliter vniri eidem materiæ, traditur communiter à Philoſophis, & à nobis ſupponitur in præſenti: quod ſatis atteſtatur corruptio formæ præexiſtentis ad introductionem alterius. Quarè ſolùm reuocamus in dubium, an poſſint ſaltem per diuinam potentiam in eadem materia coniungi? Cui difficultati aliam annectimus ſatis affinem, videlicet vtrum poſſit eadem forma actuare materias numero diuerſas?

§. I.

Deciſio prioris difficultatis.

25 DIcendum eſt primò, implicare contradictionem, quod duæ formæ ſubſtantiales informent eandem portionem materiæ. *Sic docet D. Thom. 1. p. q. 76. art. 3. & 4. & quodlib. 11. art. 6.* vbi inquit: *Impoſſibile eſt in vno, & eodem eſſe plures formas ſubſtantiales.* Angelico Doctori ſubſcribunt communiter eius diſcipuli.

Fundamentum eſt: quoniam repugnat, quod poſita forma, & eius cauſalitate, non ponatur effectus illius: ſed vna forma per ſuam entitatem eſt cauſa expulſionis alterius formæ, atque informatio actualis eſt propria eius cauſalitas: ergo implicat, quod duæ formæ ſubſtantiales ſimul actuent eandem numero materiam; ſed opus eſt, quod vna per ſui exhibitionem expellat alteram. Minor, & conſequentia conſtant, & maior etiam liquet: nam licèt, poſita virtute, & omnibus requiſitis ad actum primum pertinentibus, poſſit Deus impedire effectum, quatenùs ſuſpendit cauſalitatem, & exercitium cauſæ; attamen poſita cauſalitate, impoſſibile eſt, quod non ponatur effectus, vt conſtat in cauſa efficiente: inintelligibile quippè eſt, quod agens agat, & quod aliquid non fiat: ergo repugnat, quod poſita forma, & eius cauſalitate, ſuſpendatur illius effectus.

Reſpondebis, maiorem eſſe veram, ſi intelligatur de effectu primario formæ; ſecùs autem vniuerſaliter intellectam, & pro omni effectu ſecundario: conſtat enim, quod poſita anima Chriſti domini, atque informatione illius, impeditum eſt, ne reſultaret ſubſiſtentia, quæ eſt effectus ſecundarius formæ, & in cuius locum diuina ſubſiſtentia ſuffecta eſt. Expulſio autem præexiſtentis formæ eſt ad ſummum effectus ſecundarius formæ denuò vnitæ; tùm quia prius eſt, quod forma informet materiam, quam quod expellat ab ea aliam formam: tùm quia corruptio, & expulſio formæ non intenditur per ſe à natura. Quocircà poterit prædicta expulſio diuinitùs impediri, ſicut alij effectus ſecundarij.

Sed contra arguitur, & aperitur vis noſtræ rationis: quia implicat, quod forma ſubſtantialis communicet materiæ ſuum effectum formalem primarium, ſi ſimul, & ſemèl eadem materia informatur per aliam formam; atqui implicat, formam vniri materiæ, & non communicare illi effectum formalem primarium, vt hæc etiam reſponſio admittit: ergo repugnat, quod forma vniatur materiæ in conſortio alterius formæ ſubſtantialis: & conſequenter implicat duas formas ſimul eſſe in eadem numero materia. Suadetur maior: quoniam in effectu primario formæ ſubſtantialis eſſentialiter clauditur, quod ſit actus primus materiæ; ſiquidem effectus primarius formæ intrinſecè importat ipſam formam, quæ per ſuammet entitatem confert materiæ actualitatem ſimpliciter primam: conſtat autem eſſe contra rationem actus primi, quod alium actum in materia ſupponat; cùm primum in aliqua linea non admittat aliud primum in eadem linea; vt patet in materia prima, quæ quia eſt ſubiectum primum, excludit aliud ſubiectum: ergo nequit forma ſubſtantialis in conſortio alterius formæ ſubſtantialis, communicare materiæ ſuum effectum proprium, & primarium.

26 Confirmatur, & explicatur primò: nam de ratione formæ ſubſtantialis eſt, quod conferat materiæ *eſſe* ſimpliciter: ſed implicat, quod forma communicet *eſſe* ſimpliciter materiæ actuatæ per aliam formam: ergo non eſt poſſibilis coniunctio duarum formarum ſubſtantialium in eadem numero materia. Maior liquet: quia in hoc diſtinguitur forma ſubſtantialis ab accidentali, quod illa dat *eſſe* abſolutè, & ſine addito, quod eſt *eſſe* ſimpliciter, & ideò quando aduenit forma v. g. equi, dicitur ſine addito, quod equus fit; è contra verò forma accidentalis ſolùm queit conferre eſſe cum addito, quod eſt *eſſe* ſecundùm quid, qua ratione, quando equo aduenit v. g. albedo, non dicimus abſolutè fieri equum, ſed

cum

Digitized by Google

cùm addito, videlicet fieri album. Minor etiam liquet: quoniam materia actuata per vnam formam ſubſtantialem habet *eſſe* ſimpliciter: ergo repugnat, quod ſimul ab alia recipiat *eſſe* ſimpliciter: quemadmodum implicat fieri ſimpliciter, id quod iam eſt ſimpliciter *factum*. Nam cùm *fieri* ordinetur ad *eſſe*, ita debet repugnare, quod res habens *eſſe* ſimpliciter, ſimul ab alia recipiat eſſe ſimpliciter: quam, quod res ſimpliciter producta, iterum in eodem inſtanti ſimpliciter producatur.

Confirmatur, & explicatur ſecundò: quia ad eſſentiam formæ ſubſtantialis ſpectat conſtituere, & componere vnum ens per ſe cum materia, cui vnitur: ſed forma non valet conſtituere vnum ens per ſe cum materia actuata per aliam formam: ergo nequit illi vniri. Minor probatur: quoniam quod aduenit enti in actu, aduenit accidentaliter, & non poteſt conſtituere vnum ens per ſe; cùm illud ſupponat adæquatè conſtitutum: conſtat autem, quod materia actuata per vnam formam eſt ens in actu: ergo forma vnita materiæ actuatæ per aliam formam nequit componere vnum ens per ſe: Maximè, quia eadem numero materia nequit ſimul, & ſemel pertinere ad duo compoſita ſpecie, aut numero diuerſa: vndè cùm materia actuata per vnam formam ſit pars intrinſeca compoſiti conſtituti per talem formam, non poterit trahi ad aliud compoſitum conſtituendum per formam alteram; atque ideò ex forma, & materia per aliam formam actuata non valebit reſultare vnum ens per ſe.

§. II.

Reſoluitur poſterior difficultas.

27 Dicendum eſt ſecundò, quòd repugnat, eandem numero formam informare materias numero differentes. Hæc aſſertio eſt æquè communis inter Thomiſtas, ac præcedens, & ſatis colligitur ex dictis pro illa prima, quæ poſſunt etiam iſti proportionabiliter applicari ſub hac forma: nam ita ſe habet capacitas materiæ ad recipiendam formam, ſicut capacitas formæ ad actuandam materiam: ſed eadem numero materia non habet capacitatem ad recipiendum ſimul duas formas numero diuerſas: ergo vna numero forma non habet capacitatem ad actuandum ſimul duas materias numero diſtinctas.

28 Deindè ſuadetur alia ratione: quoniam cauſa impotens naturaliter ad præſtandum aliquem effectum; nunquam præſtabit illum, niſi aliquid ſaltem diuinitùs ei ſuperaddatur; ſi enim nihil additur manet omninò intactata, & per conſequens ſub eadem incapacitate, & impotentia: ſed vna numero forma ſubſtantialis non poteſt naturaliter informare duas numero materias; & nequit ei aliquid diuinitùs addi, vt prædictum effectum conferat: ergo. Minor quoad primam partem eſt ſatis perſpicua; quoad ſecundam autem probatur: quia vel ex forma, & illo ſuperaddito fit vna, & eadem numero forma, vel non; ſi non: ergo non eadem numero forma informat duas numero materias. Si fiat: ergo ſicut non eſt diſtincta forma, ſed eadem facta maior; ita non valebit informare duas materias, ſed ſolùm maiorem materiam, quàm antea poterat. ¶ Ad hæc: forma informat per exhibitionem ſuæ entitatis: ergo ſi id, quod formæ additur ſit ſpecie, vel numero diuerſum, non conducet, vt forma informet vllo modo materiam; ſi verò conſtituat eandem numero formam cùm præexiſtenti, conducet quidem vt actuet maiorem materiam, ſecùs autem materiam numero differentem.

§. III.

Satisfit rationibus aduerſis.

29 Contrariam nobis ſententiam amplectuntur Greg. *in 1. diſt. 12. qu. 3. art. 2.* Paludan. *in 3. diſt. 15. quæſt. 2.* quibus adhærent Suar. *diſ. 15. Metaph. ſect. 10. num. 60.* & alij Iuniores. Poteſtquè ſuaderi primò: nam ita ſe habet materia ad recipiendas formas, ſicut ſe habet locus ad recipiendum, & circunſcribendum corpora locata: ſed licèt vnus numero locus nequeat ſimul amplecti duo corpora numero diuerſa; poteſt tamen diuinitùs illa continere: ergo etſi eadem numero materia nequeat naturaliter recipere ſimul duas formas numero differentes; valebit tamen diuinitùs ſimul informari ab vtraque.

Reſpondetur omiſſa maiori, & conceſſa minori, negando conſequentiam ob manifeſtam diſparitatem: quoniam duo corpora poſſunt diuinitùs penetrari, & conſequenter fieri vnum in vbi locabili, & circunſcriptibili: vndè prouenit quod poſſint eſſe in vno loco, quia duo corpora penetrata non plus occupant, quàm vnum. Atqui formæ ſubſtantiales nunquam poſſunt penetrari in ratione formæ, nec fieri vna in vi informandi, atque in ratione actus primi, vt conſtat ex dictis pro concluſione: quamobrem implicat, quod recipiantur in eadem numero materia.

30 Arguitur ſecundò: quia maior oppoſitio datur inter calorem, & frigus, quàm inter duas formas ſubſtantiales; cùm illa ſit rigoroſa contrarietas, quæ ſubſtantijs neutiquam competit: atqui calor, & frigus poſſunt, ſaltem diuinitùs, in eodem ſubiecto coniungi: ergo potiori iure poterunt duæ formæ ſubſtantiales inueniri in eadem materia.

Reſpondetur negando maiorem: oppoſitio enim, ſiue incompoſſibilitas duarum formarum ſubſtantialium eſt virtualiter contradictoria, quæ contrariam longè antecellit: expoſitione quippè duarum formarum ſubſtantialium in eadem materia, infertur quamlibet ex illis eſſe, & non eſſe actum primum; dare, & non dare *eſſe* ſimpliciter; conſtituere, & non conſtituere vnum ens per ſe: quæ implicationes minimè vrgent in accidentibus contrarijs, vt ſatis ex ſe conſtat. Quare de eſſentia vnius contrarij non eſt actualis expulſio alterius contrarij; ſed duntaxat, quod illud expellat in actu primo, & quantum eſt de ſe ab eodem ſubiecto: eſſentia autem formæ ſubſtantialis, & proprius eius conceptus deſtrueretur, ſi ſecum permitteret aliam formam in materia.

31 Tertiò arguitur; quoniam materia prima ſublunaris eſt potentia ad plures formas: ſed per receptionem vnius non amittit ſuam potentiam; cùm hæc ab eius entitate ſit indiſtincta: ergo in eodem inſtanti, in quo habet vnam, poteſt recipere alias, ac proindè poterunt duæ formæ eſſe ſimul in eadem materia.

Huic argumento (quod ſi vrgeret, conuinceret non ſolùm poſſe coniungi in eadem materia duas formas; ſed etiam infinitas: cùm materia ſublunaris habeat capacitatem ad formas ſine termino) reſpondetur, materiam primam non habere potentiam ad ſimultatem formarum, ſiue, quod idem eſt, ad plures formas ſimul, & in eodem inſtanti recipiendas; ſed tantùm habere ſimultatem potentiæ, quatenùs per ſuam entitatem indiuiſam queat recipere diuiſiuè, & ſucceſſiuè plures formas. Quare in eodem inſtanti, in quo habet vnam formam, retinet potentiam ad habendam aliam; non quidem in ſenſu compoſito alterius, ſed ſolùm in ſenſu diuiſo: hoc eſt retinet tunc potentiam ad habendam aliam formam pro alio tunc,

tunc,

Digitized by Google

ſunc, vel pro eodem tunc, abſolutè, & non componendo eam cum forma habita. Vndè ad argumentum in forma, conceſſis præmiſſis, & conſequentia, quoad primam partem, neganda eſt quoad ſecundam: nam arguitur à ſenſu diuiſo ad compoſitum.

DISPVTATIO V.

De alio principio entis naturalis, videlicet priuatione.

POST expoſitionem principiorum entis naturalis in facto eſſe, ſupereſt vt diſſeramus de priuatione, quæ eſt principium illius prout in *fieri*: quia ſicut priuatio eſt ignobilior alijs principijs, ſic ei vltimum locum poſt alia damus; maximè cùm nequeat cognoſci, niſi per formam, qua priuat. Porrò quamuis poſſemus plura de priuatione tractare, vt puta, an ſit ens reale, an diſtinguatur à materia, an ſit principium generationis, an conueniat vniuocè cum materia, & forma in ratione principij, & alia id genus; nihilominùs quia reſolutio illarum priorum quæſtionum ſatis conſtat ex dictis, tam in Logica, quàm in hoc opere *diſp*. 2. idcircò ab illis ſuperſedemus inueſtigantes præciſè, qualiter priuatio conueniat cum materia, & forma in principiando generationem.

QVÆSTIO VNICA.

Quam conuenientiam habeat, priuatio cum materia, & forma in ratione principij generationis.

1 DIcendum eſt primò, priuationem non conuenire vniuocè cum materia, & forma in ratione principij generationis. Hæc concluſio eſt communis inter Philoſophos, & ſuadetur breuiter: quoniam enti, & non enti quatenùs tali, non poteſt aliquid eſſe vniuocè commune, vt conſtat ex dictis in Logica: ſed priuatio eſt non ens, & concurrit per modum non entis ad generationem entis naturalis: ergo nequit in ratione principij conuenire vniuocè cum materia, & forma, quæ ſunt aliquid poſitiuum, & concurrunt ad generationem per influxum poſitiuum. Minor ſatis ex ſe conſtat, & inſuper oſtenditur: quia priuatio concurrit ad generationem per modum termini *à quo*: conſtat autem terminum *à quo* generationis conſiſtere in *non eſſe*; quandoquidem generatio eſt tranſitus de *non eſſe* ad *eſſe*: ergo &c.

2 Sed oppones primò Ariſtot. 5. *Metaph. text.* 14. vbi appellat priuationem ens reale: ergo ex vi huius poterit vniuocè conuenire cum alijs in ratione principij. ¶ Reſpondetur ex D. Thom. 1. *p. qu.* 48. *art.* 2. *ad* 2. ens reale bifariam accipi: vno modo prout ſignificat entitatem rei, & diuiditur in decem prædicamenta: alio modo prout fundat veritatem realem propoſitionum: Priuatio igitur dicitur ens reale hoc poſteriori modo. nam ſicut verè dicimus hominem eſſe animal, ſic verè enuntiamus, hominem carentem viſu eſſe cæcum. Sed non appellatur ens reale in prima, & rigoroſa acceptione, quod requirebatur, vt conueniret vniuocè cum alijs in ratione principij.

Obijcies ſecundò: ens rationis, quod reuera eſt non ens, conuenit vniuocè cum ente reali in ratione ſcibilis; & ideò poteſt eſſe obiectum ſpecificatiuum veræ ſcientiæ, qualis eſt Logica: ergo pariter priuatio, licèt ſit non ens, poterit conuenire vniuocè cum ente reali in ratione principij. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod formalis ratio in ordine, & genere *ſcibilis* conſiſtit in eo, quod aliquid habeat paſſiones, nam hoc ipſo fundat veritates neceſſarias, quas ſcientia demonſtret, & quæ ſint obiectum complexum prædictæ ſcientiæ: ad quod de materiali prorſus est, quod eſſentia, & paſſiones ſint aliquid reale, vel rationis per ſe autem est, quod detur connexio neceſſaria, ſiuè extrema ſint realia, ſiuè rationis: & ideò ens reale, & rationis conueniunt vniuocè in ratione obiecti. Cæterùm materia, & forma concurrunt, vt entia poſitiua ad generationem, & influunt quatenùs talia, priuatio verò concurrit per modum non entis: vndè cùm ens, & non ens in eo, quod talia, nequeant vniuocè conuenire, propterea ratio principij non valet priuationi, & alijs vniuocè conuenire.

3 Dicendum est ſecundò, conceptum principij conuenire analogicè materiæ, formæ, & priuationi: quæ analogia non est attributionis, ſed proportionalitatis propriæ. Prima aſſertionis pars est ſatis perſpicua: nam ratio principij non dicitur purè æquiuocè de principijs entis naturalis; quandoquidem hæc non ſunt omninò diuerſa prout ſignificantur nomine *principij*; ſed pertinent ad ſcientiam eandem, nempè Philoſophiam: ſed aliàs prædicta ratio non est vniuoca, vt constat ex nuper dictis: reſtat igitur, quod ſit analoga. Secunda autem pars ſic oſtenditur: quoniam ad analogiam attributionis deſideratur, quod minùs principalia analogata ſint talia per extrinſecam denominationem, & dependentiam à primo: at ratio principij conuenit priuationi abſolutè, & intrinſecè; neque in proprio ſibi concurſu, nimirum per modum termini *à quo* dependet, aut denominatur ab alijs principiis; cùm huiuſmodi ratio, & modus concurrendi in eis non inueniatur, ſed vnicè priuationi conueniat: ergo priuatio non conuenit cum alijs principijs per analogiam attributionis. Ad hæc: analogia proportionalitatis

Digitized by Google

litatis propriæ importat æqualitatem proportionum, licèt extrema, & exceſſus habeant inæqualitatem: conſtat autem, quod ratio principij conuenit priuationi, & alijs cum æqualitate proportionis: nam ita ſe habet priuatio ad principiandum ens naturale per modum termini *à quo*, ſicut ſe habet forma ad illud principiandum per modum termini *ad quem*: ergo ratio principij conuenit eis per analogiam proportionalitatis propriæ.

Dices, illud, quod non eſt propriè ens, non valet eſſe propriè principium, nam ens eſt primum prædicatum, & ratio ſuperior ad conceptum principij: atquè ideò remota ratione propria entis, debet ex conſequenti ratio principij proprii remoueri: ergo cùm priuatio non ſit ens, minimè poterit ſortiri conditionem principii propriè dicti. ¶ Sed ad hoc facilè eſt occurrere: nam ratio entis ſolùm eſt conceptus ſuperior ad ea principia, quæ ſecundum ſuam vltimam differentiam exprimunt aliquid poſitiuum: ex quibus illa, quæ non fuerint propriè entia, non poterunt eſſe principia propriè. Cæterùm principium per modum termini *à quo* non concurrit per aliquid poſitiuum; ſed potiùs per modum *non entis*; cùm generatio ſit tranſitus à *non eſſe* ad *eſſe*: quamobrem terminus *à quo* poteſt *eſſe* principium propriè, tametſi nullo modo ſit ens, vel ſit ens impropriè, & ſecundum quid. Hoc autem poſteriori modo priuatio principiat generationem, & ideò licèt non ſit ens, habet tamen propriam rationem principii.

DISPVTATIO VI.

De compoſito naturali, quod ex principijs intrinſecis reſultat.

HABITA notitia principiorum entis naturalis, recto ordine progredimur ad differendum de ipſo ente naturali, quod ex eis coaleſcit, & conſtituitur: nam, cùm compoſitum ſit finis ſuarum partium, non poterit non eius notitia refundere claritatem ipſis partibus, ſeu principijs.

QVÆSTIO I.

Vtrum ens naturale conſtituatur eſſentialiter ex materia, & forma.

IN compoſito naturali inueniuntur materia, & forma, vt ex hactenùs dictis ſatis liquet: difficultas tamen eſt, an vtraque pertineat ad eſſentialem illius conſtitutionem: quod in præſenti diſcutiendum eſt.

§. I.

Statuitur communis, & vera ſententia.

1 DIcendum eſt, ens naturale componi ex materia, & forma, ſicut ex partibus ſibi eſſentialibus. Hanc concluſionem docent communiter S. Patres, Athanaſius *in ſymbolo*, vbi ait, *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo; ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus*. Conſtat autem, quod ſolus Deus non conſtituit Chriſtum: ergo ſentit, ſolam animam non conſtituere hominem: Auguſt. 19. *de Ciuit. cap.* 3. vbi inquit, *Homo neque eſt anima ſolùm, neque ſolum corpus; ſed ex vtroque compoſitum*. Boëtius *lib. de duabus naturis*. D. Thom. 1. *contra Gentes cap.* 21. & 1. *p. qu.* 75. *art.* 4. Quibus etiam communiter conſentiunt Philoſophi.

Probatur primò: quia eſſentia hominis non ſaluatur in ſola anima rationali: ergo materia pertinet ad eſſentiam hominis, & per conſequens hoc ens naturale (& idem eſt de alijs) conſtituitur eſſentialiter ex materia, & forma. Antecedens ſuadetur: tùm quia ſi ſola anima rationalis eſſet tota eſſentia hominis, ſequeretur hominem eſſe immortalem; quandoquidem anima rationalis non corrumpitur, ſed ſemper eadem perſeuerat. Tùm etiam quia indè fieret vlteriùs, homines non eſſe reſurrecturos in die iudicij; non enim poteſt reſurgere homo, ſi eſſentialiter non eſt aliquid, niſi anima: quam certum eſt non cadere, aut mori, atque ideò non egere reſurrectione. Tùm denique, nam ex oppoſito infertur, Chriſtum dominum manſiſſe hominem in triduo ſuæ mortis, quippè Chriſtus homo non eſt aliud, quàm Verbum, natura humana, & vnio: vndè ſi eſſentia hominis ſaluatur adæquatè in anima; cùm iſta remanſerit in illo triduo vnita verbo, neceſſariò perſiſteret in rerum natura Chriſtus homo. At hæc omnia principijs rectæ fidei minimè cohærent, ſed eis maximè refragantur: ergo eſſentia hominis non ſaluatur adæquatè in ſola anima rationali.

2 Probatur ſecundò; quoniam eſſentia entis naturalis v. g. hominis, phyſicè loquendo, eſt illud, quod per phyſicam, & eſſentialem eius definitionem explicatur: ſed in phyſica, & eſſentiali definitione hominis, quæ ſic ſe habet: *Homo eſt conſtans ex corpore, & anima*, non ſolùm ponitur anima, ſed etiam corpus, ſiuè materia, vt patet ex terminis: ergo homo conſtat ex vna, & altera, ſicut ex partibus intrinſecis, & ſibi omninò eſſentialibus. Dicere enim, quod corpus ponitur in hac definitione, non ſicut pars intrinſeca, ſed tanquam extrinſecum additamentum, & connotatum, per quod exponitur definitum, alienum prorſus eſt à veritate: quippè talis definiendi modus eſt proprius accidentium, quæ ſicut ſecundum totum ſuum eſſe dependent à ſubſtantia, ita debent definiri, & explicari per illam: vndè nequit adaptari homini, nec alijs ſubſtantijs, maximè ſi ſint completa.

§. II.

Occurritur argumentis in contrarium.

3 SOlam formam eſſe totam entis naturalis quidditatem tenuerunt Auer. 7. *Metaph. comment.* 21. Iandunus *ibid. quæſt.* 14. & alij. Pro quorum placito arguitur

guitur primò ex Ariſtot. *lib. 2. huius operis cap. 3. text.* 20. vbi formam appellat *ipſum quod quid erat eſſe rei*: ergo ſentit, totam entis naturalis quidditatem ſitam eſſe in forma. ¶ Confirmatur primò: nam ſecundum Ariſtot. forma eſt, quæ dat *eſſe* rei: ergo materia nequit pertinere ad ens naturale, tanquam quid eſſentiale, & intrinſecum. Probatur conſequentia: quia iam daret *eſſe* compoſito, ac proinde non diſtingueretur à forma. ¶ Confirmatur ſecundò: quia ita ſe habet forma naturalis ad ens naturale, ſicut forma artificialis ad artefactum: ſed eſſentia entis artificialis, quatenus tale eſt, conſiſtit in ſola forma artificiali: ergo in ſola forma naturali ſaluatur adæquata quidditas entis naturalis. Idquè inſinuare videtur Philoſoph. 7. *Metaph. text.* 41. vbi ait, quod materia ſe habet, vt *habens, deferens, & ſuſcipiens eſſentiam*.

Reſpondetur, ideò Ariſtot. appellare formam quodquid eſt, quia eſt nobilior pars entis naturalis, ad cuius quidditatem, etſi materia pertineat, vt pars intrinſeca; pertinet tamen, vt recipiens ſpeciem à forma: atque ideò forma eſt origo totius ſpecificationis. ¶ Ad primam confirmationem reſpondetur, quod quamuis materia prima intret eſſentiam totius compoſiti; attamen ſola forma dicitur dare *eſſe*: quia hoc ſolum attribuitur entitati a qua vltimò ſumitur ſpecificatio, & determinatio rei. ¶ Ad ſecundam neganda eſt maior: quoniam forma artificialis eſt entitas in ſuo genere completa; & ideò poteſt tota quidditas artefacti reduplicatiuè, vt talis in prædicta forma conſiſtere: & idem contingit in formis accidentalibus naturalibus, album enim, teſte Ariſtot. ſolam qualitatem ſignificat. Forma autem ſubſtantialis eſt quid incompletum in genere ſubſtantiæ: vndè nequit eſſe adæquata quidditas entis naturalis, ſed petit conſortium materiæ. Verum quia hæc non dat ſpeciem compoſito, ſed eam à forma participat, idcircò quaſi vehiculum eſſentiæ denotatur à Philoſopho.

4 Secundò arguitur: nam idem eſt conſtitutiuum, & diſtinctiuum ex Ariſtot. 7. *Metaph. text.* 41. ſed ens naturale per ſolam formam diſtinguitur ab alijs: ergo per ſolam formam adæquatè conſtituitur, ac proindè materia non ſpectabit ad eſſentialem eius conſtitutionem. Minor videtur perſpicua, ſiquidem homo v. g. diſtinguitur à Leone per ſolam formam: materia quippè eiuſdem rationis eſt in vtroque.

Reſpondetur, ad adæquatam quidditatem alicuius ſpectare, non ſolùm id, per quod diſtinguitur eſſentialiter ab alijs; ſed id etiam, per quod conuenit eſſentialiter cùm eis: quandoquidem ſpecies, ſiue eſſentia rei ex genere, & differentia componitur. Quare licèt materia non pertineat ad coſtitutionem compoſiti per modum actus diſtinguentis (quem per antonomaſiam appellat Ariſt. conſtitutiuum) pertinet tamen, vt ſubiectum prædicti actus, & tanquam prima radix gradus generici.

5 Tertiò arguitur: quia *eſſe* eſt propter *operari*: atqui ſola forma eſt principium operandi: ergo ſola forma eſt principium eſſendi, & ſic erit tota quidditas. Minor liquet: nam vnumquodque operatur, prout eſt in actu, ac proinde ſolus actus eſt ratio agendi: conſtat autem, ſolam formam eſſe actum; ſecus vero materiam: ergo.

Reſpondetur, quod ad eſſentiam adæquatam compoſiti naturalis pertinet eſſe non ſolùm capax operandi, ſed etiam recipiendi: quapropter ad intrinſecam, & eſſentialem eius conſtitutionem ſpectat, non ſolum prima radix operandi, quæ eſt forma; ſed etiam prima radix recipiendi, quæ eſt materia; licèt illa ſit nobilior, quàm iſta, eo quòd melius eſt agere, quàm recipere.

6 Vltimò, & vrgentius arguitur: quoniam ſi materia eſſet de eſſentia entis naturalis, hæc numerò materia eſſet de eſſentia huius numero entis, v. g. Petri: conſequens eſt falſum; ergo &c. Probatur minor; tùm quia nequit eadem numero materia pertinere eſſentialiter ad duo compoſita numero diuerſa: ſed materia Petri eſt poſteà materia cadaueris: ergo nequit ſpectare ad eſſentiam Petri. Tùm etiam, quia eſſentia rei debet eſſe fixa, & ſtabilis: ſed hoc non conuenit huic numero materiæ Petri, ſiquidem continuò dilabitur per calorem naturalem: ergo. Tùm denique, quia aliàs in generali reſurrectione non poſſet reſurgere idem numero homo: nam fieri naturaliter poteſt, quòd eadem materia ad diuerſos homines ſucceſſiuè pertineat, vt patet in eis, qui humana carne veſcuntur: ac proinde ſi hæc numero materia eſſet de eſſentia huius numero hominis; cùm eadem numero materia nequeat eſſe ſimul in duobus compoſitis, non poſſent illi homines ſimul reſurgere, vel non eſſent ijdem numero, qui antea fuerant.

Huic argumento occurrit Suarez *diſp. 5. Met. ſect. 6.* negando ſequelam: nam exiſtimat hoc numero compoſitum v. g. Petrum non conſtare eſſentialiter ex hac numero materia; ſed tantum ex hac numero anima, & quacumque materia indifferenter. Vndè conſequenter docet, ad reſurrectionem eiuſdem numero hominis ſufficere, quòd reſurgat cum eadem anima, & cum qualibet materia: eò quod hæc numero anima indifferenter ſe habet ad omnes materias ſublunares.

Hæc tamen doctrina minimè nobis arridet: cùm quia non videtur cohærere principijs Philoſophiæ, nam ſicut ſe habet materia ad compoſitum, ſic talis materia ad tale compoſitum: atqui compoſitum, reſultans ex forma, & materia ſublunari, nequit eſſe idem ſpecie, ſi reſultet ex eadem forma, & materia cœleſti, vt ſatis ex ſe conſtat: ergo nec valet eſſe idem numero compoſitum, ſi non eſt eadem numero materia. Nam quemadmodum ſe habet ad compoſitum ſumptum ſecundum ſpeciem materia accepta ſecundum ſpeciem, aut quaſi ſpeciem: ſic ſe habet hæc numero materia ad hoc numero compoſitum. Tùm etiam, & præcipuè; quia neſcimus, prædictam ſolutionem componere cum principijs fidei: dicitur enim in ſymbolo: *Omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis*, & Iob 19. *Et in carne mea videbo Saluatorem meum*. Quod propriè nequit verificari, ſi homines reſurgent cum quocumque corpore, vel quacumque materia ſublunari. Nam ſicut ad veritatem conſecrationis panis nempè: *Hoc eſt corpus meum* non ſufficit ponere ibi quodcumque corpus vnitum animæ Chriſti, ſed neceſſarium eſt ponere illudmet, quod natum eſt de Virgine: ita vt verificentur prædictæ locutiones, requiritur, quòd homo reſurgat non cum quolibet corpore, aut materia indifferenter, ſed cum eadem, quàm habuit in vita.

7 Nec refert ſi dicas, quòd materia prima habet ſuam vnitatem numericam à forma, vel per ſigillationem ad formam, & conſequenter omnem materiam exiſtentem ſub eadem numero forma eſſe eandem numero materiam. Vndè ſemper verificabitur, hominem reſurgere cum eadem numero materia, & carne, quam habuit in vita; ſiquidem reſurget cum eadem numero anima, quæ quamcumque materiam ſub ſe exiſtentem, & à ſe ſigillatam facit eſſe eandem numero.

Non, inquam, hoc refert: tùm quia Suarius attribuit materiæ primæ propriam vnitatem ſpecificam, & numericam poſitiuam, vt ſupra vidimus *diſp. 3. num.* 14. ergo ſi anima rationalis informaret portionem materiæ diuerſam ab ea, quam actuauit in vita, non poſſet non recipi in materia numero diuerſa ab illa, quam priùs informauit, atque ideò non reſurgeret homo adæquatè idem numero. Tùm etiam, quia licèt omnis materia ſublunaris ſecundum ſe accepta ſit eadem negatiuè, & ſe habeat indifferenter ad omnes formas, illiuſquè quantum eſt de

ſe,

Digitized by Google

ſe, poſſit ſubſtare; nihilominùs falſum eſt, quod poſtquam materia prima diuiſa eſt in diuerſas portiones, valeat ſecundum quamcumque portionem, cuicumque formæ ſubeſſe. Sed potiùs dicendum eſt, quòd ſicut omnis materia ſublunaris poteſt omnes formas recipere, ita è contrario, quælibet eius portio nequit actuari ab omnibus formis; ſed ſolùm ab illis, quæ intra vnam, & determinatam collectionem continentur, & illi vt propriæ cauſæ materiali, ſaltem quoad vnionem correſpondent, & ſunt ſyncategorematicè infinitæ. Ita quidem vt nunquam eadem forma contineatur intra collectiones pertinentes ad diuerſas materias; ſed vna forma reſpiciatur ab vna materia, & alia ab altera. Implicat enim eundem numero effectum pendere, tàm ſimul, quàm diuiſim à duabus cauſis totalibus, & eiuſdem ordinis, vt *infrà* dicemus *diſp. 15. num. 11. & 19.* Vndè repugnat, quod anima rationalis informet in die reſurrectionis aliam materiam; niſi illam, quam informauit in vita, & ad cuius collectionem pertinet: aliàs idem homo penderet à duabus cauſis materialibus adæquatè diuerſis. Et ideò ſi anima aliam materiam informaret, non reſurgeret adæquatè idem numero homo: eò quod prædicta materia ſolùm habet vnitatem numericam per ſigillationem ad formas, quæ intra collectionem ſibi propriam continentur; ex quibus non fore illam animam, ſatis oſtenſum à nobis eſt.

8 Quare, relicta ſolutione hactenùs impugnata, reſpondetur ad argumentum concedendo ſequelam, & negando minorem. Ad cuius primam probationem dicendum eſt, minimè repugnare, quod materia, quæ eſt de eſſentia entis naturalis per modum communis ſubiecti, & puræ potentiæ, pertineat ſucceſſiuè ad diſtincta compoſita. Quoniam licèt huiuſmodi pars ſit eadem negatiuè, attamen mutuatur diuerſas vnitates numericas poſitiuas à diuerſis formis, quibus ſucceſſiuè ſubſtat: & idcircò nunquam materia eadem numero poſitiuè ſpectat actu ad diſtincta compoſita.

Ad ſecundam reſpondetur ex D. Thom. 1. *p. q.* 119. *art.* 1. *ad vltimum*, quod licèt particulæ materiæ, quæ deperduntur actione caloris naturalis, & illæ, quæ acquiruntur per nutritionem ſint materialiter diuerſæ; nihilominùs materia prima Petri formaliter ſumpta perſeuerat ſemper eadem, & inuariabilis. Quoniam nouæ particulæ, quæ ſub eadem forma ſuccedunt, trahuntur ad naturam earum, quæ præexiſtunt, & cum illis identificantur, vt dicemus in lib. de Generat. Porrò eſſentia huius numero compoſiti corruptibilis non dependet ab ijs, vel illis particulis materiæ materialiter acceptis, nec expoſcit omnem earum inuariabilitatem; aliàs ab ente incorruptibili non differret; ſed ſolùm petit eandem numero materiam formaliter ſumptam; & hanc, quandiù viuit, perpetuò retinet.

Ad tertiam reſpondetur ex eodem Angelico Doctore 4. *contra Gentes cap.* 81. negando ſequelam: quia ſi caro alicuius comeſta fuerit ab alio, illi in reſurrectione tribuenda eſt, cuius animæ primò vnita fuit per generationem, ſecùs verò comedenti. Huic autem, ſi aliquid ex materia ad debitam proportionem neceſſaria defuerit, ſupplebitur ex alijs portionibus, quas in decurſu vitæ habuit, & vi caloris naturalis amiſit. Quod ſi contingat duos homines ex eadem portione materiæ conceptos fuiſſe, tunc prædicta materia inter vtrumque diuidetur, & vnicuique tribuentur aliundè aliæ portiones materiæ ad conuenientem ſtaturam requiſitæ, quas videlicet in hac vita acquiſiuit, vel acquirere potuit per nutritionem. Et idem dicendum proportionabiliter eſt in alijs caſibus, qui fingi poſſunt, vel contingere non repugnat metaphyſicè. Adde tamen, quod ſuppoſito decreto futuræ reſurrectionis, ad diuinam prouidentiam ſpectat, ita cuncta diſponere, vt nunquam eadem materia in hac vita pertineat adæquatè ad duos homines, vt ſic poſſit quilibet reſurgere cum illa, ex qua componebatur, dùm viueret.

QVÆSTIO II.

Vtrum materia, & forma vniantur aliquo nexu ab eis diſtincto.

SVppoſito, quod tàm materia, quàm forma ad conſtitutionem entis naturalis eſſentialiter pertineant, certum eſt, quod non conſtituunt illud, vt diuulſæ, & ſeparatæ; ſed potiùs quatenùs coniunctæ, & vnitæ. Difficultas autem haud leuis eſt, an poſſint inuicem copulari per ſuas præcisè entitates, & ſecluſa omni vnione media, quæ ab illis ante intellectum diſtinguatur. Ad cuius declarationem præſentem quæſtionem excitamus.

§. I.

Eligitur communior opinio.

9 DIcendum eſt, materiam, & formam vniri per aliquem nexum ab eis, ſecluſo intellectu, diſtinctum. Pro hac aſſertione ſtat D. Thom. 1. *p. qu.* 76. *art.* 1. *ad* 6. vbi docet ita ſe habere animam ad eſſendum in materia, ſicut ſe habet corpus ad eſſendum in loco: ſed corpus ponitur formaliter in loco per aliquid à ſe diſtinctum, videlicet per vbi: ergo ſentit, animam non vniri ſe ipſa materiæ, ſed indigere aliquo ſuperaddito, vt vniatur. Vndè hanc ſententiam complectuntur Bañez ſuper eundem articulum *dubit.* 3. *in ſolutione ad vltimum*, Cabrera 3. *p. q.* 2. *art.* 4. *diſp.* 8. *num.* 27. innuens hanc ſententiam eſſe ſatis communem inter Thomiſtas. Quam ex extraneis amplectuntur Suarez 3. *p. q.* 2. *art.* 8. *diſp.* 8. *ſect.* 2. Vaſquez, & alij complures.

Probatur ratione primò: quia illud, cuius eſſentia non conſiſtit in aliquo actu, ſed in potentia ad ipſum actum, nequit in prædicto actu formaliter conſtitui, niſi ei aliquid ſuperaddatur: ſed eſto ſit de eſſentia formæ ſubſtantialis, eſſe vnibilem materiæ; attamen non eſt de eſſentia illius eſſe actu vnitam: ergo, vt actu vniatur indiget aliqua vnione à ſe, & materia ante intellectum diſtincta. Maior conſtat: quia ſi nihil addideris illi eſſentiæ, manebit ſicut antea: ac proinde ſicut antea ſolùm importabat potentiam, & non actum, ita eodem prorſus modo manebit in potentia, & non in actu. Minor etiam liquet: nam anima rationalis poteſt naturaliter eſſe extra materiam, & aliæ formæ queunt ab illa ſaltem diuinitùs ſeparari: ergo licèt de earum eſſentia ſit, eſſe vnibiles, non tamen eſſe actu vnitas.

Reſpondebis primò, aliquid ſuperaddendum fore, vt materia, & forma vniantur in actu ſecundo: hoc tamen non eſſe aliquem nexum medium, & ab vtraque diuerſum; ſed ſolum extrinſecam connotationem præſentiæ, atquè indiſtantiæ. Nam formam eſſe vnitam materiæ nihil aliud eſt, quàm forma materiæ communicata: & materiam vniri formæ non eſt aliud, quàm materiam formæ communicari: hoc autem non addit ſupra earum entitatem, niſi ſolam extrinſecam connotationem eſſendi in materia, vel ſub forma: ad quod ſatis eſt præſentia, atque indiſtantia.

Sed contra: quia pro illo priori, pro quo anima rationalis terminat creationem, & præintelligitur ad actionem vni-

Digitized by Google

vnitiuam agentis naturalis, eſt præſens materiæ, & ab ea indiſtans: & tamen pro illo priori non eſt formaliter vnita, vt ex ſe conſtat: ergo, vt materia, & forma vniantur formaliter, inſufficiens eſt illa extrinſeca connotatio præſentiæ, & indiſtantiæ. § Deindè: Angelus poteſt animam rationalem applicare corpori, & reddere illi præſentem: & tamen nequit eas vnire: ergo formam, & materiam eſſe formaliter vnitas aliquid importat præter hanc mutuam, & extrinſecam connotationem: aliàs qui illam poſſet ponere, valeret conſequenter partes effectiuè vnire.

10 Reſpondebis ſecundò, quod vt materia, & forma vniantur, requiritur cauſalitas, ſiuè actio agentis: niſi enim agens actiuè illas vniat, non poterunt ipſæ formaliter vniri: poſita verò cauſalitate agentis, ſtatim ſe ipſis vnientur per proprias entitates. Quoniam ideò ſecundum ſuam eſſentiam ſunt tantùm vnibiles, & non vnitæ, quia ſecundum eſſentiam non connotant cauſalitatem agentis; vbi autem hæc in exercitio connotatur, ſe ipſis valent copulari ob maximam proportionem, & propenſionem, quam habent ad conſtituendum compoſitum. Sunt quippè partes illius eſſentiales, & comparantur inter ſe per modum primæ potentiæ, & primi actus, inter quæ certum eſt, maximam coaptationem reperiri: atque ideò independenter ab aliquo modo, vel medio ſibi ſuperaddito vniri queunt. Maximè ſi omnes diſpoſitiones determinantes, & præparantes materiam poſitæ fuerint à generante. Quid enim ampliùs deſiderari valet, vt forma communicetur ſubiecto, ad quod natura ſua ardenter ducitur, & inclinat?

Sed hæc ſolutio haud melior eſt, quàm præcedens: quoniam licèt verum ſit, & ab omnibus ſupponatur, neceſſariam eſſe actionem agentis, vt eæ partes intrinſicè adiunentur; falſum tamen eſt, prædictæ actionis connotationem ſufficere, vt ſint intrinſecè vnitæ abſquè aliquo addito, quod ſe teneat ex parte illarum. Tùm quia prædicta actio non eſt nexus formaliter vniens materiam, & formam, ſed tantùm vnit actiuè: ergo nequeunt ab ipſa actione denominari formaliter vnitæ; ſed aliquid aliud aſſignandum eſt, per quod vniantur formaliter: hoc autem non valet illarum entitatibus conuenire: nam aliàs hoc ipſo, quod darentur in rerum natura, non poſſent non eſſe actu vnitæ; ſiquidem de eſſentia vnionis eſt, eſſe actuale vinculum extremorum. Tùm etiam, quia quidquid ſit de eo, quod requiritur ex parte agentis, inquirimus an ex parte effectus, & in facto eſſe ſufficiat ad vnionem materiæ, & formæ, quod dentur earum entitates indiſtantes & præſentes; an verò requiratur aliquid illis ſupperadditum, & ab eis diuerſum? ſi dicatur hoc vltimum: habemus intentum: ſi eligatur primum: iam relabitur hæc ſolutio in primam, quæ nuper à nobis impugnata eſt. Et inſuper refellitur vtraque: quia repugnat dari ex parte effectus omnia requiſita ad compoſitum, & non dari priùs natura cauſalitatem agentis, ſiue actionem vnitiuam, per quam omnia requiſita ponantur: atqui poſſunt materia, & forma eſſe præſentes, indiſtantes, & diſpoſitæ, quin priùs detur neceſſariò actio vniens; nam poſt hæc omnia poſſet Deus impedire vnionem, ſiue conſtitutionem, compoſiti: ergo aliquid deeſt ex parte effectus, vt eæ partes intrinſecè copulentur, quod proindè erit ab eis ante intellectum diſtinctum.

Confirmatur: quoniam hoc ipſo, quod ad conſtitutionem v. g. hominis, præter materiam, & animam rationalem, requiratur ſaltem, vt connotatum actio agentis naturalis, nequit non deſiderari ex parte effectus aliquid diſtinctum a materia, & forma, quod non poteſt eſſe aliud, quam vnio, vt ex ſe conſtat: ergo vnio nectens has partes diſtinguitur ab eis. Conſequentia patet, & ſequela oſtenditur: nam prædicta actio eſt eductiua: ergo aliquid educit: ſed non educit animam, nec materiam: cùm vtraque fiat per creationem: ergo educit modum vnionis, per quem inuicem copulantur.

Explicatur amplius: quia generans hominem attingit effectiuè vnionem inter materiam, & formam: ſed actio agentis creati nihil efficit, niſi per eductionem, ſiuè ex præſuppoſito ſubiecto: ergo generans hominem educit vnionem: conſtat autem, neutram hominis partem eſſe educibilem: ergo vnio non eſt idem realiter cum extremis, ſed diſtinguitur ab illis. ¶ Ad hæc, ſi anima denominaretur vnita formaliter à propria entitate, & non ab aliquo ſuperaddito, ſolus ille agens diceretur vnire animam, qui produceret illius entitatem, in ipſumquè prædicta denominatio reuocanda foret; ſiquidem denominatio non diſtinguitur entitatiuè, & ex parte recti à forma denominante: ſed ſolus Deus eſt, qui attingit entitatem animæ; ſecùs verò homo generans: ergo ſolus Deus diceretur vnire animam materiæ non autem generans: quod ſatis conſtat eſſe falſum; cùm anima non vniatur materiæ ex vi actionis creatiuæ, ſed per generationem naturalem.

11 Secundò probatur noſtra concluſio: nam cauſalitas materiæ, & formæ debet ante intellectum ab eis diſtingui: ſed cauſalitas earum eſt vnio vtriuſque; ſiquidem per illam materia recipit, & forma actuat: ergo vniuntur per aliquem nexum ab eis realiter differentem. Maior ſuadetur: tùm quia cauſalitas cauſæ efficientis, & finalis importat aliquid realiter diuerſum ab ipſis: ergo etiam cauſalitas cauſæ materialis, & formalis, quæ imperfectiores, quam illæ ſunt. Tùm etiam, quia cauſalitas cuiuſuis cauſæ creatæ eſt poſterior, quàm cauſa, & dependet realiter ab illa; cum ab ea habeat ſuam qualemcumque entitatem, non minus ac ipſe effectus: ergo nequit non ab illa realiter diſtingui. Tum denique, quoniam identificare propriam cauſalitatem eſt proprium cauſæ infinitæ, qualis eſt Deus: qui idcircò non diſtinguitur à propria cauſalitate, quia in omni linea eſt actus purus, & infinitus: ergo cum materia, & forma ſint cauſæ creatæ, & valdè imperfectæ, non poterunt identificare ſibi vnionem, quæ eſt illarum propria cauſalitas. Per quod ſatis ſuperquè eliduntur ſolutiones adhibitæ primæ rationi: quippè cùm recurſus ad extrinſeca connotata nequeat ſufficere ad cauſalitatem propriam alicuius cauſæ; etſi aliàs aliquando ſit ſufficiens, & deſideretur, vt aliqua denominatio noua communicetur ab antiqua, & præexiſtenti entitate.

§. II.

Proponitur opinio contrario.

12 OPpoſitum defendunt Caiet. 3. *p. q.* 2. *art.* 7. *&* 10. Aluarez *ibidem diſp.* 13. & alij Probatur primo ex D. Thom. *in* 3. *diſt.* 2. *qu.* 2. *art.* 1. vbi ait: *In vnione humanæ naturæ ad diuinam nihil poteſt cadere medium formaliter vnionem cauſans, cui per priùs humana natura coniugatur, quàm diuina: ſicut inter materiam, & formam nihil cadit medium in eſſe, quod per priùs ſit in materia, quam forma ſubſtantialis.* Certum autem eſt, quod ſi daretur nexus medius, priùs eſſet in materia, quàm forma, ſiquidem eſſet, tum cauſalitas propria materiæ, tum medium ad attingendam formam: ergo ſentit S. Doctor, talem nexum non requiri. § Confirmatur: quoniam 3. *contra Gentes cap.* 7. & pluribus alijs in locis aſſerit, actum, & potentiam ſine medio vniri: ſed materia eſt prima potentia, & forma primus actus, habentquè inter ſe maximam coaptationem: ergo ex mente D. Thom. non egent nexu medio, & à ſe diſtincto, vt vniantur.

Reſ.

Reſpondetur, duplex medium poſſe excogitari inter aliqua extrema: aliud quidem, quod habeat eſſe proprium, & vt *quod*: quo pacto bitumen nectens duos lapides mediat inter illos. Et huiuſmodi medium, cùm ſit rigorosè quoddam tertium, impedit immediatam, & mutuam communicationem extremorum: atque ideò ineptum eſt ad conſtitutionem vnius entis per ſe. Aliud autem medium eſt, quod non affert proprium eſſe; ſed ſolùm mediat vt *quo*, ſiuè vt ratio formalis nectendi aliqua. Et tale medium, cùm nec extremum, nec tertium propriè ſit, non tollit immediatam communicationem extremorum, quæ nectit: vt videre eſt in inhærentia quantitatis ad ſubſtantiam, quæ eſt modus accidentalis ab extremis ante intellectum diuerſus; & nihilominùs impedimentum non eſt, vt quantitas vniatur immediatè ſubſtantiæ. Igitur Angelicus Doctor, in locis citatis ſolum excludit à materia, & forma vinculum, & ligamentum habens eſſe vt *quod*, & per modum tertij, in quo extrema adunentur: minimè tamen remouet medium *quo*, & vniens per modum rationis formalis. Quod ſatis conſtabit perſpicienti mentem S. Doctoris: quippè eò tendit, vt excludat medium impediens conſtitutionem entis per ſe, quale debet eſſe compoſitum ex materia, & forma reſultans. Porrò medium impediens hanc conſtitutionem ſolùm eſt medium habens eſſe vt *quod*, & per modum tertij; ſecùs autem medium *quo*, & per modum rationis formalis.

13 Sed replicabis: quoniam D. Thom. aſſerit, ita ſe habere vnionem inter naturam humanam, & perſonam Verbi, ſicut ſe habet vnio inter materiam, & formam: atqui humanitas, & Verbum vniuntur ſe ipſis, & abſque omni nexu medio, ſiue vt *quod*, ſiue vt *quo*: ergo inter materiam, & formam non datur vllus nexus ab extremis ante intellectum diſtinctus. Conſequentia patet, tùm à paritate: tùm à fortiori; quandoquidem maior proportio inuenitur inter materiam, & formam, quàm inter humanitatem, & Verbum. Minor autem oſtenditur *Primò*: quia Verbum ſine aliquo ſibi ſuperaddito vnitur humanitati; aliàs per hanc vnionem acquireret aliquid intrinſecum, & inexiſtens: ergo pariter humanitas vnitur ſe ipſa verbo. *Secundò*: quia ſi daretur vnio diſtincta non poſſet eſſe naturalis; cum omnem naturam creatam excedat: neque ſupernaturalis; ſiquidem deberet identificari, cum ſubſtantia creata, nempè cum humanitate, cuius eſſet modus: implicat autem, quod ſupernaturale ſubſtantiæ naturali identificetur: ergo eſt impoſſibilis talis vnio media, & ab extremis diſtincta. *Tertiò*: quia prædicta vnio non requiritur ad hoc, quod humanitas denominetur vnita: ad hoc quippe ſufficit actio vnitiua in humanitate recepta, & relatio vnionis, quæ manet actione tranſacta. *Quartò*, & vltimò: quoniam humanitas ſe ipſa vnitur cum propria ſubſiſtentia; ſiquidem hæc eſt modus, & modus nequit vniri medio alio modo, alias daretur proceſſus in infinitum, ſed perſonalitas Verbi ſupplet perfectiſſimè ſubſiſtentiam creatam: ergo vnitur humanitati abſque nexu medio.

Huic replicæ (cui poſſet alias ſufficienter occurri negando conſequentiam ob notabilem diſparitatem, quæ inter vtramque vnionem deſignari ſatis probabiliter ſolet) reſpondetur negando minorem. Ad cuius primam probationem dicendum eſt, Verbum diuinum, vt potè actum purum, eſſe quantum eſt de ſe, non ſolùm extremum vnibile, ſed etiam ipſam vnionem, ſiuè extremum actu vnitum: & ideò non eget vnione ſibi ſupperaddita. Cæterum humanitas, ob oppoſitam rationem, ſolum habet ex proprijs meritis eſſe vnibilem in potentia: atque ideo neceſſum eſt, vt illi addatur modus, à quo dicatur intrinſecè vnita in actu. Maximè, quia relatio reperta in humanitate ad Verbum, & conſequens hanc vnionem, nequit oriri, niſi ex mutatione alicuius extremi: vndè cùm Verbum ſit extremum omninò immutabile, debet conſurgere ex humanitatis immutatione. Porrò humanitas nequit formaliter immutari ab ipſo Verbo; quia Verbum vnitur per modum puri termini: nec ab actione vnitiua, quia hæc, cum ſit actus proprius Dei, debet eſſe formaliter immanens. Quarè neceſſarius eſt modus vnionis ab humanitate diſtinctus, ipſam immutans, & fundans relationem ad Verbum. Obſerua tamen, quod licèt nexus copulans aliqua extrema, ſoleat aliàs vtrumque intrinſecè afficere, & habere rationem actus reſpectu illorum; hic tamen vnionis modus adæquatè ſe tenet ex parte humanitatis, & terminatur ad Verbum.

Ad ſecundam probationem dicimus prædictam vnionem eſſe ſimpliciter ſupernaturalem, & minimè repugnare modum ſupernaturalem receptum in entitate naturali, & illi, ſaltem largè, identificatum: vt patet in corpore Chriſti, quod eſt ſubſtantia naturalis; & tamen in Euchariſtia habet modum eſſendi ſupernaturalem.

14 Dices: impoſſibilis eſt ſubſtantia completa ſupernaturalis: ergo etiam repugnat modus ſubſtantialis ſupernaturalis. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod modus poteſt eſſe affectio ſubſtantiæ, & quid tranſcendentaliter reſpectiuum, ac proinde queit ſpecificari ab aliquo extrinſeco. Vndè poteſt eſſe ſupernaturalis, tùm quia reſpicit terminum diuini ordinis, cùm quia eſt affectio adeò eleuata, vt nulli ſubſtantiæ creatæ, aut creabili debito connaturalitatis valeat conuenire. Cæterùm ſubſtantia completa, nec poteſt eſſe affectio alterius ſubiecti, nec valet ſpecificari ab aliquo extrinſeco, vt ſatis ex ſe conſtat: quamobrem ſi ſupernaturalis foret, non diceretur talis, vel ob terminum extrinſecum, vel ob exceſſum ſupra ſubiectum; ſed quia excederet omnem naturam creatam, & creabilem. Huiuſmodi autem excellentia repugnat creaturæ: atque ideo non eſt poſſibilis ſubſtantia completa ſupernaturalis, licèt modus ſupernaturalis ob oppoſitam rationem ſit poſſibilis.

Ad tertiam probationem conſtat ex dictis ad primam: quoniam actio vniens, ſiue vnitio non vnit formaliter; ſed tantum effectiuè. Relatio autem vnionis ſupponit extrema vnita, & conſequenter non eſt ipſa vnio formalis, ſed ex illius poſitione reſultat.

Ad quartam probationem reſpondetur: primò negando antecedens, cuius probatio non vrget: quia ſolus modus, qui eſt formaliter ipſa vnio; nequit vniri per aliam vnionem, ne detur proceſſus in infinitum: ſubſiſtentia autem creata, licet ſit modus; attamen non eſt formaliter vnio: & idcircò valet vniri per alium modum vnionis. ¶ Secundò reſpondetur negando conſequentiam: quia humanitas ex vna parte eſt de ſe naturaliter determinata ad propriam ſubſiſtentiam; & ex alia ſubſiſtentia non exercet rationem cauſæ, ſed ſe habet, vt purus terminus naturæ: vndè non egent aliquo ſupperaddito, vt vniantur, ſed poſſunt ſe ipſis vniri. Humanitas autem non eſt de ſe determinata ad ſubſiſtentiam diuinam: & ideò debet habere aliquem modum, per quem trahatur, & determinetur ad eſſe perſonale Verbi. Nec hinc ſequitur, quod ſubſiſtentia creata terminet perfectori modo, quam diuina: quoniam tota hæc perfectio continetur in perſonalitate Verbi ſub altiori ratione, & talis modus non requiritur, vt ſe tenens ex parte Verbi, nec illi conferr aliquid, vt poſſit terminare naturam; ſed adæquatè ſe tenet ex parte humanitatis illam modificans, & determinans ad eſſe perſonale diuinum.

15 Deindè ſuadetur hæc opinio: nam ſi materia, & forma non vnirentur ſe ipſis, ſed per aliquem nexum ſibi ſupperadditum, ſequeretur primò, aliquid requiri ad conſtitutionem hominis præter corpus, & animam: hoc

Digitized by Google

autem eſt contra Athanaſium in illis verbis: *ſicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo*: ergo non datur nexus medius. Sequeretur ſecundò, dari aliquam tertiam entitatem præter materiam, formam, & compoſitum: ſed contrarium docet Philoſoph. 2. *de Generat.* ergo. ¶ Confirmatur: quoniam vt hæc vnio partibus ſeſe vniat, non indiget alia vnione: aliàs procedendum eſſet in infinitum: ergo, vt forma, ſeſe vniat materiæ, non indiget aliquo à ſe diſtincto. Patet conſequentia: quia non minorem proportionem habet forma cum materia, ac ille modus vnionis cum re, quam nectit, & cui ſe communicat.

Reſpondetur ad argumentum, nullum eſſe inconueniens in eo, quod requiratur ad conſtitutionem compoſiti aliquid præter materiam, & formam, videlicet nexus earum. Porrò hoc vinculum non habet rationem partis, extremi, vel tertij; ſed tantùm eſt quidam modus, vt liquet ex huculque dictis. Contra quæ minimè procedit D. Athanaſius, quia *ibidem* ſolùm enumerat partes hominis: hæc autem vnio non eſt pars; ſed partium nexus. Maximè cùm anima, & caro non conſtituant hominem, niſi vnitæ: quocirca in adductis verbis poſuit S. Doctor, ſaltem virtualiter, dictum modum. Vndè etiam patet ad auctoritatem Ariſtot. nam continet eundem ſenſum, & eodem modo exponenda eſt.

Ad confirmationem neganda eſt conſequentia: quoniam ſicut quantitas, quia eſt ratio formalis extendendi alia, non indiget alia ratione formali, à qua ipſa extendatur: & actio, quia eſt ipſum *fieri* effectus, ſe ipſa fit: & relatio, quia eſt ratio formalis referendi, non refertur per aliud, ſed per ſe ipſam: ita quia vnio eſt ratio formalis vniendi extrema, non indiget alio modo, per quem vniatur. Hinc autem non rectè deducitur argumentum ad extrema ipſa: hæc quippè, quantumlibet maximam coaptationem habeant, & proportionẽ, tantùm ſunt vnibilia, non verò ipſa vnio: atquè ideò expoſcunt aliquod ſuperadditum, vt nectantur actu. Sicut etiam intellectus poteſt eſſe omninò proportionatus in actu primo ad intelligendum aliquod obiectum, & conſequenter ad vnionem intentionalem cum illo; & nihilominùs implicat, quod in actu ſecundo abſque intellectione intelligat, & vniatur. Et ratio eſt eadem vtrobique: nam ex eo quod materia ſit proportionata formæ, & intellectus obiecto, ſolùm ſequitur, quod non egeant alio ſuperaddito, per quod ad vnionem proportionentur: minimè tamen conuincit, non eſſe neceſſariam ipſam vnionem à ſe diſtinctam. Hæc enim eſt terminus prædictæ proportionis, & habitudinis extremorum; quę proinde nequit non ab eis diſtingui.

QVÆSTIO III.

An vnio nectens materiam, & formam ſit vna, vel duplex.

SVppoſito, quod partes compoſiti ſubſtantialis vniantur aliquo modo ab eis diuerſo, ſtatim inueſtigandum ſe ſe offert, an prędictus modus ſit vnicus, an verò ex duabus vnionibus partialibus componatur?

§. I.

Statuitur vera ſententia.

16 DIcendum eſt, materiam, & formam vnico duntaxat vnionis modo inter ſe vniri. Sic docent communiter Auctores, qui prędictum modum admittunt, & quos dedimus *num.* 9. Suadetur ratione ſatis efficaci; quoniam vnicus modus ſufficit ad vniendas duas partes: ergo ſuperfluum eſt conſtituere duas vniones, aut duplicem vnionis modum. Conſequentia liquet: nam fruſtra fiunt per plura, quę poſſunt fieri per pauciora. Antecedens verò probatur: quia quęlibet vnio eſt vinculum duarum partium, & oppoſitum nequit intelligi: ergo ad vniendas duas partes ſufficit vna vnio.

Reſpondebis primò, quòd licèt ad vniendum vtcumque duas partes ſufficiat vna vnio; nihilominùs ad immutandam vtramque partem duplex vnio neceſſaria eſt: eò quod vnio afficiens v. g. materiam ſolùm ſe tenet ex parte illius & terminatur ad formam: ac proinde debet alia vnio poni ex parte formę, quę terminetur ad materiam: vt ſic vtrumque extremum immutetur, & dicatur intrinſecè vnitum. ¶ Sed hoc facilè refellitur: quia impoſſibile eſt, intelligere materiam vnitam formę, quin pariter forma intelligatur vnita, materię; ſicut repugnat, quod vnum corpus ſit indiſtans ab alio, & quod iſtud eodem modo non ſit indiſtans ab illo: ſed vt materia vniatur formę, ſufficit vnica vnio: ergo eadem vnio ſufficit, vt forma vniatur materię. Porrò partes vniuntur ob indigentiam, quam vna habet ab alia; atquè ideò vnio eſt complementum intrinſecum vtriuſque: ergo ſi vna vnio ſufficit ad vniendum duas partes, eadem vnio ſufficiet, vt vtraque pars immutetur. Vndè nequè ex hoc capite opus eſt conſtituere duas vniones.

Secundò, & meliùs occurres noſtrę rationi dicens, prędictum nexum non eſſe pręcisè vnionem inter materiam, & formam; ſed eſſe etiam vniuſcuiuſque cauſalitatem: vndè debet conſtitui duplex vnio, cum ibi reperiatur duplex cauſalitas, nimirùm materialis, & formalis. ¶ Sed nec hęc ſolutio ſatisfacit, & breuiter impugnatur: quoniam materia, & forma cauſant in actu ſecundo, vt vnitę, & ratione vnionis: ſed vnicus modus vnionis eſt ſufficiens, vt vniantur: ergo etiam ſufficit, vt proprias cauſalitates exerceant. Maior conſtat: quia materia cauſat, quatenus ſe communicat formę eam recipiendo; forma verò cauſat, quatenus ſe communicat materię illam actuando: ſed hęc munera exercent per vnionem; ſiquidem hoc ipſo, quod vniantur, materia recipit, & forma informat: ergo cauſant vt vnitę.

§. II.

Conuelluntur aduerſantia fundamenta.

17 PRo contraria ſententia conſtituente duas vniones realiter diſtinctas, refertur Durandus *in 3. diſt.* 15. *q.* 3. In cuius fauorem arguitur primò: quoniam cauſalitas materię eſt illius vnio ad formam, & cauſalitas formę eſt eius vnio ad materiam: ſed cauſalitates materię, & formę diſtinguuntur realiter: ergo non vniuntur vnico ſimplici nexu, ſed duobus realiter diſtinctis. Minor probatur: tum quia materia, & forma ſunt cauſę adęquatè diſtinctę, & pertinentes ad diuerſa genera; ergo habent cauſalitates realiter, & adæquatè differentes. Tùm etiam, quia cauſalitas materiæ eſt receptio, cauſalitas verò formæ eſt informatio: ſed actualis receptio non eſt actualis informatio; ſiquidem materia recipit, & non informat; forma autem informat, & non recipit; ergo eæ cauſalitates realiter diſtinguuntur. Tùm denique, nam materia per ſuam cauſalitatem cauſat in ſuo genere formam materialem, & rurſus forma per ſuam cauſalitatem cauſat in ſuo genere materiam: ſed implicat, quod aliquid cauſet per eandem cauſalitatem, per quam cauſatur; aliàs penderet ab eadem cauſalitate, quæ pendet ab

ipſo:

Digitized by Google

ipſo: ergo cauſalitates materiæ, & formæ nequeunt non realiter diſtingui.

Reſpondetur negando minorem: quoniam non requiritur tanta diſtinctio inter cauſalitates, ac inter cauſas: cùm enim tendant per ſuos influxus, ad productionem eiuſdem effectus, in quò omnino conueniunt, poſſunt, & debent habere maiorem vnitatem in ſuis cauſalitatibus, quàm inter ſe. Vndè videmus, cauſalitatem finis non diſtingui realiter à cauſalitate efficientis, quod mouetur ab ipſo fine; idem quippè amor eſt influxus finis, & efficientis, vt infra dicemus. Idemquè aſſerendum eſt de materia, & forma: cùm non minus debeant adunari in entitate ſuæ cauſalitatis cauſæ intrinſecæ, quàm extrinſecæ.

18 Vt autem probationibus in oppoſitum occurramus, animaduertendum eſt, quod licèt vnio inter materiam, & formam ſit realiter indiuiſibilis; duplex tamen formalitas in illa diſtinguenda eſt: alia, per quam immediatè dependet à materia, & eſt influxus materiæ in formam; alia autem, per quàm dependet immediatè à forma, & eſt influxus formæ in materiam. Nulla quippè in hoc inuoluitur contradictio, vt patet in amore, per quem cauſant finis, & efficiens: nam idem amor eſt, qui fluit ab agente, & per quem agens mouetur à fine. Quod magis perſpicuum fiet, conſiderando, quòd cauſalitas cuiuſuis cauſæ concretiuè ſumpta, importat, & implicat ipſam cauſam: vndè *recipere* dicit non ſolam vnionem, ſed vnionem, & materiam; & ſimiliter *informare* dicit non ſolam vnionem, ſed vnionem, & formam: quare cum materia, & forma realiter diſtinguantur, neceſsùm eſt, quod *recipere*, & *informare* differant realiter, ſaltem materialiter, & in concreto: & conſequenter, quod licèt vnio ſit realiter vna, tamen in munere cauſalitatis ſit æquiualenter duplex, quandoquidem habet ſimul rationem receptionis, & informationis.

Ex ijs ſoluitur prima probatio, quoniam non requiritur, quod tanta diſtinctio intercedat inter cauſalitates, ac inter cauſas: & ſic materia, & forma influere queunt per vnionem entitatiuè eandem, licèt penès formalitates diuerſam. ¶ Ad ſecundam dicendum, receptionem, & informationem, ſi conſiderentur penès ea, quæ in recto important, eſſe entitatiuè, & realiter, eundem vnionis modum: diſtinguuntur tamen realiter, ſi ſumantur materialiter, & in concreto: nam *recipere* importat materiam, vt cauſam, & non formam; *informare* autem dicit ſolam formam, vt cauſam, & non materiam. Et ideo verificatur, quod per eandem vnionem materia recipit, & non informat, forma verò actuat, & non recipit. Quemadmodum etiam finem mouere realiter diſtinguitur ab hoc, quod eſt agens agere: & tamen idem realiter eſt amor, qui vt ſe tenet ex parte finis, eſt finalizatio, & vt ſtat ex parte agentis, dicitur actio, ſiue efficientia.

Ad tertiam reſpondetur, nullam eſſe implicationem in eo, quod materia prima influat in formam, & dependeat ab ea per eundem modum entitatiuè, & quoad formalitates multiplicem. Et ratio eſt, quia non dependet à tali modo præcisè, & in abſtracto conſiderato; ſed ab eodem in concreto ſumptò: quo pacto includit formam ſubſtantialem, a qua materia realiter diſtinguitur, & dependet. Vndè ſicut eadem materia eſt ſimul in diuerſo genere cauſæ, & effectus: ita prædicta vnio, quatenùs recipitur in materia, & ſe tenet ex parte ipſius, dependet ab illa ſicut à cauſa, cæterùm quatenus ſe tenet ex parte formæ, & habet rationem informationis reſpicit materiam, vt effectum, & eſt independens ab ea. Quæ poſſunt illuſtrari exemplo ſæpius inculcato amoris, per quem influunt finalis cauſa, & efficiens.

19 Secundò arguitur: nam vnio inter materiam, & formam fundat diuerſas relationes reales, quibus eæ partes inter ſe correferuntur: ſed ratio fundandi diuerſas relationes reales, nequit eſſe eadem realiter in vtroque extremo, vt ſtatuimus in Logica: ergo vnio inter materiam, & formam non eſt vna realiter, ſed duplex. ¶ Reſpondetur, quod ſi ſemel inter has partes dantur relationes reales (quod nec vacat, nec libet in præſenti examinare) vtraque recipitur in toto compoſito, ſicut & reliqua accidentia; nullum enim valet immediatè afficere materiam primam, vt latè oſtendemus *in libr. de Generat.* Rationes autem fundandi dictas relationes non ſunt conſtituendæ in ſola vnione abſtractiuè accepta; ſed in illa quatenus concernit entitates materiæ, & formæ, quas vnit. Vndè idem modus, vt ſe tenens ex parte formæ, conſtituit ſimul cum illa adæquatam rationem fundandi vnam relationem: vt autem ſe tenet ex parte materiæ, conſtituit ſimul cum ea integram rationem fundandi alteram rationem. Et ideò non ſequitur, quod relationes realiter diuerſæ habeant rationem fundandi omninò eandem; ſed potius realiter diſtinctam.

20 Vltimò arguitur: quoniam in homine vnio inter corpus, & animam non eſt ſimplex, ſed compoſita: ergo idem de alijs dicendum eſt. Probatur antecedens: quia ſi eſſet ſimplex vnio, vel foret ſpiritualis, vel corporea: ſi ſpiritualis, non poſſet afficere materiam; ſi corporea, non valeret attingere animam, ob manifeſtam vtrobique improportionem: ergo in homine non datur vnica, & ſimplex vnio, ſed duplex, quarum vna eſt corporea, & ſe tenet ex parte materiæ; alia verò ſpiritualis, & ſe tenet ex parte animæ.

Reſpondetur negando antecedens, cuius probationi, vt obuiam iret Suarez *diſp.* 15. *Metaph ſect.* 3. elegit prædictam vnionem eſſe ſpiritualem: negat tamen, quod non poſſit attingere, & nectere corpus. Quoniam ſi anima rationalis, non obſtante ſua perfectione, & ſpiritualitate, materiam actuat; potiori iure modus hic vnionis poterit materiam afficere, à qua etiam in fieri, & conſeruari dependet. ¶ Cæterùm hæc doctrina ſuſtineri non poteſt: tùm quia homo generans attingit, vt cauſa principalis vnionem inter animam, & materiam geniti: ſed implicat, quod agens corporeum queat virtute propria, & corporea, qualis eſt potentia generatiua, efficere effectum ſimpliciter ſpiritualem: ergo dicta vnio ſpiritualis non eſt. Tum etiam, quia licèt forma ſpiritualis fluida valeat dependere à ſubiecto corporeo; quia hoc ipſo, quod vialis ſit, magis proportionari debet cum termino, ad quem ordinatur, quàm cum ſubiecto, quod actuat: attamen forma ſpiritualis permanens non valet à corpore dependere; nam hoc ipſo, quod permanens ſit, debet cum ſubiecto proportionari, & recipi ad modum recipientis: atqui modus vnionis inter materiam, & animam non eſt quid fluidum, ſed potius aliquid permanens, ſicut ipſe homo; & aliàs dependet à corpore, vt tradit ipſe Suarez: ergo nequit eſſe ſpiritualis.

Quamobrem aſſerendum eſt, vnionem connectentem materiam, & animam rationalem eſſe ſimpliciter materialem, & corpoream: quoniam licèt anima rationalis ſpiritualis ſit, eſt tamen corporea vt *quo*, & vera forma corporis. Et cum vnumquodque recipiatur ad modum recipientis, conſequens eſt, vt anima recipiatur in corpore modo corporeo, atque ideò coniungitur illi per vnionem materialem. Nec viget probatio in contrarium: quia licèt modus corporeus nequeat afficere ſubſtantiam ſpiritualem completam, qualis eſt Angelus; benè tamen formam ſpiritualem, quæ ſimul eſt forma corporis, qualis eſt anima rationalis: vt patet in potentijs ſenſitiuis hominis, & earum actibus, quæ licèt quid corporeum, & materiale ſint, non recipiuntur in ſola materia prima, ſed in toto compoſito, & per conſequens

etiam tangunt, & afficiunt animam rationalem, vt ſubiectum *quo*.

QVÆSTIO IV.

An ens naturale diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis.

SVpponimus, vt ex ſe notum, quod compoſitum ſubſtantiale diſtinguitur à qualibet ſuarum partium ſeorſim accepta, imò etiam ab vtraque ſimul ſumpta, non tamen inter ſe vnitis; quoniam addit ſupra illas ſic acceptas modum vnionis pertinentem ad ſui conſtitutionem, & quidditatem. Difficultas ergo in præſenti diſcutienda procedit, comparando compoſitum ad ſuas partes ſimul ſumptas, & vnitas. Nomine autem compoſiti, vel entis naturalis intelligimus naturam totalem v. g. humanitatem, quæ materiam, formam, et vnionem ſimul importat.

§. I.

Defenditur pars negatiua.

21 DIcendum eſt primò, ens naturale non diſtingui à ſuis partibus ſimul ſumptis, et vnitis. Sic docent Ariſtot. 5. *Metaph. text.* 31. *&* 4. *Phyſic. text.* 35. D. Thom. 1. 2. *q.* 13. *art.* 1. *&* 4. *contra Gentes cap.* 81. *ad* 2. vbi inquit: *De humanitate non eſt intelligendum, quod ſit quædam forma conſurgens ex coniunctione formæ ad materiam, quaſi realiter ſit alia ab vtraque*. Et reddens rationem ſubdit: *Quia cùm per formam materia fiat hoc aliquid actu, illa tertia forma non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis*. Vndè hæc ſententia communior eſt inter Philoſophos.

Primum, et præcipuum illius fundamentum eſt, quod propoſuit Angel. Doctor in verbis relatis, et poteſt ad hanc formam reduci: nam materia, et forma vnitæ, ſeclusâ omni alia entitate ſibi ſuperaddita, conſtituunt vnum ens per ſe: ſed non per ſimplicitatem, vt ex ſe liquet: ergo per compoſitionem: ergo compoſitum ſubſtantiale non diſtinguitur realiter à materia, et forma ſimul ſumptis, et vnitis. Patet hæc vltima conſequentia: quia totum nequit à partibus ſimul ſumptis, et vnitis diſtingui diſtinctione excludentis, et excluſi; cùm partes eſſentialiter includat: ſed tantùm poſſet diſtingui ab eis diſtinctione includentis, et incluſi, quatenùs aliquid adderet ſupra illas: ergo ſi materia, et forma vnitæ, ſecluſa omni alia entitate conſtituunt totum, et ens per ſe; impoſſibile, et inintelligibile eſt, quod totum diſtinguatur à partibus ſimul ſumptis, et vnitis. Maior autem oſtenditur: quoniam ex prima potentia, et actu primò vnitis conſtituitur vnum ens per ſe, vt tradit Philoſoph. 2. *de Anima cap.* 1. *text.* 7. *&* 8. *Metaph. cap. vlt. text.* 15. conſtat autem materiam eſſe primam potentiam, et formam ſubſtantialem primum actum: ergo ex illis vnitis, ſecluſo omni alio, conſtituitur ens per ſe.

Confirmatur, et explicatur: quoniam quod aduenit enti in actu, aduenit accidentaliter, et conſequenter nequit conſtituere vnum ens per ſe: ſed quidquid aduenit materiæ, et formæ vnitis, aduenit enti in actu: ergo non valet deſeruire ad conſtitutionem entis per ſe: atque ideò ens naturale, quod debet eſſe ens per ſe, conſtituitur in eſſe talis præcisè per materiam, et formam vnitas, antecedenter, et independenter ab aliquo illi ſuperaddito. Minor probatur: quia forma ſubſtantialis, cum ſit primus actus, et ſimpliciter talis, hoc ipſo quod vniatur materiæ, conſtituit ſe ipſa ens in actu: ergo quidquid aduenit materiæ, et formæ vnitis aduenit enti in actu.

22 Secundò probatur aſſertio alia ratione principali: quia ſi compoſitum ſubſtantiale importat aliquid realiter diuerſum a partibus ſimul ſumptis, et vnitis; inquirimus, an eſſentia compoſiti conſiſtat adæquatè in ſolo eo, quod partibus ſuperadditur, an verò conſtituatur ex illo ſuperaddito ſimul cùm partibus ſumpto? Primum eſt omninò abſurdum: nam eſſentia compoſiti phyſici nequit non includere partes; aliàs non erit entitas compoſita, ſed ſimplex; ſi dicatur ſecundum: ergo iam ens naturale non diſtinguitur ab omnibus ſuis partibus ſimul ſumptis, et vnitis, quandoquidem compoſitum non eſt aliud, quàm materia, forma, vnio, et hæc tertia entitas, quæ, cùm non ſit ipſum totum, nequit non habere rationem partis, et intrare compoſitionem.

Confirmatur, euertendo præcipuum fundamentum Aduerſariorum: nam ſi ob aliquam rationem totum deberet diſtingui à ſuis partibus ſimul ſumptis, et vnitis, maximè quia coaleſcit, et reſultat ex illis; et vnumquodque diſtinguitur realiter ab eo, ex quo reſultat, et conſtituitur: ſed hæc ratio eſt nulla: ergo. Suadetur minor: quia in oppoſita ſententia compoſitum reſultat ex materia, forma, vnione, et illa tertia entitate, quam Contrarij adſtruunt: atqui non diſtinguitur realiter ab omnibus ijs ſimul acceptis; aliàs adderet aliquid ſupra illa, de quo fiet idem argumentum, et dabitur proceſſus in infinitum: ergo ex eo, quod compoſitum coaleſcat ex materia, et forma vnitis, non rectè infertur, quod debeat realiter ab eis differre.

23 Dicendum eſt ſecundò, totum diſtingui à ſuis partibus ſimul ſumptis, et vnitis diſtinctione rationis ratiocinatæ. Hæc autem diſtinctio non aſſimilatur ei, quæ inter animal, et rationale inuenitur: illa quippè importat duos conceptus ſimplices, & ſe formaliter excludentes, vt conſtat ex dictis in Logica: hæc verò id habere non poteſt, ſiquidem in conceptu totius compoſiti includitur, & implicatur conceptus partium. Vndè hæc diſtinctio ſimilis eſt ei, quæ intercedit inter definitum, & illius definitionem: quæ tantùm eſt penès diſtinctum modum concipiendi, & ſignificandi eandem rem. Nam quemadmodum definitio aſſert explicitè partes, quas definitum implicitè importat: ita partes ſimul ſumptæ, & vnitæ explicant idipſum, quod compoſitum dicit ſub quadam confuſione. Ex quo oritur, quod diuerſimodè concipiantur. Aſſertio ſic explicata non ſemel inſinuatur à D. Thom. & ſatis ex ſe eſt perſpicua; Vndè in ea amplius elucidanda, vel roboranda non immoramur.

§. II.

Reſpondetur argumentis contrarijs.

24 COntrariam ſententiam amplectuntur Scotus *in* 3. *diſt.* 2. *q.* 1. Fonſeca 5. *Metaph. cap.* 2. *q.* 2. *ſect.* 2. Conimbric. 1. *Phyſic. q.* 1. *art.* 3. *cap.* 2. quibus nonnulli Thomiſtarum conſentiunt. Probatur primò ex Ariſtot. 5. *Metaph. cap.* 14. *text.* 19. vbi ait: *ſex non ſunt bis tria, ſed ſemel ſex*; & *lib.* 7. *cap.* 17. docet *ſyllabam BA non eſſe B, & A, & lib.* 8. *cap.* 6. *text.* 15. *aſſerit totum eſſe aliquid præter partes*, ergo ſentit, totum diſtingui à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis.

Reſpondetur negando conſequentiam, quam nullum ex adductis teſtimonijs euincit. Non primum: quia ibi Ariſtot. ſolùm intendit, numerum ſenarium non com-

poni

poni ex duobus indiuiduis ternarij; ſed eſſe ſpeciem longè diuerſam compoſitam ex ſex vnitatibus coordinatis. In ſecundo ſolum docet, ſyllabam *B A* non eſſe *B* & *A*, præciſa vnione ordinis, qua componunt talem ſyllabam: nam etiam *A B* habet eaſdem literas, & tamen ob diuerſum ordinem eſt ſyllaba diſtincta. Tertium denique procedit de compoſito, comparando illud, vel ad partes ſeorſim acceptas, vel ad eaſdem non vnitas. Vnde in nullo veritati à nobis ſtabilitæ præiudicatur.

25 Secundo arguitur: quia cauſa realiter diſtinguitur à ſuo effectu: ſed materia, & forma ſimul ſumptæ, & vnitæ ſunt cauſa compoſiti: ergo diſtinguuntur realiter ab illo. Maior conſtat: quoniam inter cauſam realem, & eius effectum eſt relatio realis, quæ abſque diſtinctione reali extremorum nequit conſurgere. Minor etiam liquet: nam materia, & forma cauſant totum, quatenùs illud conſtituunt: atqui compoſitum non conſtituitur per partes diuulſas, aut ſolitariè acceptas, ſed ſimul ſumptas, & vnitas: ergo materia, & forma quatenùs ſimul ſumptæ, & vnitæ cauſant compoſitum. ¶ Confirmatur: nam vnumquodque diſtinguitur realiter ab eo, ad quod realiter ordinatur: ſed partes ſimul ſumptæ, & vnitæ ordinantur realiter ad compoſitum; cùm ſit earum finis: ergo inter illas, & totum datur diſtinctio realis.

Vt huius argumenti difficultati, quæ non apparet leuis, perſpicuè occurramus, obſeruandum eſt, partes vnitas dupliciter poſſe conſiderari. Primò, quaſi *diuiſim*, ita vt vna ſumatur in recto connotando aliam in obliquo; vel, quod idem eſt, ita vt quælibet dicat præciſè ſuam entitatem, & vnionem ad aliam compartem, non tamen ſimul cum alia parte comparetur ad totum: vt ſi dicas *forma, vt vnita materia*. Vbi ſola forma habet rationem cauſæ, & refertur ex vi huius comparationis ad totum. Secundo modo poſſunt ſumi *collectiuè*, quatenùs non ſolum important vnionem vtcumque; ſed ſub vna collectione, & per eandem comparationem ſumptæ ſimul, & in recto referuntur ab intellectu ad compoſitum: vt ſi dicas, *materia, & forma vnitæ*. Partes autem, quamuis non cauſent totum, niſi vnitæ; nihilominus non influunt in illud ſumptæ poſteriori modo, ſed ſecundum priorem acceptionem. Et ratio eſt ſatis perſpicua: quoniam materia non cauſat compoſitum, niſi in genere cauſæ materialis, in quo ſola materia habet rationem cauſæ, ac proinde dicit duntaxat ſe ipſam in recto, non autem formam. Similiter forma ſolùm concurrit in genere cauſæ formalis, in quo certum eſt, ſolam formam habere rationem cauſæ, ſecus verò materiam. Vndè ſicut impoſſibile eſt, quod materia, & forma cauſent in eodem genere cauſæ: ita repugnat quod ſint cauſæ, ſi vtraque ſumatur in recto, & ſub eadem comparatione: ſed neceſſario aſſerendum eſt, cauſam materialem eſſe ſolam materiam, & non formam; cauſam vero formalem eſſe ſolam formam, & non materiam.

Ex ijs ad argumentum facilis eſt occurſus: reſpondetur enim materiam, & formam vnitas, ſumptas ſimul in recto, & ſub eadem collectione, & comparationis habitudine, non cauſare realiter totum compoſitum; ſed eſſe prorſus idem realiter cum illo. Nec oportet, quod effectus diſtinguatur à ſuis cauſis intrinſecis, ſi ſimul in recto vtraque recipiatur, & ſub eadem collectione: quia prout ſic non ſunt cauſæ, nec habent prædicto modo influere in compoſitum; ſed ſunt ipſummet totum, & ipſiſſima res conſtituta. Et in hoc ſenſu aſſerimus, compoſitum non diſtingui realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis. Quod ſi partes ſumantur diuiſiuè, & ſecundum priorem acceptionem nuper explicatam, cauſant realiter totum, & prout ſic diſtinguuntur realiter ab eo. Euidens quippè eſt, totum differre realiter à cauſa materiali, quia hæc eſt ſola materia, ſupra quam compoſitum addit formam; & etiam à cauſa formali, quæ eſt ſola forma, ſupra quam addit materiam. Vndè ſicut dicimus, quod totum diſtinguitur à ſuis partibus diuiſim acceptis, non autem ab illis ſimul ſumptis, & vnitis: ſic aſſerimus effectum, nempè compoſitum ſubſtantiale, diſtingui à ſuis cauſis intrinſecis diuiſim ſumptis. Secùs vero ſi ſimul, & collectiuè conſiderentur. Et ſimiliter quælibet pars diuiſim accepta ordinatur realiter ad totum, ſicut ad finem, à quo proinde debet diſtingui realiter: partes verò ſimul ſumptæ non ordinantur ad compoſitum, ſed ſunt ipſum totum, & finis. Per quod etiam ſatisfit confirmationi.

26 Arguitur tertiò: nam plura attribuuntur realiter compoſito, quæ nequeunt competere partibus ſimul ſumptis, & vnitis: quandoquidem totum eſt terminus generationis; non verò partes: totum eſt, quod operatur, ſecùs autem partes: paſſiones dimanant à toto, & non à partibus: ergo interuenit diſtinctio realis inter totum, & partes ſimul ſumptas, atque vnitas. ¶ Confirmatur: quia aliàs compoſitum phyſicum non diſtingueretur à toto per aggregationem: nam ſi totum phyſicum non diſtinguitur a partibus, ſicut ipſæ partes ſunt plura entia, ſic totum erit vnum per ſolam aggregationem ex pluribus.

Reſpondetur negando antecedens: nihil enim tribuitur realiter compoſito, quod partibus illius ſimul ſumptis, & vnitis realiter non conueniat. Verum quidem eſt, quod propter diuerſum modum concipiendi, & ſignificandi, quem in ſecunda aſſertione expoſuimus, plura in communi modo loquendi tribuuntur compoſito, quæ expreſsè non prædicantur de partibus ſimul ſumptis, & vnitis: cæterum ex parte rei ſignificatæ quidquid conuenit illi, ijs etiam realiter competit. ¶ Ad confirmationem dicimus, totum phyſicum, & totum per aggregationem maxime diſſidere: hoc enim eſt ens per accidens; quia eius partes ſunt entia in actu, & completa, ex quibus reſultare non valet vnum ens per ſe: illud autem non fit ex entibus completis, ſed ex partibus rigoroſis, ſe habentibus per modum potentiæ, & actus, atque ordinatis ex natura ſua ad conſtitutionem entis per ſe: vndè ex eis debet vnum ens per ſe reſultare, quod eſt totum phyſicum, ſiuè compoſitum ſubſtantiale.

Digitized by Google

LIBER II.

PHYSICORVM.

P*OST conſiderationem principiorum entis naturalis ſecundum ſe, ſiue* in eſſe rei, *quibus elucidandis elaborauit Ariſtot.* lib. primo, *incipit in hoc ſecundo agere de eiſdem principijs ſumptis in* eſſe ſcibilis, *& quatenùs important rationem* ſub qua *huius ſcientiæ*: *& ideò diſſerit de* natura, *à qua dicitur ens naturale. Et quia in definitione naturæ ponitur, quod eſt cauſa; idcircò de cauſis latè tractauit, oſtendens, & deſcribens omnes cauſas, per quas, Philoſophus procedere debet, vt paſsiones de proprio obiecto demonſtret. Ob connexionem verò doctrinæ, inſimulquè vt aperiret diſtinctionem cauſæ à caſu, & fortuna, de ijs etiam ſermonem inſtituit. Quæ omnia nouem capitibus ipſe comprehendit, noſquè in ſequentibus diſp. breuiter complecti, atque illuſtrare curabimus.*

DISPVTATIO VII.

De Natura.

PRIMVM locum cum Ariſtot. in hoc libro damus conſiderationi naturæ: cuius exiſtentia adeò dignoſcitur experimento motuum, quorum ipſa principium eſt, vt ſuperuacuum foret in ea rationibus oſtendenda conterere tempus. Quamobrem quæſtionem *an ſit?* omittimus; & à quæſtione *quid eſt?* diſputationem ordimur.

QVÆSTIO I.

Quid ſit natura?

1 DIcendum eſt, naturam eſſe *principium, & cauſam motus eius, in quo eſt primò, & per ſe, & non ſecundum accidens*. Sic expreſsè definit Ariſtot. *in hoc libro*, cui cęteri Philoſophi communi conſpiratione ſubſcribunt. Oportet tamen ſingulas eius partes exponere, vt illius bonitas euidentiùs appareat.

In primis dicitur natura *principium*, in quo conuenit cum priuatione. Sed additur, quod ſit, *cauſa motus*, per quod ab eadem diſtinguitur. Quoniam licèt priuatio valeat eſſe principium motus, cùm generatio ab illa, ſicut à termino *à quo* procedat, quod ſatis eſt ad rationem principij; nequit tamen eſſe cauſa, eò quod iſta debet habere influxum poſitiuum in effectum: quod non enti, qualis eſt priuatio, repugnat. Et quia natura debet poſitiuè concurrere ad motum, ideò dicitur, quod eſt non ſolùm principium illius, ſed etiam cauſa. Additur *motus*, & *quietis*, vt declaretur illud, reſpectu cuius habet natura rationem cauſę, & hoc non eſt aliud, quàm motus, & quies. Subſequitur deinde *eius in quo eſt*, videlicet ipſa natura: vt oſtendatur, naturam debere eſſe principium non cuiuſcunque motus, ſed motus interni, ſiue intrinſeci, hoc eſt motus exiſtentis in ipſo ente, cuius natura eſt pars. Ex quo deducitur, naturam ſolùm eſſe principium *quo* motus; principium autem *quod* eſt ipſum ens naturale, quod conſtituitur per naturam. Ponitur vlteriùs *primò* ad inſinuandum, naturam eſſe radicale principium *quo* motus interni: per quod excluduntur alia principia proxima, & accidentalia. Prętereà additur ly *per ſe*: quia natura non ſolùm eſt intrinſecum principium motus, ſed etiam hoc ei competit eſſentialiter, & quatenùs tali. Tandem illa particula, *& non ſecundum accidens*. denotat diſtinctionem naturę ab arte. Solet quippè ars eſſe principium motus eius, in quo eſt, vt cùm Medicus ſibi medetur: ſed hoc eſt per accidens; accidit enim infirmum, qui ſanatur, eſſe Medicum: & ideò non ſanatur in quantùm Medicus, ſed in quantùm infirmus. E contra verò natura eſt per ſe principium motus eius, in quo eſt. Ex quibus etiam deducitur *ens naturale* eſſe illud, quod habet in ſe principium intrinſecum, & radicale eius motus, quo mouetur: illaquè dici ipſi connaturalia, quæ à prædicto principio intrinſeco, & radicali deriuantur, quo pacto ſe habent plura accidentia, vt ex dicendis tota hac diſputatione magis conſtabit.

Digitized by Google

§. I.

Occurritur pluribus obiectionibus.

2 SEd quatenùs adducta definitio ſit adeò Ariſtot. & aliorum Philoſophorum auctoritate munita, & rectæ rationi conſona: plura tamen aduersùs illam ſe ſe offerunt argumenta, quæ diluere oportet, vt ex eorum enodatione profundum eius ſenſum altiùs calleamus. Ergo obijcies primò: de ratione cauſæ eſt, quod ſit principium: ergo ſi in definitione naturæ ponitur, quod ſit *cauſa*, ſuperfluè ponitur ly *principium*: ſicut ſi quis diceret, hominem eſſe viuens animal rationale, proculdubiò redundaret in illa particula *viuens*, quia viuens includitur in animali.

Reſpondetur, negando conſequentiam: nam citra omne vitium potuit vtraque particula collocari in definitione naturæ, ad denotandum, quod natura in aliquibus eſt principium paſſiuum motus, & hoc declaratur per ly *principium*; in alijs verò concurrit actiuè, & hoc denotatur per ly *cauſa*: in quo ſenſu ratio principij non includitur in conceptu cauſæ, vt ex ſe liquet. Quam expoſitionem tradit D. Thom. in præſenti, & amplectitur Ferrara *quæſt.* 1.

3 Secundò obijcies: elementum terræ habet in ſe naturam; & tamen nequit moueri, ſaltem ſecundum ſe totum: ergo non eſt de ratione naturæ, quod ſit principium motus. E contrà verò cœlum eſt ens naturale: & tamen nequit naturaliter quieſcere; quia vt oſtendit Ariſtot. *in lib. de Cœlo* motus illius eſt perpetuus ex natura ſua: ergo non pertinet ad conceptum naturæ eſſe principium quietis. ¶ Confirmatur: quia natura in hoc diſtinguitur à cauſis liberis, quod eæ poſſunt producere contraria; natura verò, vt eſt commune proloquium, determinatur ad vnum: conſtat autem motum, & quietem inter ſe contrariari: ergo non rectè dicitur in definitione naturæ, quod eſt principium motus, & quietis. Ad hæc: quies eſt carentia motus: ſed carentia nequit eſſe propriè effectus; ergo impropriè dicitur, naturam eſſe reſpectu quietis cauſam, & principium.

Reſpondetur, naturam dici principium *motus*, & *quietis* non diſiunctiuè, nec etiam copulatiuè; ſed per diſtributionem accommodam. Vndè non oportet, quod natura ſit in omnibus entibus naturalibus principium ſolius motus, vel in omnibus principium ſolius quietis; vel in omnibus principium vtriuſque ſimul: ſed ſenſus eſt, omnem quietem, & motum naturalem à natura procedere, ſicut à primaria radice: ita nimirùm, quod natura in aliquibus ſit principium ſolius motus, vt in orbibus cœleſtibus; in alijs autem ſit principium ſolius quietis, vt in globo terræ; in alijs deniquè ſit principium, tàm motus, quàm quietis, ſaltem ſucceſſiuè, vt in grauibus, & leuibus. Vndè nullum prædicta naturæ definitio incurrit vitium, vt patet etiam ex celebri illa animæ definitione: *Anima, eſt, qua viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus.* Cuius ſenſus non eſt, quamlibet animam debere habere vnam tantùm ex ijs operationibus, vel omnes ſimul: ſed per diſtributionem accommodam exponenda eſt, ita videlicet, quod anima ſit proprium principium harum operationum, ſiue inueniantur ſimul, ſiue diuiſim.

Ad confirmationem dicendum, quietem eſſe in duplici differentia: alia enim eſt naturalis, qualis eſt quies lapidis in proprio centro: alia eſt violenta; qua v. g. idem lapis detinetur in loco ſuperiori. Ex quibus quies naturalis minimè contrariatur motui naturali; ſed potiùs eſt illius finis, terminus, & complementum; cùm motus ſit medium ex natura ſua ordinatum ad huius quietis conſecutionem. Quies autem violenta eſt, quæ motui naturali directè contradicit, & aduerſatur, quia eſt illius impedimentum. Quandò igitur natura dicitur principium *motus*, & *quietis*, intelligenda ſunt hæc verba, non de motu, & quiete violenta, quæ motui opponitur; ſed de motu, & quiete, naturali, qui eſt finis, & complementum motus. Vndè non ſequitur, naturam eſſe principium contrariorum, ſed eſſe principium finis, videlicet quetis, & etiam medij, nempè motus: medium autem, & finis ob neceſſariam ſubordinationem computantur, vt vnum.

Id verò, quod additur facilè diluitur: nam *quies* poſita in definitione naturæ, non ſumitur purè priuatiuè pro nuda carentia motus; ſed ſumitur pro poſitiua poſſeſſione termini, ad cuius aſſecutionem motus ordinatur. Huiuſmodi autem quies, vtpotè cum aliquid poſitiuum ſit, optimè poteſt à natura, ſicut à principio procedere. Videatur D. Thom. 1. *p. q.* 73. *art.* 2. & 3.

4 Tertiò obiicies: natura eſt principium motus, qui recipitur in paſſo extrinſeco, & omninò diſtincto: ergo non rectè limitatur natura per adductam definitionem, vt ſit principium ſolius motus eius entis, in quo eſt ipſa natura. Suadetur antecedens: quia naturale eſt igni calefacere lignum ſibi applicatum; ergo motus calefactionis procedit per ſe à natura ignis: & tamen ille motus non recipitur in igne, ſed in ligno: ergo.

Reſpondetur quod *naturale*, alijs acceptionibus relictis, bifariam poteſt accipi: vno modo pro eo, quod eſt iuxta inclinationem rei, & ab illa procedit; quo ſenſu dicimus, naturale eſſe bono communicare ſe: alio modo prout eſt à natura, quatenùs natura eſt, & in præſenti definitur; quo pacto ſolùm comprehendit id, quod à principio ſibi intrinſeco ortum ducit. Natura enim non conſtituit ens purè motiuum, ſed debet conſtituere ens mobile, quod eſt idem cum ente naturali: atquè ideò debet eſſe principium illorum motuum, à quibus compoſitum per naturam ipſam conſtitutum mouetur, non verò illorum, per quos mouet alia, & non mouetur. Calefactio ergo ligni ſolùm dicitur connaturalis igni ſecundum primam acceptionem: quod non ſufficit, vt ille motus ſit à natura, quatenùs natura eſt. Aliàs motus etiam violentus dicendus eſſet naturalis; calefactio quippè aquæ, quæ eſt ſimpliciter violenta, procedit ab igne iuxta propriam eius inclinationem.

5 Quartò obiicies: illud, quod primò conuenit alicui rei, nequit ei conuenire per accidens, ſed debet conuenire per ſe: ergo cùm in definitione naturæ dicitur *primò*, & *per ſe*, nequit non vna ex ijs particulis redundare.

Reſpondetur negando conſequentiam: quia ly *per ſe* non ſolùm ſignificat, quod natura eſt intrinſecè, & eſſentialiter principium motus; ſed etiam denotat, quod hoc conuenit ei ratione ſui, & non ratione alicuius prædicati ſuperioris. Plura enim competunt alicui eſſentialiter, quæ tamen non dicuntur de illo iſto modo perſeitatis, ſed conueniunt ei per aliud: vt patet in homine, cui eſſentialiter conuenit eſſe radicaliter ſenſitiuum; & tamen hoc non conuenit illi, quia homo, ſiue per vltimam differentiam ſui conſtitutiuam, ſed id habet à gradu ſuperiori animalis. Vndè quia proprium eſt naturæ eſſe principium radicale motus, & hoc habet ratione ſui; idcircò dicitur, quod eſt principium motus non non ſolùm *primò*, ſed etiam *per ſe*.

Dices: ergo ſaltem particula *primò* ſuperfluit: quandoquidem, quod *per ſe* conuenit, *primò* conuenit. ¶ Reſpondetur negando ſequelam: nam ly *primò* denotat, naturam eſſe principium radicale motus: quod non explicat ſufficienter illa particula *per ſe*. Grauitas enim quatenùs talis, hoc eſt, per ſe, & ratione ſui eſt prin-

principium motus deorſum: & tamen non eſt principium radicale, ſed ſolùm proximum. Quamobrem vtraque particula in definitione naturæ meritò conſtituitur.

6 Vltimò obiicies: ars non eſt natura: & tamen poteſt eſse principium, & cauſa motus eius, in quo eſt, primò, per ſe, & non ſecundum accidens: ergo tradita definitio conuenit aliis à definito. Probatur minor: nam ars ſaltandi eſt primò, per ſe, & non ſecundum accidens principium ſaltationis, quæ in ipſo ſaltante eſt. ¶ Reſpondetur negando minorem, tùm quia ars non poteſt eſse principium radicale prædicti motus, ſed tantùm proximum: tùm quia ars non eſt cauſa motus interni ſumpti ſecundum entitatem, ſed præcisè quantùm ad modum: definitio autem ſatis apertè expoſcit, & quod principium ſit radicale, & quod concurrat ad entitatem actus, vel ſaltem ad modum illi entitati connaturalem, vt infra dicemus.

§. II.

Conſectarium præcedentis doctrinæ.

7 Ex hactenùs dictis ſatis liquidò colligitur, traditam naturæ definitionem eſse non ſolùm legitimam, quod hucuſque oſtenſum eſt; ſed etiam eſsentialem, vt docent communiter Philoſophi. Ratio eſt: quoniam illa definitio eſt eſsentialis, quæ datur per eſſentialia definiti: ſed eſſe principium radicale motus, & quietis conuenit quidditatiuè naturæ; ſiquidem nullum accidens poteſt eſſe principium radicale motus; ac proinde hæc ratio debet conuenire naturæ ratione propriæ ſubſtantiæ, et eſſentiæ: ergo illius definitio, quæ per hæc muneta traditur, eſt eſſentialis. ¶ Confirmatur: quia ens naturale, quatenùs tale, eſſentialiter eſt principium radicale *quod* motus interni; & ideò idem omninò eſt ens naturale, ac ens mobile: ſed natura eſt id, per quod conſtituitur ens naturale: ergo natura eſt eſſentialiter principium radicale *quo* motus interni. Vndè, cum hoc explicetur per definitionem hactenùs illuſtratam, planè ſequitur, illam eſſe quidditatiuam.

8 Sed obiicies primò: definitio tradita per effectus definiti nequit eſſe eſſentialis; eò quod effectus ſupponit cauſam in ſua eſſentia adæquatè conſtitutam; ſed hæc definitio explicat naturam per motum, & quietem, quę ſunt effectus illius: ergo nequit eſſe quidditatiua. ¶ Reſpondetur hanc definitionem non dari per motum, & quietem, quæ ſunt effectus naturæ; ſed per eſſe principium radicale vtriuſque. Licèt autem motus, & quies ſint quid extrinſecum naturę, & eam ſupponant adæquatè conſtitutam; eſſe tamen radicem motus, & quietis non diſtinguitur realiter à natura, sed ei competit eſſentialiter.

Replicabis: nam id quod eſt abſolutum non debet definiri per ordinem ad aliud: at natura eſt quid abſolutum; cùm ſit ſubſtantia: ergo non poteſt quidditatiuè explicari per habitudinem ad motum. Maximè, quia licet in definitione accidentis debeat poni ſubſtantia; in huius tamen definitione eſſentiali non eſt ponendum aliquod accidens: quia ſubſtantia ſecundum ſuam eſſentiam eſt independens ab accidentibus, & prior quam illa: vndè, cùm motus ſit accidens, & ponatur in definitione ſubſtantiæ, non poteſt hæc definitio eſſe eſſentialis.

Reſpondetur, rationem principij in creatis non eſſe omnino abſolutam, ſed debere eſſe relatiuam, ſaltem tranſcendentaliter, & ſecundum dici: nomen autem naturæ ſignificat ſubſtantiam non vtcumque, ſed ſub formalitate principij: vndè licèt ſubſtantia, quatenùs eſt eſſentia, debeat definiri omninò abſolutè; attamen ſub munere naturæ explicari quidditatiuè non valet, niſi per reſpectum ad motum, & quietem, quæ radicat. Quæ eſt doctrina D. Thom. in præſenti lect. 1. vbi inquit: *Ponitur autem in definitione naturæ principium, quaſi genus, & non aliquid abſolutum: quia nomen naturæ importat habitudinem principij.* Quę ex ſolutione ad ſequentem obiectionem maiorem lucem accipient.

9 Obijcies ſecundò: definitio eſſentialis datur per id, quod primò conuenit rei definitę, cum eſſentia rei ſit primum omnium, quę reperiuntur in illa: at eſſe principium motus, & quietis non eſt, quod primò conuenit naturę: ergo hęc definitio nequit eſſe eſſentialis. Minor videtur perſpicua, quia in natura prius eſt, principium eſſendi, quam motus; ſicut in ente naturali priùs eſt *eſſe*, quam *moueri*. ¶ Confirmatur: quia ratio naturę ſolùm inuenitur in materia, & forma: atqui eſſentia formę adęquatè ſaluatur in eo, quod ſit primus actus materię, ſicut & eſſentia materię in eo, quod ſit primum ſubiectum: ergo esse principium motus, & quietis non ſpectat ad quidditatem naturę.

Reſpondetur, quod in eadem entitate ſubſtantię duo conceptus virtualiter diuerſi, & se excludentes diſtinguendi ſunt: alter, qui dicitur essentia, per quem pertinet ad ordinem eſſendi: alter verò, qui dicitur natura, ſub quo pertinet formaliter ad ordinem mobilium. Et quamuis ex ijs conceptus eſſentiæ ſit abſolutè prior, & ad illum conceptus naturæ in eadem entitate ſubſequatur: nihilòminùs, loquendo de natura ſub conceptu naturæ, vt in præſenti conſideratur, nihil in ea priùs, vel intimius reperitur, quam esse principium radicale motus, & quietis; ſiquidem per hanc rationem in tali naturæ conceptu conſtituitur, quocircà cùm adducta definitio id explicet, nequit non esse quidditatiua. Et idem aſſerendum eſt proportionabiliter de compoſito ſubſtantiali: nam licèt in eo, abſolutè loquendo ſit priùs *eſſe*, quam *moueri* radicaliter; attamen loquendo de illo ſub reduplicatione entis naturalis, & pertinentis ad ordinem mobilium, primum, quod in eo inuenitur eſt mobilitas radicalis: eſſe quippè non ſpectat formaliter ad hunc ordinem; ſsd tantum præſuppoſitiuè, quatenùs pertinet ad alium ordinem, nempe eſſendi, qui antecedit ordinem mobilium. Per quod etiam conſtat ad confirmationem: nam illæ definitiones competunt materiæ, & formæ quatenùs important eſſentiam, & ſpectant ad ordinem eſſendi: ſi verò definiendæ forent ſub conceptu naturæ, non alia definitione quam ea, quæ tradita eſt ab Ariſtot. deberent eſſentialiter definiri.

10 Infertur etiam ex dictis, formam totalem v. g. humanitatem, vel equinitatem, non eſſe propriè, & rigoroſè naturam, neque ſub adducta definitione comprehendi. Quod tradunt, & probant Ariſtot. in præſenti *text.* 11. & D. Thom. *ibidem* ijs verbis; *Poſſet aliquis credere, quod, quia materia dicitur natura, & etiam forma, quod compoſitum poſſit dici natura: quia ſubſtantia dicitur de materia, & de forma, & de compoſito; ſed hoc excludit dicens, quod compoſitum ex materia, & forma non eſt ipſa natura, ſed eſt aliquid à natura; quia natura habet rationem principij, compoſitum verò habet rationem principiati.* Vndè quando humanitas (& idem eſt de alijs formis totalibus) appellatur natura, non ſumitur *natura* pro primo principio motus interni, quo pacto de ea loquimur in præſenti; ſed vſurpatur pro *quidditate*, & *eſſentia*. Quod ſatis eſt perſpicuum, nec habet contra ſe aliquod argumentum, cui opus ſit ſpecialiter ſatisfacere.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

An materia prima, & forma materialis ſint natura.

EXplicata ſufficienter quidditate naturæ, inueſtigare oportet quibus conueniat naturæ ratio: quod hac, & ſequenti quæſtione præſtare curabimus.

§. I.

Deciditur quæſtio aliquibus aſſertionibus.

11 DIcendum eſt primò, materiam primam eſſe verè, & ſimpliciter naturam Sic expreſſè docet Ariſtot. *in præſenti text.* 11 vbi hæc habet: *Vno igitur modo natura ſic dicitur prima vniuſcuiuſque ſubiecta materia; alio autem modo forma, & ſpecies.* Et idem docent D. Thom. *ibidem*, & communiter Philoſophi. Fundamentum eſt: quia materia eſt principium, & cauſa motus, & quietis eius, in quo eſt, &c. ſed in hoc conſiſtit propria naturæ ratio: ergo materia eſt verè, & propriè natura. Maior oſtenditur: nam motus naturalis, ſicut recipitur in compoſito, vt in ſubiecto adęquato, & *quod*; ita recipitur in materia, ſicut in ſubiecto *quo*; cùm ipſa ſit prima ratio recipiendi, ergo materia eſt principium, & cauſa radicalis in ſuo genere motus entis, in quo eſt.

Confirmatur: quia ſicut compoſitum ſubſtantiale, quatenus importat eſſentiam totalem, coaleſcit ex eſſentijs partialibus; ita quatenùs dicit naturam totalem debet componi ex partialibus naturis; cùm ſemper ſit tale per compoſitionem: ergo ſicut materia habet rationem eſſentiæ, ſaltem partialiter; ſic debet habere veram rationem naturæ.

12 Dicendum eſt ſecundò, omnem formam ſubſtantialem materialem eſſe verè, & propriè naturam. Hanc aſſertionem tradit Ariſtot. in præſenti, & *lib. de partibus animalium cap.* 10. & alibi ſæpè: quam etiam amplectuntur D. Thom. & communiter Doctores. Ratio eſt ſatis perſpicua: nam nulla datur forma materialis, quæ non ſit principium, & cauſa motuum eius entis, quod conſtituit: ergo omnis forma materialis habet rationem naturæ. Suadetur antecedens diſcurrendo per ſingulas formas: quia ſi forma fuerit ſenſitiua, qualis eſt forma equi, eſt principium, & cauſa motus progreſſiui, & omnium ſenſationum, ſi autem fuerit vegetatiua, qualis eſt anima plantæ, eſt principium motus nutritionis, & augmentationis; ſi verò fuerit forma inanimata, qualis eſt forma lapidis, eſt principium motus ſurſum, vel deorſum, & quietis naturalis in centro: ergo nulla eſt forma materialis, quæ non ſit principium, & cauſa alicuius motus, & quietis eius entis, in quo eſt ipſa forma.

13 Suadetur deinde eadem aſſertio ſpecialiter in illis formis, quæ animæ communiter nuncupantur, & concurrunt actiuè ad ſuos motus: nam vt inquit Ariſtot. 8. *Phyſic. text.* 27. *totum animal natura ſe ipſum mouet*: ſed mouere ſeipſum importat principium actiuum: ergo formæ, quæ fuerint principium actiuum motuum eius entis, in quo ſunt, erunt verè, & propriè natura. ¶ Confirmatur primò: quia viuentia, quatenus talia, habent verè, & propriè naturam; aliàs ſola inanimata illa gauderent, quod ex ſe apparet abſurdum: ſed viuentia in hoc diſtinguuntur à non viuentibus, quod illa habent in ſe principium actiuum motus; ſecùs verò iſta: ergo principium actiuum motus entis, in quo eſt ipſum principium, qualiter ſe habent formæ animatæ, eſt propriè, & ſimpliciter natura. ¶ Confirmatur ſecundò: quia huiuſmodi formæ ſunt verè principium actiuum illorum motuum, qui reperiuntur in entibus per ipſas conſtitutis, influuntquè in illos primò, & per ſe: ergo nullum apparet rationabile fundamentum, quare debeāt excludi à propria ratione naturæ.

14 Dicendum eſt tertiò non requiri ad hoc, vt forma habeat rationem naturæ, quod concurrat actiuè ad motum; ſed ſufficere concurſum eius paſſiuum. Hæc eſt Ariſtot. *in hoc lib.* & D. Thom. *lect.* 1. illamquè tradunt communiter Interpretes. Probatur ratione primò: quia cui competit definitio, conuenit neceſſariò ratio, ſiue eſſentia definita, vt ex ſe liquet: ſed vt tota definitio naturæ conueniat formæ, non requiritur, quod influat actiuè in motum; ſed ſatis eſt, quod concurrat paſſiuè: ergo. Minor probatur quoad illas particulas *principium, & cauſa*, de quibus duntaxat poterat eſſe difficultas: nam ratio cauſæ, & principij verè, & propriè ſaluantur in principio paſſiuo; aliàs cauſa materialis non haberet propriè rationem cauſæ, & principij: ergo definitio naturæ conuenit formæ, etſi non concurrat actiuè ad motum, ſed tantum paſſiuè. Ad hæc: materia nequit concurrere actiuè ad motum, ſed ſolùm paſſiuè: & tamen conuenit ei propria ratio naturæ, vt ſupra oſtendimus: ergo vt forma ſit verè natura, ſatis eſt, quod concurrat paſſiuè ad motum.

15 Secundò probatur eadem concluſio: quoniam cœlum eſt verè, & propriè ens naturale, ac proinde eius forma eſt verè natura: ſed forma cœli non eſt principium actiuum motus, quo cœlum mouetur: ergo vt forma ſit natura, non petit neceſſariò eſſe principium actiuum motus. Minor conſtat: quia eſſe principium actiuum motus eius entis, in quo eſt, ſolùm conuenit animæ, ſeu formæ viuenti, vt tradit Ariſtot. 8. *Phyſic. cap.* 4. ſed cœlum non eſt animatum, vt iam tenet concors Philoſophorum ſententia: ergo forma cœli non influit actiuè in motum illius. Maior autem oſtenditur: tùm quia ſic docet Ariſtot. 1. *de Cœlo cap.* 2. & *lib.* 7. *Metaph. cap.* 2. Tum etiam, quia obiectum Philoſophiæ debet eſſe ens naturale, vt ſupra ſtatuimus *diſp.* 1. at cœlum pertinet per ſe ad obiectum Philoſophiæ, & de eo egit Ariſtot. *in quatuor libris*: ergo cœlum eſt ens naturale. Tùm denique quia ens naturale eſt idem re ipſa, ac compoſitum ſubſtantiale ex materia, & forma coaleſcens: ſed hoc conuenit cœlo, idquè ſatis euidenter colligitur ex eo, quod habeat quantitatem, & alia accidentia corporea: ergo ratio entis naturalis nequit non in cœlo inueniri.

§. II.

Referuntur contrariæ opiniones, & earum argumentis occurritur.

16 PRima ſententia primæ noſtræ aſſertioni contraria, negat materiam primam eſſe naturam. Ita Valleſius *controu.* 11. ad Tyrones. Probatur primò: quia materia nequit eſſe cauſa, motus: ergo non eſt natura. Antecedens ſuadetur: nam materia nequit eſſe cauſa, niſi materialis, & per modum ſubiecti: at nec hoc modo eſt cauſa motus; ſiquidem hic non recipitur in materia, ſed in compoſito: ergo materia nequit eſſe cauſa motus. ¶ Reſpondetur, quod licet materia non ſit ſubiectum *quod* motus: eſt tamen ſubiectum *quo*: quia per modum primæ potentiæ, & radicis tribuit compoſito naturali, quod ſit ſubiectum aptum ad recipiendum: & hoc ſatis eſt ad rationem naturæ.

17 Argui-

17 Arguitur ſecundò: quia ita ſe habet forma ſubſtantialis ad ens naturale, ſicut forma artificialis ad artefactum: ſed in artificialibus ſola forma eſt ars: ergo in naturalibus ſola forma eſt natura, ſecùs verò materia. ¶ Confirmatur: quia natura eſt id, per quod ens naturale diſtinguitur ab artificiali: ſed ſolùm diſtinguitur per formam, non verò per materiam: ergo ratio naturæ non competit materiæ, ſed formæ. Minor probatur: nam eadem materia prima ligni manet in ſtatua: ergo ens naturale, & artificiale non diſtinguuntur per materiam.

Reſpondetur ad argumentum negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod forma artificialis eſt verum accidens, ac proinde eius ſubiectum debet eſſe ſubſtantia, & conſequenter non poteſt eſſe ars: natura autem per modum formę non excludit à ſubiecto, quod ſit ſubſtantia; ac proinde, tàm materia, quàm forma queunt habere naturæ rationem; ſiquidem hæc eſt propria ſubſtantiæ partialis. ¶ Ad confirmationem neganda eſt minor: quoniam materia propria, & immediata artefacti non eſt materia prima, ſed totum compoſitum ſubſtantiale, quod dicitur materia ſecunda: vndè ens naturale, & artificiale nequeunt conuenire in materia.

18 Arguitur tertiò: quoniam ſi materia prima eſſet natura, ſequeretur, nullum motum fore violentum: conſequens eſt abſurdum: ergo. Sequela oſtenditur: nam ille motus dicitur violentus, qui eſt contra inclinationem naturæ; atqui nullus eſt motus, qui aduerſetur inclinationi materiæ: ergo ſi hæc eſt natura, nullus motus erit violentus. Probatur minor: tùm quia materia eſt de ſe indifferens ad omnes motus, & nullum ſibi peculiariter determinat: ergo nullus eſt contra inclinationem illius. Tùm etiam, quia materia prima inclinatur in omnes formas: ergo inclinatur in omnes motus ab eiſdem dimanantes: ergo ſicut quælibet forma eſt connaturalis materiæ, ita etiam omnis motus: ac proinde ſi materia eſt natura, nullus motus erit violentus.

Reſpondetur negando ſequelam, quam probatio minimè euincit: nam vt motus ſit ſimpliciter violentus ſatis eſt, quod ſit contra inclinationem, tùm formæ, quæ eſt natura partialis, & nobilior pars compoſiti ſubſtantialis, tum naturæ totalis, quæ ex materia, & forma reſultat. Vndè quamuis motus v. g. lapidis ſurſum, nullo pacto eſſet contra inclinationem naturæ, quæ eſt materia: adhuc tamen eſſet ſimpliciter violentus, cùm opponatur inclinationi formæ, & naturæ totalis lapidis, vt ex ſe liquet. Ad inueſtigandum autem, cùm aliquis motus violentus ſit, potiùs attendi debet ad formam, quæ eſt natura propria entis naturalis, quam ad materiam primam, quæ, quantum eſt de ſe, eſt quid commune, & nullam peculiarem inclinationem determinat. Quibus etiam addendum eſt primò, quod licèt materiæ primæ ſecundum ſe acceptæ nullus motus aduerſetur; ei tamen quatenùs peculiariter determinatur. & ſigillatur ad aliquam formam, violentus, & contrarius eſt ille motus, qui huius formę acquiſitioni, vel poſſeſſioni repugnat; nam ratione illius ſigillationis incipit materia habere particularem inclinationem. Addendum eſt ſecundò, aliquos eſſe motus, qui non ordinantur ad acquiſitionem formæ ſubſtantialis, qualis eſt ille v. g. quo ferrum recipit figuram artificioſam; & huiuſmodi motus nequeunt eſſe iuxta propriam inclinationem materiæ; cùm non conducant ad illius finem, nimirùm ad poſſeſſionem, & conſecutionem formarum: quocircà violenti dici poſſunt, tàm reſpectu materiæ, quàm compoſiti.

19 Secunda ſententia, quæ noſtræ ſecundæ concluſioni opponitur, ſentit formas animatas, v. g. animam plantæ, vel equi, quæ concurrunt actiuè ad motum, non habere propriè rationem naturæ. Pro hac refertur B. Albertus 2. *Phyſic. tract.* 1. *cap.* 1. Et poteſt ſuaderi: quia de ratione naturę eſt, quod ſit duntaxat principium paſſiuum motus: ſed eæ formæ concurrunt actiuè ad motum: ergo nequeunt habere rationem naturæ. Probatur maior: tùm quia Ariſtot. 2. *Phyſic. cap.* 7. probat, Deum non ſpectare ad obiectum Philoſophiæ, quia non habet in ſe principium motus, ſiue naturam: ſed Deo non deeſt principium actiuum motus, ſed ſolùm paſſiuum: ergo natura ſolùm conſtituitur per eſſe principium paſſiuum motus. Tùm etiam, quia eſſe principium actiuum, & paſſiuum ſunt rationes inter ſe oppoſitæ: ſed de ratione naturæ eſt eſſe principium paſſiuum motus: ergo eſt contra eius rationem concurrere actiuè ad illum.

Confirmatur: quia natura eſt determinata ad vnum: at anima v. g. equi, quatenùs eſt principium actiuum, concurrit ad plures, & diuerſos motus; vt præter alios conſtat in motibus progreſſiuis: ergo forma, quæ eſt anima, nequit eſſe propriè natura.

Reſpondetur ad argumentum negando maiorem: & ad primam illius probationem dicendum eſt, eſſe contra rationem entis mobilis, quod ſit purè actiuum, & nullum habeat in ſe principium paſſiuum, ſiue receptiuum motus: Et hac ratione probat Philoſophus, Deum non pertinere ad obiectum Philoſophiæ: quia videlicet non habet rationem entis mobilis, cùm ſit actus purus. Hinc tamen non infertur, conceptum naturæ adæquatè, & vnicè conſtituendum fore in ſolo principio *quo* purè paſſiuo: nam ad conſtitutionem entis mobilis, etiam intrare poteſt principium actiuum motus, nempè anima; connotando principium purè paſſiuum, videlicet materiam. ¶ Ad ſecundam dicimus, naturam ſecundum conceptum communem naturę ſolùm importare, quod ſit principium radicale motus interni: quæ ratio ſuo modo abſtrahit à principio purè paſſiuo, & à principio ſimul actiuo. Quare licèt rationes actiui, & paſſiui ſint oppoſitæ, ſolùm conuincitur, materiam, & animam eſſe naturas inter ſe diuerſas: cum qua diuerſitate ſtat ſaluari in vna, & altera communem conceptum naturę. ¶ Ad confirmationem reſpondemus, ſatis ſuperque eſſe ad veritatem illius proloquij, quod natura operetur abſque indifferentia, electione, & libertate: quamuis autem anima equi ſit principium plurium motuum; omnes tamen producit abſque libertate: & idcircò ex vi huius non debet excli à conceptu proprio naturæ. Sed de illo axiomate infra iterum dicemus.

20 Tertia opinio tertiæ concluſioni aduerſa docet, requiri indiſpenſabiliter ad hoc, vt forma habeat rationem naturæ, quod ſit principium actiuum motus. Ita Vaſquez 1. 2. *diſp.* 25. *cap.* 4. Et probatur primò: quia natura debet concurrere ad motum per modum primi principij, & radicis illius, vt conſtat ex eius definitione: at hoc nequit competere formę, quę non concurrit actiuè ad motum, ſed purè paſſiuè: ergo ad rationem formæ, quæ eſt natura, pertinet indiſpenſabiliter concurſus actiuus. Minor ſuadetur: quia primum principium paſſiuum eſt materia: ergo forma, ſi concurrat ſolum paſſiuè, non valet eſſe primum principium. ¶ Confirmatur; quia forma, vt forma, non habet rationem potentiæ, ſed actus: ergo ſi forma, quatenùs talis, eſt natura, debet concurrere ad motum per modum actus, atque ideo agendo.

Reſpondetur, ſubiectum proximum paſſiuum, & ſuſceptiuum *quod* motus eſſe compoſitum ſubſtantiale: quod à duplici principio *quo* conſtituitur in eſſe talis, nempè à materia, ſicut à primo ſubiecto; à forma autem, ſicut à dante actualitatem requiſitam ad ſuſcipiendum motum: eò quod motus, cùm ſit accidens, & habeat eſſe ſecundum quid, debet ſupponere eſſe ſimpliciter, &

ſub-

ſubſtantiam adęquatè conſtitutam. Vndè ſicut materia, & forma concurrunt ad conſtitutionem entis naturalis, & quælibet ſuo modo habet rationem primi principij: ita vtraque valet eſſe primum principium motus; etſi vna, & altera paſſiuè ſe habeat ad illum: quoniam adhuc paſſiuè concurrunt modo valdè diuerſo, materia videlicet paſſiuè recipiendo, forma verò paſſiuè ſuſtentando. Per quod etiam patet ad confirmationem: quia licèt forma ſit actus reſpectu ſubiecti; eſt tamen potentia reſpectu motus, & illum recipit, vt *quo*.

21 Secundò arguitur: quia de ratione entis naturalis eſt, habere in ſe aliquod principium actiuum motus: ſed hoc principium nequit eſſe materia, vt ex ſe liquet: ergo de ratione formæ conſtitutiuæ entis naturalis eſt, quod ſit principium actiuum motus. Probatur maior: quia cœlum non eſt ens naturale, nec illius motus eſt naturalis: ſed circa hoc nequit deſignari alia ratio, niſi quod cœlum non habet in ſe principium actiuum ad ſe mouendum: ergo de ratione entis naturalis eſt habere in ſe principium actiuum motus. Maior huius vltimi ſyllogiſmi ſuadetur: tùm quia omnis motus naturalis eſt ad acquirendam aliquam perfectionem: ſed cœlum nullam ex motu perfectionem conſequitur: ergo illius motus non eſt naturalis. Tùm etiam, quia ſi motus cœli eſt ei connaturalis, quies quam habebit poſt diem iudicij, erit illi violenta: conſequens eſt falſum; ſiquidem illa quies in perpetuum durabit, quod eſt contra rationem violenti: ergo.

Reſpondetur negando maiorem primi, & ſecundi ſyllogiſmi. Ad primam autem probationem in contrarium reſpondetur, quod licèt motus localis rectus, ſit ad acquirendam aliquam ipſius mobilis perfectionem: eò quod ex natura ſua ordinatur ad conſtituendum mobile in proprio loco, extra quem eſt, quandiù ſic mouetur: attamen motus circularis, qualis eſt motus proprius cœlorum, id non expoſcit; tùm quia non eſt ad locum, ſed circa locum: tùm, quia non ordinatur ad perfectionem mobilis, ſed aliorum, vt ſtatim dicemus. Ad ſecundam probationem neganda eſt ſequela: quoniam illa quies erit à Deo; ac proinde non erit violenta, ſed iuxta inclinationem vniuerſalem, quę cuiuis creaturę ineſt ad obediendum auctori naturæ: cui cedunt alię particulares inclinationes. Quod magis perſpicuum fiet, ſi animaduertamus, cœlum non appetere motum propter ipſum motum, cùm iſte ſit actus imperfectus; ſed inclinatur in illum, vt deſeruiat hominum generationi, & aliorum, quæ ad hominem ordinantur: is quippè eſt finis prædicti motus pręfixus à Deo. Et quia, impleto electorum numero oportet humanam propagationem ceſſare: idcircò ceſſabit etiam in cœlo inclinatio ad motum, per quem hominum generationi ſeruiebat. Quare poſt diem iudicii inclinabitur in quietem, & hæc erit illi connaturalis. Neque inſolens, aut nouum eſt, quod duo contraria conueniant connaturaliter, ſaltem ſucceſſiuè eidem ſubiecto; ſed potiùs hoc non ſemel contingit, vt riſus, & fletus hominis atteſtantur.

QVÆSTIO III.

An anima rationalis ſit natura.

NOn procedit præſens difficultas circa animam noſtram, quatenus vegetatiua, & ſenſitiua eſt, haberque conuenientiam cum formis, de quibus hucuſque actum à nobis eſt: conſtat quippè ex dictis pars affirmatiua; cùm ſub hac conſideratione militet eadem ratio in iſta, ac in aliis animabus. Vocamus autem in dubium, an ſecundum ſuam vltimam differentiam, & quatenùs rationalis eſt, habeat propriè rationem naturæ: quod in præſenti determinare curabimus.

22 Dicendum eſt, animam noſtram, quatenùs rationalis eſt, eſſe verè, & propriè naturam. Ita cum Ariſt. In præſenti docent communiter Philoſophi, quos proinde non eſt neceſſarium referre. Probatur ratione: quoniam anima rationalis, quatenùs talis, eſt vera forma hominis: ergo vt rationalis, eſt verè, & propriè natura. Conſequentia conſtat, quia vt docet Ariſt. natura propriè dicitur de materia, & forma, quæ ſunt partes entis naturalis: conſtat autem hominem eſſe verè, & propriè ens naturale: ergo eius propria forma eſt verè, & rigorosè natura. Antecedens autem ſuadetur: tùm quia ſic definitur in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. & in Lateranenſi ſub Leone X. Tùm etiam, quia homo quatenùs rationalis eſt, & in vltima ſpecie conſtituitur, debet habere aliquam formam: ſed non habet aliam, niſi animam rationalem quatenùs talem: ergo hæc etiam ſecundum vltimum gradum eſt vera forma hominis.

23 Secundò probatur ratione deſumpta ex D. Thom. 1. *p. q.* 75. *art.* 2. *ad* 2. quia anima noſtra, vt rationalis, eſt principium *quo* motus interni: ergo eſt verè natura. Conſequentia liquet ex ſupra dictis. Antecedens verò ſuadetur: nam riſus, fletus, admiratio, & locutio ſunt motus interni, & connaturales homini, vt homo eſt: ergo datur in homine aliquod radicale principium *quo* horum motuum: ſed hoc non eſt aliud, quam anima rationalis ſecundum ſuam vltimam differentiam; ergo anima noſtra, vt rationalis, eſt principium *quo* motus interni.

§. vnicus.

Refelluntur rationes aduerſæ.

24 OPpoſitam opinionem tuentur Auicenna 1. *ſufficientiæ cap.* 5. & B. Albertus M. *lib.* 1. *Phyſic. tract.* 1. *cap.* 2. Quæ poteſt probari primò ex Ariſt. *in hoc lib. cap.* 1. vbi docet formam, quæ eſt natura, debere eſſe in ſubiecto; ſed eſſe in ſubiecto eſt proprium formæ materialis, atque ideò nō poteſt conuenire animæ noſtrę cum ſpiritualis ſit: ergo anima noſtra non eſt natura. ¶ Confirmatur ex eodē Philoſopho *in hoc lib. text.* 12 vbi determinat, formam, quæ eſt natura, non poſſe ſeparari à materia: & ratio eſt ſatis manifeſta; natura enim debet eſſe principium motus phyſici, ſiue materialis; quod non competit formæ ſeparatæ à materia, vt ex ſe liquet; conſtat autem, animam noſtram eſſe ſeparabilem à materia: ergo nequit habere propriam rationem naturæ.

Reſpondetur, formam materialem eſſe illam, quæ in fieri, & eſſe dependet à materia: formam verò illam, quæ ita informat materiam, vt ab illa non dependeat, non eſſe materialem, ſed ſpiritualem. & per ſe ſubſiſtentem. Et quia hoc poſteriori modo ſe habet anima noſtra, ideò poteſt eſſe informatiuè in materia, ſortiriquè veram conditionem naturæ; quin vllam in ſe ipſa materialitatem incurrat.

Ad confirmationem dicendum eſt, Ariſtot. ſolùm intendere, quod forma ſeparabilis non ſit natura, quatenus eſt formaliter ſeparabilis, ſiue ob ipſum ſtatum ſeparationis. Per reſpectum quippè ad talem ſtatum non eſt principium motus Phyſici; ſed habet conuenientiam cum Angelis, qui entia naturalia non sunt. Hinc autem minimè ſequitur, quod anima noſtra in ſtatu coniunctionis ad corpus non ſit verè natura; cum tunc habeat elicere motus propriè naturales, vt ſupra diximus. Imò verò etiam in ſtatu ſeparationis, & ſecundum ſe accepta, qua ratione abſtrahit ab vnione exercita, retinet veram ratio-

Digitized by Google

rationem naturæ: quoniam adhuc eſt vera forma hominis, et per conſequens radicale principium motus, licèt neutrum munus tunc actu exerceat.

Dices: de ratione naturæ eſt, quod poſſit naturaliter eſſe principium motus phyſici, etſi actu non concurrat ad illum: ſed anima noſtra in ſtatu ſeparationis non habet potentiam naturalem, vt concurrat ad motus phyſicos: ergo non conſeruat propriam rationem naturæ. Minor liquet: nam forma nequit eſſe principium motus phyſici, niſi vnita corpori: atqui anima ſemel ſeparata nequit naturaliter reuniri materiæ: ergo nec actu, nec aptitudine naturali queit eſſe principium motus phyſici.

¶ Reſpondetur ſufficere ad hoc, vt anima ſeparata ſit verè natura, quod ſecundum ſe ſit propria forma entis naturalis, nempè hominis, & quod debito tempore fuerit vnita materiæ, vt videre eſt in potentia nutritiua, et augmentatiua Beatorum, in quibus non eſt fruſtrà, nec deſinit eſſe talis, quamuis ad actum nequeat naturaliter reduci: ſufficit enim, quod debito tempore habuerit ſuum exercitium.

25 Arguitur ſecundò: nam forma, quæ eſt natura, producitur per eductionem: ſed anima noſtra non educitur, vt conſtat *ex dictis diſp. 4. num. 6.* ergo non eſt natura. Probatur maior: quia forma, quæ eſt natura, debet produci per naturam, ſeu viribus naturæ: hæc autem non producit, niſi educendo; cùm ſemper agat circa ſubiectum præſuppoſitum: ergo.

Reſpondetur negando maiorem, quia formam naturalem educi non eſt de ratione naturæ; ſed magis eſt imperfecta conditio illius, à qua anima noſtra ob ſuam excellentiam abſoluitur. Nec probatio inducta vrget: ad hoc quippè, vt anima rationalis ſit in poteſtate naturæ, quantùm requiritur ad rationem formæ naturalis, opus non eſt, quod poſſit ab agente naturali produci; ſed ſufficit, quod valeat illius viribus materię communicari, et vniri. Quoniam agens naturale non reſpicit animam rationalem propter ſe ipſam; ſed propter compoſitionem, et exiſtentiam totius entis naturalis, nempè hominis: quem finem ſufficienter conſequitur vniendo illam materię, quamuis ipſam abſolutè non producat.

26 Arguitur tertiò: quia natura debet eſſe principium motus phyſici, ſiuè naturalis: ſed motus, qui procedunt ab anima noſtra, quatenùs eſt rationalis, non ſunt phyſici: ergo anima ſub hac ratione non eſt natura. Probatur minor: quia intellectio, et volitio ſunt operationes conuenientes animę, quatenùs rationalis eſt: ſed eę operationes nequeunt habere rationem motus phyſici; cùm in Deo, et Angelis reperiantur: ergo motus proprij animæ noſtrę, quatenus est rationalis, non ſunt phyſici, et naturales.

Ad hoc argumentum occurri poterat *ex ſupra dictis num. 23.* nam anima noſtra, quatenùs rationalis eſt, non ſolum est principium intellectionis, et volitionis; ſed etiam admirationis, et aliorum actuum, quos ibi recenſuimus, et phyſici, ſiuè naturales ſunt. Quod ſatis erat, vt anima ſecundum ſuum vltimum gradum eſſet natura: neque enim adest aliqua ratio, vel auctoritas conuincens, quod omnes actus procedentes à forma, quę est natura, debeant eſſe phyſici: ſufficit enim, ſi plures id habeant.

¶ Reſpondetur tamen negando minorem abſolutè, et ad illius probationem dicendum est, quod licèt intellectio, et volitio ſint ex genere ſuo operationes independentes à corpore, ſubindeque non ſint naturales; nihilominùs quando eliciuntur ab anima corpori vnita, habent dependentiam ab ipſo corpore ſaltem indirectè, tanquam à miniſtrante, et diſponente: eo quod elici non poſſunt in hac vita, niſi dependenter à miniſterio ſenſuum, vt latè oſtendemus *in lib. de Anima*. Et hoc ſufficit, vt dictę operationes ſint, et dicantur motus phyſici, oriunturque ab anima noſtra quatenùs natura eſt, et corpori communicat. In cuius ſignum videmus Ariſt. *in lib. 3. de Anima*, tractaſſe de anima noſtra quatenùs eſt principium intellectionis dependentis à phantaſmate. Prędicti autem libri ſunt pręcipua pars Philoſophię, quę attingit, vt proprium obiectum ens naturale, et quę naturam concernunt; vndè intellectio, quatenùs à phantaſmate pendet, ſubit verè conditionem motus naturalis.

Sed replicabis: quoniam ad hoc, vt forma ſit natura, requiritur quod ſit principium motus naturalis, non ſolùm quoad modum, ſed etiam quantum ad ſubſtantiam; aliàs ars cantandi, quæ eſt principium modi cantus, foret natura, quod eſt abſurdum: ſed eſto, quod intellectio huius ſtatus ſecundum aliquem modum ſit naturalis, ſiue dependens à corpore; nihilominùs ſecundum ſubſtantiam accepta nequit à corpore dependere, cùm ſpiritualis ſit: ergo anima noſtra non habet rationem naturæ in eliciendo intellectionem, etiam pro hoc ſtatu. Imò verò quicunque modus afficiens intellectionem debet eſſe ſpiritualis, ſicut ipſa: ergo conducere non valet ad hoc, quod intellectio habeat motus phyſici rationem.

Reſpondetur, omiſſa maiori, negando minorem: etenim non ſolùm aliquis modus intellectionis huius ſtatus eſt naturalis, ſed etiam ipſa intellectio quoad entitatem: quia eo modo operatio eſt, & dicitur naturalis, quo dependet à corpore, ſiue à miniſterio ſenſuum, ab hoc autem miniſterio non ſolùm dependet aliquis modus intellectionis, ſed etiam ipsa intellectio: vndè ipsa ſecundum entitatem dicenda est naturalis. Et ſi enim operatio ſpiritualis nequeat dependere à corpore, ſicut ab organo, vel ſubiecto; benè tamen, ſicut ab obiecto, & miniſtrante, iuxta illud: *Oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari*. Quamobrem anima noſtra, non ſolum in alijs motibus, ſed etiam in intellectione præsentis status explicat, veram, ac propriam conditionem naturæ: ad hanc quippè ſufficit eſſe principium motus corporei; vel ſpiritualis dependentis miniſterialiter, & diſpoſitiuè à corpore. Per quod illud, quod de arte tangitur, facilè euaneſcit: nam in operatione artificioſa ſolus modus est ab arte, entitas verò tota est naturalis, & à diuerſo principio: vndè ratio naturæ nequit in prædicta operatione attribui arti. At intellectio huius status fit ab anima, vt vnita corpori, & per ſenſus, & organa corporalia diſponente ad eandem intellectionem; quæ ſunt propriſſima munia naturæ: quocirca non ſolùm quoad modum, ſed etiam quantum ad substantiam est naturalis.

27 Vltimò arguitur: quoniam natura est determinata ad vnum, iuxta commune Philoſophorum proloquium; quod licèt non in operationibus, in modo tamen operandi ſaltem verificandum est: at anima nostra, quatenùs rationalis est, non habet determinationem in operatione, cum plures, ac diuerſos actus eliciat; neque in modo operandi, ſiquidem operatur cum indifferentia, & libertate: ergo anima nostra ſecundum vltimum, & proprium gradum nequit eſſe natura.

Reſpondetur, determinationem in modo operandi non eſſe de conceptu naturæ in communi, ſed ſolùm conuenire naturæ, prout inuenitur in ſpeciebus ignobilioribus, & caret ea excellentia, quæ animæ noſtræ competit. Solet vero frequenter nomen genericum imperfectioribus ſpeciebus attribui: quo pacto *animalis* nomen ſæpius accommodatur brutis; & *naturæ* nomen vilioribus naturis applicatur. In quo ſenſu accipitur natura, cùm communiter dicitur, *naturam eſſe determinatam ad vnum*.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO IV.

Qualiter natura dicatur de materia, & forma.

POſtquam oſtendimus, conceptum proprium naturæ ſaluari in materia, et forma, videndum reſtat, an conueniat illis vniuocè, an verò analogicè: quod hic breuitèr diſcutiendum eſt.

28 Dicendum eſt, materiam, et formam non conuenire vniuocè in conceptu naturæ, ſed solùm analogicè: ſic docet Ariſtot. *in hoc lib. cap.* 1. vbi loquens de forma inquit: *Atquè natura magis hæc eſt, quam materies: vnumquodque enim tunc magis dicitur, cùm eſt actu, quàm in potentia*. Quæ verba ſic elucidat Angelicus Doct. *lect.* 2. *quia vnumquodque magis dicitur ſecundum, quod eſt actu, quam ſecundum quod eſt in potentia; ideò forma, ſecundum quam eſt aliquid ens naturale in actu, magis eſt natura, quam materia, ſecundum quam eſt aliquid naturale in potentia*. Vbi analogiam inter materiam, et formam ſatis apertè adſtruunt, et vniuocationem excludunt. Idem docent Auerr. *in hoc lib. text.* 2. Albertus 2. *Phyſic. tract.* 5. *cap.* 3. et alij, quos refert, et ſequitur Maſius hic, *quæſt.* 12.

Fundamentum principale huius aſſertionis deſumitur ex ijs, quæ ſuprà diximus *diſp.* 3. *quæſt.* 5. poteſtquè ad hanc formam reduci: quoniam materia, et forma eſſentialiter diſtinguuntur: ergo ſi conueniret vniuocè in ratione naturæ, tàlis conuenientia non foret ſpecifica, et atoma; ſed tantùm generica: atqui nulla ratio generica poteſt propriè de materia prædicari: ergo materia, et forma non conueniunt vniuocè in conceptu naturæ. Minor ſuadetur: quia ratio generica solùm abſtrahit à ſpeciebus: ſed materia prima nequit eſſe ſpecies adhuc partialiter; ſiquidem caret omni actu phyſico, à quo deſumitur actus metaphyſicus, ſiuè differentia, per quam ſpecies conſtituitur. ergo nulla ratio generica poteſt propriè prædicari de materia. Vndè ſicut duæ vltimæ differentiæ diſtinguuntur ſe totis, quia ſunt conceptus ſimplices: ita materia ſe tota debet à forma diſtingui, eò quod ob ſuam ſummam potentialitatem, nequit fundare duos conceptus, nempè vnum potentialem, in quo conueniat cum forma, & alium actualem, per quem diſtinguatur ab illa.

29 Contrariam nihilominùs ſententiam ſecutus eſt Sotus *in præſenti quæſt.* 2. Et poteſt ſuaderi primò: quia materia, & forma non diſtinguuntur in ratione principij motus, quatenùs præſcindit à principio actiuo, & paſſiuo: & deindè addunt peculiares differentias, quibus intra illam rationem ſecernuntur: ergo ratio naturæ dicitur de eis vniuocè. Patet conſequentia: nam ideò animal dicitur vniuocè de homine, & equo, quia conueniunt in ratione communi animalis, & diſtinguuntur per proprias differentias conſtitutiuas. ¶ Confirmatur: quia ratio partis phyſicæ dicitur vniuocè de materia, & forma; cum pars ſolùm dicat rationem componentis abſtrahendò à modo componendi per modum potentiæ, vel actus: atqui partes phyſicæ entis naturalis, quatenus tales, habent rationem naturæ: hæc igitur prædicatur vniuocè de materia, & forma.

Ad hoc tamen argumentum, & confirmationem ſatis conſtat ex fundamento, quod prò noſtra aſſertione expendimus: nulla quippè ratio poteſt abſtrahi à materia, & forma, quæ ſit vna ſimpliciter, & ex parte rei conceptæ; ſed tantùm ſecundum quid, & penes explicitum. Quoniam pura potentia phyſica eſt impartibilis in duos conceptus, quorum aliquis habeat rationem actus, & differentiæ ſimpliciter. In ipſa enim ratione, in qua materia concipitur conuenire cum forma, diſtinguitur ſimpliciter ab illa ex parte rei conceptæ: quod proprium analogorum eſt.

30 Secundò arguitur: nam quando aliqua inferiora participant rationem communem, & vnum in ea participanda, non dependet ab alio, poſſunt, & debent fundare conuenientiam vniuocam; ſiquidem ratio ſuperior æqualiter deſcendit ad illa: ſed materia prima per ſuam eſſentiam, & non per participationem à forma habet eſſe naturam; & idem eſt de forma comparatiuè ad materiam: ergo vniuocantur in conceptu communi naturæ.

Reſpondetur, argumentum ſolum probare, quod inter materiam, & formam præter analogiam attributionis, quam Philoſophus, & D. Thom. indicant verbis ſupra relatis, detur, etiam analogia proportionalitatis propriæ in participando proprium conceptum naturæ: quoniam hæc analogia expoſcit, quod ratio analoga inueniatur intrinſecè, & propriè in analogatis, & non cauſatur per dependentiam, ſed potiùs, ob æqualitatem proportionum, vt patet in ratione principij, quæ dicitur de corde, & de fundamento. Cæterùm ad vniuocationem inſuper deſideratur, quod ratio communis, & ſuperior abſtrahat ſimpliciter à differentijs, eaſquè obiectiuè actu non includat. Quod minimè reperitur in proportionalitate propria; cum intimè claudat differentias, ſupra quas fundantur proportiones: nec in materia, & forma; ſiquidem illa fundare non valet duos conceptus, abſtractum videlicet, & contrahentem. Sed per id ipſum, in quo conuenit ſecundum quid cum forma, diſtinguitur ſimpliciter ab ea. Videantur quæ diximus *in Logica diſp.* 10. *quæſt.* 4.

QVÆSTIO V.

De diſtinctione inter naturam, & artem.

AD completam notitiam naturæ oportet, vt etiam diſſeramus de ea per comparationem ad artem. Duo autem ſunt, quæ præcipuè poſſunt, & debent in hac parte diſcuti, & quæ magis conducere queunt ad naturæ cognitionem, nimirùm an natura, & ars diſtinguantur, & vtrum hæc poſſit efficere opera illius. A quibus tamen breuiter nos expedire curabimus: quoniam non multi ponderis, ſunt, & facilè colliguntur ex dictis.

31 Dicendum eſt primò naturam, & artem inter ſe, diſtingui. Ita Ariſtot. *in hoc lib. cap.* 1. cui conſentiunt omnes Philoſophi. Ratio eſt ſatis perſpicua: quia de ratione naturæ eſt, quod ſit primum, & radicale principium motus, vt conſtat ex eius definitione: ſed ars, cum ſit accidens, ſolum poteſt habere rationem principij proximi: ergo ars realiter diſtinguitur à natura. ¶ Confirmatur: quoniam ſubſtantia, & accidens nequeunt eſſe realiter idem: ſed natura eſt ſubſtantia; cum ſit pars intrinſeca entis naturalis: ars verò eſt entitatiuè accidens; ſiquidem ſupponit ens naturale adæquatè conſtitutum: ergo ars, & natura non poſſunt eſſe realiter idem.

Sed obijcies: ſi darentur duo corpora, in quibus omnia naturalia eſſent æqualia, vnum tamen eſſet planum, & alterum ſphæricum, & projicerentur eodem impetu ex aliquo loco, velocius moueretur ſphæricum, quam planum, vt conſtat experientia: ſed hæc inæqualitas non eſt à natura; ſiquidem in omnibus naturalibus ſunt æqualia: ergo eſt ab illa figura artificioſa: iam ergo ars poteſt

eſſe primum principium motus.

Reſpondetur, hanc obiectionem minimè conuincere artem eſſe principium motus quoad ſubſtantiam, ſed tantùm diſponere ad modum motus, videlicèt ad velocitatem. Nam per figuram rotundam magis vniuntur partes, et ſic redduntur aptiores ad ſcindendum aërem: quapropter corpus ſphæricum mouetur velociùs, quàm angulare, eo quod eſt meliùs diſpoſitum. Neutrobi tamen illa figura influit in ſubſtantiam motus: ſed id tribuitur ſubſtantiæ, ſicut principio radicali, & grauitati, tanquam principio proximo. Ad rationem autem naturæ requiritur influxus radicalis in motum ſecundum ſubſtantiam acceptum. Ex quibus facilè occurritur alijs inſtantijs, quæ noſtræ aſſertioni poſſent opponi: diluuntur enim eodem modo.

32 Dicendum eſt ſecundò, artem non poſse efficere per ſe opera naturæ. Hæc concluſio eſt æquè certa, ac præcedens, & ſuadetur: quoniam opera naturæ ſunt formæ ſubſtantiales, & accidentia, quæ illas conſequuntur: ſed ars non valet efficere hæc: ergo nequit influere per ſe in opera naturæ. Minor liquet, quia in primis non poteſt illa efficere virtute propria; ſiquidem non continet ea formaliter, vel eminenter: deindè non valet illa efficere inſtrumentaliter, & in virtute naturæ; cùm non ſit inſtrumentaria virtus illius: hæc quippè ratio ſolùm competit accidentibus naturalibus, quæ fluunt ab ipſa natura: ergo nullo pacto valet producere directè, & per ſe formas ſubstantiales, & earum accidentia.

33 Dicendum eſt tertiò, artem poſse concurrere ad opera naturæ indirectè, ideſt, applicando actiua paſſiuis. quæ proindè opera non erunt ab arte, ſed à virtutibus naturalibus applicatis per artem. Sic docent D. Auguſt. 10. *de ciuitate Dei*, *cap.* 11. D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 2. & communiter omnes Theologi, ac Philoſophi. Fundamentum eſt: nam ſuppoſita rerum naturalium perfecta ſcientia, qualis in dæmonibus reperitur, poteſt optimè ars applicare virtutes naturales corporum, in quibus effectus naturales continentur, proprijs paſſiuis: ſed omnis cauſa naturalis debitè applicata producit neceſſariò ſuum effectum; ergo ars, etſi non directè, poteſt tamen applicatiuè concurrere ad effectus in naturalibus ſeminibus præcontentos.

Confirmatur primò: nam *Exod.* 7. Magi, ſiuè ſapientes Ægyptiorum ediderunt per artem magicam ſerpentes, non quidem apparentes, vt nonnulli exponunt, ſed veros, vt docet D. Thom. *quæſt.* 6. *de Potentia art.* 8. *ad* 8. ſed id factum eſt per aliqua ſemina, quæ habebant vim putrefaciendi virgas, & conuertendi in ſerpentes; quæ ſemina cognouere, & collegere Magi operatione Dæmonum, vt idem S. Doctor exponit: ergo ars, applicando actiua paſſiuis, valet concurrere ad opera naturalia. ¶ Confirmatur ſecundò experientia, & exemplo artis Medicinæ, per quam virtutes naturales herbarum, & lapidum ita humanis corporibus applicantur, vt ſalus deperdita reſtituatur ad ſtatum priſtinum, vel meliorem: ergo ars per modum applicantis concurrit ad naturales effectus. ¶ Confirmatur tertiò: nam pulli gallinacei generantur naturaliter medio calore gallinę: & tamen pullarij arte, & induſtria queunt in lucem edi per applicationem aliorum corporum calidorum ad oua: ergo ars concurrere poteſt applicatiuè ad opera naturæ.

34 Dices: ſi per artem poſſent fieri ſaltem applicatiuè propria opera naturæ, poſſet fieri verum aurum, & argentum per artem chimicam, conſequens eſt falſum: ergo. Suadetur minor: quoniam Eccleſia in Extrauaganti *ſpondet*. prohibet vendere prædictum aurum pro vero, & declarat, quod vendentes illud tenentur ad reſtitutionem: at certè, ſi prædictum aurum eſſet verum, licitum foret illud vendere pro tali, nec vlla reſtitutionis obligatio conſurgeret: ergo non eſt verum, ſed apparens, & fucatum.

Reſpondetur primò negando ſequelam: quia vt docet D. Thom. *in* 2. *diſt.* 7. *q.* 3. *art.* 1. *ad* 3. *Quædam formæ ſubſtantiales ſunt, quas nullo modo ars inducere poteſt: quia propria actiua, & paſſiua inuenire non poteſt; ſed in his poteſt aliquid ſimile facere: ſicut Alchimiſtæ faciunt aliquid ſimile auro, quantum ad accidentia externa; ſed tamen non faciunt verum aurum: quia forma ſubſtantialis auri non eſt per calorem ignis, quo vtuntur Alchimiſtæ; ſed per calorem ſolis in loco determinato, vbi viget virtus mineralis. Et ideò tale aurum non habet operationem conſequentem ſpeciem.* ¶ Secundò poteſt reſponderi concedendo maiorem, & negando minorem: quia non apparet implicatio in eo, quod per artem chimicam fiat verum aurum, applicando actiua paſſiuis, vt contingit in alijs effectibus, quos nuper recenſuimus. Et huic parti fauet idem Angelicus Doct. 2. 2. *q.* 77. *art.* 2. *ad* 1. vt ibi obſeruat Caietanus. Nec vrget probatio in contrarium: quoniam licèt non repugnet fieri verum aurum per artem; attamen nunquam, vel rarò fit: & ſæpiſſimè eſt aurum falſum, atque adulterinum: quocirca Eccleſia rationabiliter vſum prædictæ artis prohibuit. In rebus enim moralibus ad communiter, & per ſe loquendo contingentia attendendum eſt; non verò ad illa, quę ſunt per accidens, & rarò contingunt.

DISPVTATIO VIII.

De Cauſis in communi.

ABSOLVTIS ijs, quæ pertinent ad cognitionem naturæ, de quibus agit Ariſtot. In prima parte huius libri, recto ordine procedimus ad ſecundum eius partem, in qua diſputat de cauſis. Harum autem notitia Philoſopho eſt apprimè neceſſaria: quia ſunt media, per quæ ſcientia iſta effectus naturæ inueſtigat, & ad ſuas concluſiones procedit. Sed priuſquam de cauſis in particulari ſumptis agamus, ipſarum in communi notitiæ incumbendum eſt; vt compoſitionis methodum ſequamur, quam in præſenti Ariſtot. obſeruat.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit cauſa.

QVoniam exiſtentia causæ eſt ſatis ex ſe nota; ideò relinquimus quæſtionem *an eſt*, & quæſtionem *quid eſt* diſcutere paramus. Sed ante deciſionem illius obſeruandum eſt, cauſam aliquando ſumi impropriè; & nimis ampliter pro quolibet principio: quo pacto Ariſtot. 2. *Metaph. cap. 2. text.* 11. priuationem *cauſam* vocauit. Aliquandò verò ſumitur nimis ſtrictè, & ſolam cauſam effectiuam comprehendit: qua ratione D. Auguſt. *lib.* 83. *quæſt.*.... dixit. *Omnis cauſa efficiens eſt*. In præſenti autem ſumitur medio modo, quatenùs neque ad omnia principia, etiam priuatiua ſe extendit; neque ad ſolum principium efficiens reſtringitur: ſed amplectitur omne principium, quod verè, & realiter influit. Et de cauſa ſic accepta inueſtigamus, *quid ſit*; Porrò quidditas cuiuslibet rei debet per eius definitionem exponi. Mirùm autem eſt, quot, & quam diuerſas naturæ definitiones finxerint Iuniores, qui veneranda antiquitatis decreta faſtidiunt, & ſtimulantem nouitatum famem ſatiare in omnibus auent. Illis tamen relictis, eam tantùm definitionem exponere curabimus, quam frequenter tradit Doctor Angelicus; qui veritatis facem nobis vbique præfert.

§. I.

Proponitur legitima cauſæ definitio.

1 DIcendum eſt primò, cauſam optimè explicari definitione, quam proponit D. Thom. *in hoc lib.* 2. *lect.* 11. dicens: *Cauſa eſt, ad quam ſequitur eſſe alterius: & in quæſt.* 10. *de Potentia art.* 1. *ad* 3. vbi inquit: *Cauſa eſt, ad quam ſequitur aliud*. Eandem admittunt non ſolùm Thomiſtæ, ſed etiam D. Bonauent. *in* 2. *diſt.* 20. *art.* 2. Toletus 2. *Phyſic. cap.* 3. *quæſt.* 1. & alij.

Pro cuius explicatione obſeruandum eſt primò, de ratione cauſæ eſſe, quod habeat verum, & realem influxum in effectum: per quod diſtinguitur à communi conceptu principij; hoc quippè non expoſcit neceſſariò influxum realem, ſed ſolum importat ordinem habitudinis, ſiuè originis. Vndè priuatio poteſt habere rationem principij, vt ſupra diximus *diſp.* 5. *num.* 3 nequit tamen eſſe cauſa: eò quòd non valet poſitiuè influere in principiatum, cum ſit quædam carentia. ¶ Secundò nota, non quemcumque influxum principij eſſe ſufficientem ad conſtituendum proprium conceptum cauſæ; ſed inſuper requiri; quod inferat veram, & rigoroſam dependentiam termini à principio. Qua ratione, licèt Pater æternus influat in Filium; quia tamen Filius non dependet à Patre: ideò nec iſte eſt cauſa, nec ille effectus.

Porrò ad hoc, quod influxus afferat dependentiam principiati à ſuo principio, neceſſarium eſt, quod importet in vtroque naturam ſpecie, vel numericè diuerſam. Quoniam, ſuppoſito influxu reali vnius in alterum, ſolùm poteſt excludi dependentia vnius ab alio per identitatem in eſſe, cum qua non compatitur dependentia realis in natura. Quamobrem id, quod dependet ab alio, debet in ſuo *eſſe* ab illo diſtingui, & diuerſam naturam importare: nam idem à ſe ipſo nequit realiter dependere. Et ſicut quia Deus habet *eſſe* à ſe, nequit dependere ab alio; ita è contra quidquid habet *eſſe* ab alio, ob eoque in ipſo *eſſe* diſtinguitur, non dicere realem dependentiam ab illo. Vndè quia diuinæ perſonæ important eandem naturam, & eſſe, ideò licèt vna procedat ab alia; & habeant rationem principij, & procedentis; nequeunt tamen eſſe cauſa, & effectus: quoniam abſque diſtinctione in eſſe impoſſibilis eſt dependentia, quam neceſſariò effectus dicit à cauſa. Quę omnia optimè complexus eſt S. Doctor 1. *p. q.* 33. *a.* 1. *ad* 1. dicens: *Vndè hoc nomen cauſæ videtur importare diuerſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicuius ab altero: quam non importat nomen principij. In omnibus enim cauſæ generibus, ſemper inuenitur diſtantia inter cauſam, & id, cuius eſt cauſa ſecundum aliquam perfectionem, aut virtutem*.

Tertiò obſeruandum eſt ex eodem D. Thom. 1. *p. q.* 31. *art.* 2. *ad* 2. quod genus neutrum, quale eſt ly *aliud* poſitum in definitione cauſę, quo pacto vſurpatur etiam ly *alterius*, importat diuerſitatem in *eſſe*, ſiuè naturam. *Neutrum genus* (inquit) *eſt informe. maſculinus autem eſt formatum, & diſtinctum, & ſimiliter fœmininum: & ideò per neutrum genus ſignificatur eſſentia communis; per maſculinum autem, & fœmininum aliquod ſuppoſitum determinatum in communi natura. Vndè etiam in rebus humanis, ſi quæratur quis eſt iſte? Reſpondetur, Socrates. Si autem quæratur quid eſt iſte? Reſpondetur, animal rationale. Et ideò, quia in diuinis diſtinctio eſt ſecundum perſonas, non autem ſecundum eſſentiam, dicemus, quod Pater eſt alius à Filio, ſed non aliud: & è conuerſo dicemus, quod ſunt vnum, ſed non vnus*.

2 His ſuppoſitis apparet, quam legitima ſit definitio cauſæ tradita à D. Thom. & quam benè explicet definitum. Quod perſpicuum fiet percurrendo ſingulas illius particulas: nam in primis per illam particulam relatiuam *ad quam* circumloquutus eſt D. Thom. rationem principij, quæ eſt ſuperior ad omnes cauſas, & in qua conuenit cauſa cum priuatione, & alijs principijs, quæ non ſunt veræ cauſæ: & ideo prædicta particula vicem generis ſortitur. Per ly autem *ſequitur* (quod ex communi Doctorum vſu non importat ſequelam Logicam, ſed phyſicam; & cum vero influxu) differt cauſa à priuatione: quia licèt hæc poſſit eſſe principium v. g. generationis, nequit tamen influere in illam. Denique per ly *eſſe alterius*, vel *eſſe aliud* explicatur peculiaris, & proprius influendi modus, qui cauſam conſtituit, ne npe cum diſtinctione in *eſſe*, & conſequenter cum dependentia principiati à ſuo principio. Vndè per hanc particulam excluduntur à conceptu cauſæ principia illa, quæ non communicant diuerſum eſſe, & naturam: qualiter ſe habent Pater æternus reſpectu Filij, & Pater, ac Filius reſpectu Spiritus Sancti. Quæ omnia ſatis liquido conſtant ex ijs, quæ proximè prælibauimus.

Ex quibus breuiter ſuadetur aſſertio, quam ſupra propoſuimus; quoniam ea definitio eſt legitima, & optima, quæ conuertitur cum ſuo definito, & eſt clarior quam illud, ac nihil habet redundans, & ſuperfluum: ſed huiuſmodi eſt definitio cauſæ tradita à D. Thom. vt conſtat ex præmiſſa eius expoſitione: ergo, eſt legitima.

3 Sed objicies: ad *eſſe* Patris æterni ſequitur *eſſe* Filij; ſiquidem Pater influit *eſſe* in ſuppoſitum Filij: & tamen Pater æternus non eſt cauſa Filij: ergo ad rationem cauſæ non ſufficit, quod ad illam ſequatur *eſſe* alterius: atque ideò prædicta definitio cauſæ eſt inſufficiens, diminuta, & conuenit alijs à definito.

Reſpondetur; quod quamuis Pater æternus influat *eſſe* in aliud ſuppoſitum, attamen non communicat *eſſe aliud*, nec *eſſe alterius*; eò quod non communicat filio aliam naturam numero, vel ſpecie diuerſam, ſed eandem prorſus, quam in ſe habet. Ad rationem autem cauſæ requiritur diuerſitas in natura; quoniam, hac diſtin-

ſtinctione ſublata, nequit dari dependentia, quam influxus proprius cauſæ eſſentialiter importat, & quæ in definitione cauſæ exprimitur per ly *ſequtur eſſe alterius, vel eſſe aliud*, vt conſtat ex dictis. Vndè in hoc ſenſu negandum eſt, quod ad *eſſe* Patris æterni ſequatur *eſſe alterius*, vel *eſſe aliud*, quia *eſſe* naturæ eſt omninò idem in Patre, & Filio. Nec obeſt (vt tacitæ obiectioni occurramus) quod eſſe perſonale Patris, & eſſe perſonale Filij realiter diſtinguantur. Non, inquam refert: nam prædictum eſſe perſonale non eſt terminus formalis generationis, ſed ſolùm eſſe naturæ. Dependentia autem termini à ſuo principio deſumenda eſt ex ipſo formali termino productionis: & ideò requiritur, quod terminus formalis communicationis realiter diſtinguatur à principio: quod minimè reperitur in diuinis; & conſequenter non datur ibi proprius conceptus cauſæ, & effectus.

§. II.

Statuuntur cauſarum genera.

4 DIcendum eſt ſecundò, quatuor eſſe genera cauſarum nempè materialem, formalem, efficientem, & finalem. Ita Ariſtot. *in hoc lib. c. 3.* & eſt communis Peripateticorum conſenſus. Fundamentum deſumptum ex D. Thom. *opuſc.* 31. poteſt ad hanc formam reduci: quoniam compoſitum naturale non fit ex nihilo: ſiquidem virtute naturæ ex nihilo nihil fit; ergo fit ex aliquo præſuppoſito ſubiecto, quod nomine materiæ intelligimus; & conſequenter datur cauſa materialis. Porrò materia eſt pura potentia, ac proinde non valet impertiri ſpeciem, & complementum compoſito naturali: ergo præter materiam ponenda eſt forma, quæ prędictam ſpeciem, & actualitatem eſſentialem communicet; atque ideò admittenda eſt cauſa formalis. Nulla autem res poteſt ſe ipſam efficere; aliàs eſſet antequam eſſet: ergo præter cauſas intrinſecas, materiam videlicet, & formam, debet neceſſariò dari cauſa extrinſeca, quæ partes vniat, & compoſitum actiuè conſtituat; & hæc appellatur efficiens. Et cùm omne agens, niſi caſu, & temere operetur, influat propter aliquem finem, & ex motione illius, neceſſariò admittenda eſt cauſa finalis. Sed præter hæc, quæ recenſuimus nihil aliud deſideratur, vt fiat compoſitum ſubſtantiale, in cuius conſtitutione plura, quàm in alijs effectibus concurrunt: ergo dantur, & ſufficiunt quatuor cauſæ, nimirùm materialis, formalis, efficiens, & finalis.

5 Contra hanc concluſionem aliquæ poſſent formari obiectiones, ad oſtendendum conceptum cauſæ non poſſe conuenire materiæ, & formæ: ab illis tamen proponendis, vel enodandis conſultò in præſenti abſtinendum duximus, vt aptiori methodo eis occurramus in illis quæſtionibus, vbi de vniuſcuiuſque cauſæ ratione tractandum eſt. Solum poteſt nunc opponi, quod adducta diuiſio videtur inſufficiens: quoniam obiectum ſcientiæ eſt vera cauſa illius; cùm illi ſpeciem transfundat: & tamen non continetur ſub aliquo genere ex enumeratis; quandoquidem non poteſt habere rationem ſubiecti, vel formæ reſpectu ſcientiæ, neque eſt cauſa efficiens, vel finalis reſpectu illius, vt patet in ente rationis, quod eſt obiectum Logicæ, & cui vterque influendi modus repugnat: ergo propoſita diuiſio non complectitur omnem cauſam. ¶ Confirmatur: quia idea, ſiue exemplar eſt vera cauſa eorum, quæ fiunt per artem: & nihilominùs influit diuerſo modo, ac influunt quatuor cauſæ ſupra adductæ: ergo illa diuiſio cauſæ eſt inſufficiens.

Reſpondetur ad obiectionem negando minorem: quia obiectum ſpectat ad genus cauſæ formalis: ſcientia enim habet ſuam eſſentiam proportionatam, ac commenſuratam obiecto, & iuxta exigentiam illius. Vndè obiectum eſt menſura, & radix habitus, à quo reſpicitur, illumquè diſtinguit ab omnibus alijs habitibus, & entitatibus. Et cùm ſpecificare, & diſtinguere ſint propria munia formæ, nequit non obiectum formæ naturam, & cauſalitatem induere: non quidem formæ intrinſecæ, ſed extrinſecæ; eò quod ſpecificat habitum non informando eum, ſed terminando habitudinem illius. Nec refert, quod definitio cauſæ fromalis, quam Ariſtot. tradit *in hoc lib. cap. 3. text. 28.* nequeat omninò obiectis adaptari: quia ibi loquebatur de cauſa formali, non in tota ſua latitudine, quo pacto etiam obiecta complectitur; ſed tantùm de cauſa formali intrinſeca. Vndè etiam infertur, diuiſionem cauſæ ſupra adductam non fieri in membra infima, & atoma, ſed magis in ſpecies ſubalternas, quæ rurſus poſſunt in alias ſpecies diuidi. Efficiens enim diuiditur in principale, & inſtrumentale: in vniuocum, & æquiuocum &c. cauſa etiam materialis diuiditur in receptiuam, & diſpoſitiuam: & eadem ratione cauſa formalis diuitur in intrinſecam, cuiuſmodi eſt forma ſubſtantialis, & in extrinſecam, qualiter ſe habet obiectum. Per quod etiam conſtat ad confirmationem: nam idea eſt cauſa formalis extrinſeca, vt infra oſtendemus *diſp. 9. quæſt. 3.*

QVÆSTIO II.

Vtrum omnis cauſa ſit prior ſuo effectu.

AD perfectè cognoſcendum, in quo conſiſtat propria ratio cauſæ, multum conducit deciſio præſentis quæſtionis: quam proindè immediatè attexiimus præcedenti.

§. I.

Stabilitur communis ſententia.

6 NOn poſſumus hanc difficultatem exactè determinare, niſi præhabita notitia duplicis prioritatis, *in quo* videlicet, & *à quo*. Illud dicitur priùs prioritate *in quo*, quod præcedit aliud duratione, vt contingit quando vnum exiſtit, alio adhuc non exiſtente: qua ratione Aurora eſt prior, quam meridies. Ad quam prioritatem reducitur prioritas *in quo* rationis, ſiue per intellectum: quæ contingit, cùm aliqua ſunt ſimul in eodem inſtanti reali; in quo tamen intellectus diſtinguit plura ſigna, ſiue inſtantia rationis: in quorum vno intelligit vnum obiectum, non intelligendo aliud; quo pacto priùs intelligimus eſſentiam diuinam, quam eius actum liberum coëxiſtant realiter ſimul. Prioritas *à quo*, quæ etiam appellatur prioritas naturę, & cauſalitatis conſiſtit in eo, quod vnum realiter dependeat ab alio, & non è contra; & ob id dicitur prioritas independentiæ. Vndè licèt aliqua duo ſint in eodem inſtanti reali, imò in eodem ſigno rationis; nihilominùs id, quod non dependet, dicitur ſecundum illam rationem *prius*, id verò, quod dependet, appellatur *poſterius*. Quare in hoc genere prioritatis non valet hæc conſequentia; A eſt prius natura, quam B: ergo A in illo priori eſt ſine B: ſed ita debet inferri; A eſt prius natura, quam B; ergo in illo genere, ſeu priori A non dependet à B, ſed B dependet ab A. Quæ duo prioritatis genera maximè obſeruanda

da ſunt; ex illorum quippè ignorantia, & indiſtinctione non leuis confuſio ſuboriri ſolet inter arguendum; quam facilè dimouet quiſquis diſtinctionem propoſitam altè penetrat.

7 His ſuppoſitis dicendum eſt, omnem cauſam actu cauſantem eſſe priorem effectu prioritate *à quo* ſiue naturæ; non verò prioritate *in quo*, ſiue temporis. Hæc eſt Ariſtot. *in hoc lib.* & D. Thom. *lect.* 6. & communis inter Philoſophos. Poſterior aſſertionis pars eſt per ſe manifeſta: quoniam in eodem inſtanti, in quo cauſa influit, debet dari aliquid reale, quod terminet illius influxum; aliàs quomodo influet; ſed hoc, quod terminat influxum cauſæ eſt illius effectus, vt de ſe conſtat; ergo cauſa actu cauſans, & eius effectus ſunt in eodem inſtanti reali, & conſequenter cauſa actu cauſans, non valet præcedere ſuum effectum prioritate *in quo*, ſiue temporis.

Prima verò eiuſdem concluſionis pars ſic oſtenditur: nam cauſa in eo, quod cauſa, non dependet ab effectu; effectus autem, in eo quòd talis, dependet à cauſa: ergo cauſa actu cauſans eſt prior effectu, prioritate *à quo*, ſiue naturæ cauſalitatis, & independentiæ. Antecedens eſt certum, & conſequentia euidens ex ijs, quæ prænotauimus. ¶ Confirmatur: quia effectus eſſentialiter importat dependentiam à cauſa, vt ſupra oſtendimus num. 1. Sed non dependet à cauſa actu cauſante, vt à priori *in quo*, ſiue ab exiſtenti in alia duratione: ergo dependet ab ea, vt à priori *à quo*, ſiue naturę.

§. II.

Refertur Soncinatis opinio.

8 Contra noſtram concluſionem ſentit Soncinas 5. *Metaph. quæſt.* 7. nullam concedens prioritatem cauſæ reſpectu effectus. Pro qua opinione arguitur primo: quia relatiua ſunt ſimul natura: ſed cauſa actu cauſans, & illius effectus ſunt formaliter relatiua: ergo ſunt ſimul natura, & conſequenter cauſa non erit prior, quam effectus, prioritate *à quo*, ſiue naturæ. Probatur minor: quoniam totum eſſe cauſæ eſt in ordine ad effectum, & non poteſt abſque illo intelligi: hoc autem eſt proprium relatiuorum: ergo.

Reſpondetur, quod cauſa actu cauſans non conſtituitur formaliter in eſſe talis per relationem prædicamentalem ad effectum; eò quod huiuſmodi relatio eſt purus reſpectus; atque ideò nequit proprium cauſæ, aut cauſalitatis conceptum conſtituere. Poteſt tamen cauſa dicere habitudinem tranſcendentalem ad effectum, cui optimè poteſt conuenire prioritas *à quo*, ſiue naturæ; etſi inter relatiua prædicamentaliter, quatenus talia, debeat dari omnimoda ſimultas. Nec refert, quod cauſa actu cauſans non poſſit intelligi ſine effectu: ad hoc enim ſufficit habitudo tranſcendentalis; & non arguit prædicamentalem reſpectum: vt patet in actu producente ens rationis, qui non poteſt cognoſci, non cognito ente rationis; ad quod tamen non refertur prædicamentaliter, ſed ſolùm tranſcendentaliter.

9 Secundò arguitur: quoniam ad realem prioritatem requiritur realis diſtinctio; implicat enim, quod aliquid ſit realiter prius, & poſterius ſe ipſo: ſed cauſa v. g. materialis non diſtinguitur realiter à ſuo effectu: ergo non eſt prior natura, quàm ille. Suadetur minor: nam effectus proprius materiæ nihil aliud eſt, quam ipſa materia, vt communicata compoſito: ſed hic effectus non diſtinguitur ab ipſa materia prima, vt cauſante: ſiquidem materia cauſans, dicit ſe ipſam cum modo communicationis, ſiue vnionis: ergo effectus cauſæ materialis non diſtinguitur realiter ab illa. Quod argumentum fieri etiam poteſt in effectu cauſæ formalis, vt conſideranti conſtabit.

Reſpondetur negando minorem; quia implicat ſaluari verum conceptum cauſæ, & effectus abſque aliqua diſtinctione reali inter vtrumque. Eſt enim de conceptu effectus realis dependentia à ſua cauſa, vt ſupra ſtatuimus *num.* 1. repugnat autem, quod aliquid dependeat realiter à ſe ipſo: atque ideò nequit dari vera cauſalitas inter ea, quæ omnimoda identitate gaudent. Quocircà, vel aſſerendum eſt, materiam non eſſe cauſam materialem, quod eſt abſurdum; vel debet concedi, quod realiter diſtinguitur à ſuo effectu: id quod verum eſt, nec oppoſita probatione labefactatur. Pro cuius luce habendum eſt præ oculis, quod cum materia prima (& idem de forma proportionabiliter intelligendum eſt) non cauſet, niſi vt vnita, quilibet verus illius effectus (quidquid ſit de forma materiali, quam aliàs ſupponimus eſſe effectum materiæ, atque diſtingui ab ea realiter, & adæquatè) debet eſſe aliquod concretum: vndè ſicut effectus albedinis eſt eſſe album, ità effectus materiæ eſt eſſe materiale. Porrò *eſſe materiale* aliquid præter materiam præciſiuè ſumptam importat: dicit enim formam, & compoſitum: ac proindè debet à materia ſingillatim ſumpta ante intellectum diſtingui. Vndè cum dicitur, effectum materiæ non diſtingui à materia communicata, intelligendum eſt de diſtinctione excludentis, & excluſi; ſecùs autem de diſtinctione includentis ab incluſo. Quamuis enim *eſſe materiale*, quod eſt effectus materiæ, illam non excludat, ſed intrinſecè claudat; ab ea tamen diſtinguitur ante intellectum, cùm addat aliquid reale ſupra entitatem illius.

Quare ex eo, quod cauſa intrinſeca cauſet dando ſe, tantùm ſequitur, quod per ſui exhibitionem, ſiue communicationem concurrat ad ſuum rigoroſum effectum, nempè compoſitum, quod ex ſuis partibus, tanquam ex cauſis intrinſecis, conſtituitur. Ex quo tamen ſolùm habetur, quod materia pertineat ad eſſentiam proprij, & rigoroſi effectus, cui ſe communicat; non verò, quod ab eo non ſit diſtincta. Quamobrem licèt materia, vt cauſans non diſtinguatur realiter à ſe ipſa; differt tamen realiter à concreto, ſiue compoſito, cui vt proprio effectui communicatur. Et quod de materia diximus, formæ etiam, & cuiuis cauſæ intrinſecę applicandum eſt.

10 Tertiò arguitur: nam quod eſt prius natura quàm aliud, poteſt ab eo realiter ſeparari; quandoquidem prioritas naturæ eſt prioritas independentiæ: at non omnis cauſa poteſt ſeparari ab effectu: ergo non omnis cauſa eſt prior natura, quam ille. Minor liquet in materia prima, quæ eſt inſeparabilis à proprio effectu, nimirùm à compoſito, quod conſtituit.

Reſpondetur negando maiorem vniuerſaliter intellectam: quoniam licet illud, quod eſt ità prius natura, quam aliud, vt in nullo genere ſit poſterius eo, & ab illo dependens, poſſit realiter ſeparari ab ipſo; id tamen, quod ita eſt prius in vno genere, vt in alio ſit poſterius, nequit realiter ſeparari: quoniam ad hanc ſeparationem requiritur independentia abſoluta, ſiue in omni genere. Vndè mirum non eſt, quod materia nequeat ſeparari à compoſito: etſi enim præcedat illud in genere cauſæ materialis, eſt tamen poſterior ipſo in genere cauſæ finalis, & in exiſtendo; cùm ordinetur ad ipſum tanquam ad finem, quo mediante, participat exiſtentiam. Videantur ſupra dicta *diſp.* 3. *quæſt.* 5. Quod ſi hinc inferas cauſas, adinuicem eſſe cauſas, non ſolum inficias, non ibimus; ſed id à nobis aſtruendum eſt infra *diſp.* 15. *quæſt.* 2. & ideò circa hoc in præſenti non immoramur.

11 Arguitur vltimò; quoniam ſi cauſa eſſet prior natura, quam effectus, etiam eſſet prior natura, quam propria

pria cauſalitas: quandoquidem ſicut effectus dependet à cauſa, ſic etiam cauſalitas debet ab ea dependere: conſequens eſt falſum: ergo. Minor oſtenditur: nam forma materialis non præcedit propriam cauſalitatem, nempè informationem: tùm quia non eſt prius in se, quam informet; aliàs esset forma per ſe ſubſiſtens. Tùm etiam, quia ſi præcedit propriam informationem in illo priori, vel eſt per ſe, vel in alio? ſi per ſe; ergo eſt forma ſubſiſtens: Si in alio; ergo informat; & per conſequens pro priori ad informationem informabit: quod eſt manifeſta implicatio. Dicendum igitur videtur, quod forma materialis non eſt prior natura, quam cauſalitas illius.

Reſpondetur admittendo ſequelam, & negando minorem: ad cuius probationem dicendum eſt, formam materialem eſſe priorem propria cauſalitate, nempè informatione. Nec hinc ſequitur, quod pro illo priori ſit per ſe ſubſiſtens: quoniam vt ſit principium propriæ cauſalitatis, non prærequirit exiſtentiam, vel ſubſiſtentiam pro illo priori, in quo influit; ſed ſatis eſt, quod importet in illo actualitatem eſſentiæ, & quod habeat exiſtentiam in toto inſtanti reali. Vndè ſoluitur prima probatio in contrarium.

Ad ſecundam dicendum eſt, formam in illo priori, in quo præcedit, tam cauſalitatem, quam effectum, nec eſſe in ſubiecto, nec eſſe per ſe; ſed neutrum explicare, & ab vtroq. præſcindere. Et ratio eſt; quia hoc complexum, *forma prout in illo priori* reduplicat ea, quæ competunt formæ in genere cauſæ formalis, ad quod pertinet illa prioritas: formam autem eſſe, vel non eſſe in materia, & ab ea dependere, non ſpectant ad genus cauſæ formalis, ſed ad genus cauſæ materialis; quapropter forma in illo priori non explicat dependentiam à ſubiecto; licèt illam habeat in alio genere pro toto inſtanti reali. Vndè vanè quæritur, an pro illo priori ſit, vel non ſit in ſubiecto: quia illa prioritas non eſt prioritas eſſendi, vel non eſſendi in ſubiecto, & dependendi ab eo; hoc quippè pertinet ad genus cauſæ materialis; ſed eſt prioritas informandi, in qua non exprimitur dependentia à ſubiecto. Nec tamen infertur, quod forma ſit per ſe ſubſiſtens; cum propter ſupra dicta ad primam probationem; tùm quia ad hanc denominationem non ſufficit non exprimere dependentiam à ſubiecto, ſed magis requiritur, quod negetur, & poſitiuè excludatur; hoc autem non competit formæ materiali, quia in toto illo inſtanti habet dependentiam à materia, licèt illam non explicet in illo priori, in quo cauſat. Optimè quippè componuntur hæc duo, nempè quod forma in toto inſtanti reali ſit ſimul in diuerſis generibus cauſa, & effectus; & tamen quod in illo priori, vel genere, in quo eſt cauſa, non ſit effectus; quia licèt idem poſſit eſſe cauſa, & effectus; repugnat tamen eſſe cauſam, ſecundum quod eſt effectus, vel è conuerſo.

QVÆSTIO III.

An omnis cauſa ſit perfectior ſuo effectu.

12 Ariſtot. *in poſtprædicamentis cap. de Priori* docet, omne, quod eſt perfectius alio, eſſe prius illo; & ideò poſtquam oſtendimus, omnem cauſam præcedere ſuum effectum prioritate naturæ, videndum etiam eſt, vtrum illi præeat prioritate dignitatis, & & perfectionis. In qua difficultate ſupponimus, vt omninò certum, quod cauſa ſub munere, & exercitio cauſæ vincit effectum ſub officio, & conſideratione effectus; quoniam cauſa, quatenus talis, importat independentiam; effectus verò in eſſe talis nequit à dependentia, & ſubordinatione abſolui; quare cùm independentia explicet nobilitatem; dependentia autem exprimat imperfectionem, nequit non conceptus cauſæ conceptum effectus in perfectione anteire. Quo ſenſu D. Auguſt. *lib. 83. quæſt.* 2. dixit: *Omne, quod fit, ei, à quo fit, par eſſe non poteſt.* Vertimus autem in dubium, an conſideratis cauſa, & effectu materialiter, & quoad entitatem, & quaſi in actu primo, debeat cauſa effectum excedere in perfectione. In quo etiam certum eſt, quod effectus comparatus cum omnibus ſuis cauſis, tàm extrinſecis, quàm intrinſecis, nequit omnes collectiuè acceptas in perfectione ſuperare; quandoquidem euidens eſt, nihil eſſe in effectu, quod non participet à ſuis cauſis. Debet igitur, vt quæſtio locum habeat, fieri comparatio inter effectum, & cauſas ſingulatim ſumptas, quo pacto difficultatem hanc determinabimus.

§. I.

Prima concluſio pro cauſis intrinſecis.

EX ijs, quæ proximè prælibauimus, ſatis liquidò deprehenditur, compoſitum ſubſtantiale collatum cum omnibus ſuis cauſis intrinſecis ſimul, & collectiuè acceptis non eſſe perfectiorem illis: tùm quia ſecundū hanc conſiderationem non diſtinguitur realiter ab eis, vt ſupra ſtatuimus *diſp. 6. quæſt.* 4. ac proindè non valet eas excedere in perfectione; cùm nihil ſit perfectius ſe ipſo. Tùm etiam, quia compoſitum non habet formaliter entitatem, vel perfectionem, niſi à cauſis, ex quibus intrinsecè conſtituitur: ergo impoſſibile eſt, quod excedat in perfectione, vel entitate omnia illa, ex quibus coaleſcit, ſi collectiuè accipiantur. Vndè ſolùm ſupereſt, vt effectum comparemus cum qualibet ex cauſis intrinſecis ſpeciatim ſumpta, & quatenùs in ſuo genere influit: in quo ſenſu.

13 Dicendum eſt primò, effectum proprium, & rigoroſum cauſarum intrinſecarum, videlicet compoſitum ſubſtantiale, eſſe perfectiorem qualibet cauſa intrinſeca ſigillatim accepta. Sic docent communiter omnes Doctores, & ratio eſt manifeſta: quia compoſitum ſubſtantiale comparatur ad cauſas intrinſecas, ſicut totum ad ſuas partes: ſed totum excedit quamlibet ſuarum partium; cùm ſupra eam addat aliam: ergo effectus rigoroſus cauſarum intrinſecarum, nempè compoſitum ſubſtantiale, excedit in perfectione quamlibet illarum ſingulariter acceptam.

Sed objicies primò: compoſitum, ſiuè concretum accidentale v. g. album non excedit in perfectione propriam cauſam materialem, nempè ſubiectum: ergo effectus non eſt perfectior qualibet ex ſuis cauſis intrinſecis. Suadetur antecedens: quia concretum accidentale non poteſt excedere ſubiectum, niſi ratione alicujus formæ accidentalis, quam addit ſupra illud: atqui perfectio illa, quam forma accidentalis formaliter importat, ſolet contineri eminenter in ſubiecto: ergo concretum accidentale non eſt perfectiùs, quam illius ſubiectum, ſiue materia. § Reſpondetur negando antecedens, & ad probationem neganda etiam eſt minor: quoniam ſubjectum continens eminenter aliquam formam non poteſt illam recipere ſecundum eſſe formale; eo quod vnumquodque recipit ſecundum quod eſt in potentia: qua ratione quia ſol eſt eminenter calidus, nequit recipere calorem in ſe, ſed illum producit in alijs. Vndè ſi forma accidentalis recipitur in aliquo, ſignum manifeſtum eſt, quod in eo non præexiſtebat eminenter, & ſub altiori ratione, ſed ſolùm radicaliter imperfectè.

Quamobrem concretum accidentale eſt perfectiùs, ſaltem ſecundum quid, quam ſubiectum, ex quo reſultat.

14 Obijcies ſecundò: compoſitum ſubſtantiale non eſt perfectius, quam forma: ergo non excedit ſuas intrinſecas cauſas in particulari acceptas. Antecedens probatur: quia compoſitum ſupra formam ſubſtantialem ſolùm addit materiam primam: ſed materia non dicit aliquam perfectionem; ſed potius eſt radix omnium imperfectionum, quæ compoſito conueniunt; ergo iſtud non eſt perfectius, quam forma. ¶ Confirmatur: nam eo creatura eſt perfectior, quo magis aſſimilatur Deo; ſed forma ſubſtantialis ſimilior eſt Deo, quam compoſitum; ergo illi præſtat in perfectione. Suadetur minor: quia Deus eſt actus puriſſimus: conſtat autem formam ſubſtantialem eſſe duntaxat actum; compoſitum verò includere potentiam, ſcilicet materiam primam: ergo forma eſt ſimilior Deo, quam compoſitum.

Reſpondetur ad obiectionem negando antecedens; quod probatio inducta non euincit: quia licèt materia prima ſit origo plurium imperfectionum, aliquam tamen perfectionem dicit, quam compoſito communicat. Vndè ſicut entitas compoſiti non eſt à ſola forma, ſed etiam à materia; ita etiam ſuam perfectionem non à ſola forma, ſed ab vtraque, licèt inæqualiter deriuat. Quapropter ſi materia deeſſet, inſufficiens foret forma ſubſtantialis ad perfectionem propriam compoſiti: nam perfectum eſt, cui nihil deeſt: multum autem deeſſet ad compoſitum, ſi ſola materia deficeret.

Ex quibus etiam patet ad confirmationem: impoſſibile enim eſt, quod forma ſit perfectior quam totum; cùm iſtud contineat in ſe formæ entitatem, & perfectionem, ſiue magna ſit, ſiue non. Ad probationem autem in contrarium dicendum eſt, quod licèt forma, quæ eſt ſubſtantia completa, & per ſe ſubſiſtens, vti ſe habet Angelus, ſit Deo ſimilior, & conſequenter perfectior, quam compoſitum ſubſtantiale; non tamen forma, quæ eſt quid incompletum in genere ſubſtantiæ, qualis eſt omnis forma, quæ conſtituit totum phyſicum: hæc enim eſt ſimpliciter imperfectior, quam totum. Et ratio eſt quia Deus non eſt actus vtcumque, ſed importat omnem plenitudinem eſſendi, & ad nihil extra ſe ordinatur: compoſitum autem ſubſtantiale eſt ens completum, per ſe ſubſiſtens, & habens rationem finis reſpectu partium: forma verò illius eſt quid incompletum, & ordinatur ex natura ſua ad totum, vt ad finem: quarè, attentis omnibus, magis aſſimilatur Deo compoſitum, quam forma; illamque ſimpliciter in perfectione ſuperat.

§. II.

Secunda concluſio pro cauſa efficienti.

15 DIcendum eſt ſecundò, cauſam efficientem aliquando eſſe perfectiorem ſuo effectu, aliquando eiuſdem perfectionis, & aliquando minus perfectam. Hæc aſſertio, quæ eſt communis inter Philoſophos, ſuadetur, & ſimul explicatur: etenim cauſa efficiens diuiditur in principalem, & inſtrumentalem, & turſus principalis alia eſt vniuoca, & alia æquiuoca: ſed cauſa efficiens principalis, ſi eſt æquiuoca, eſt perfectior effectu; ſi verò vniuoca, eſt eiuſdem perfectionis ac ille; inſtrumentalis autem eſt minus perfecta: ergo &c. Probatur minor: nam cauſa principalis æquiuoca eſt illa, quæ producit effectus diuerſæ rationis, ſibique inferiores, vt ſol ſe habet ad aurum; vniuoca verò eſt eiuſdem ſpeciei cum effectu, ob idque appellatur vniuoca, quo pacto ſe habet equus generans ad equum genitum; inſtrumentalis autem eſt, quæ attingit effectum altiorem ſe, qua ratione comparatur ſemen ad prolem: ergo agens æquiuocum excedit effectum, vniuocum exæquatur ei, & inſtrumentale illi cedit.

16 Obijcies primò: homo tardi ingenij non rarò generat filium ingenij perſpicacis: & tamen eſt cauſa efficiens vniuoca reſpectu illius: ergo effectus poteſt excedere ſuam cauſam principalem vniuocam. ¶ Reſpondetur, quod ſi ex parte geniti inuenitur maior perfectio ſubſtantialis, & indiuidualis, quoad animam, vel intellectum, illa reuocanda eſt in Deum, qui ſolus producit animam. Quod ſi exceſſus conſiſtat in meliore complexione, vel in aptiori diſpoſitione organorum, debet reduci in concurſum aliarum cauſarum, quæ ſimul cum patre ad generationem fœtus concurrunt: vt puta in benignum aſpectum ſiderum, optimam temperiem loci &c. Vndè conceſſis maiori, & minori neganda eſt conſequentia obiectionis; eò quod ad rationem cauſæ vniuocæ ſolum attinet producere effectum eiuſdem ſpeciei: in qua ratione illi coæquatur, quoad perfectionem, vt ex ſe liquet.

17 Obijcies ſecundò: ſpecies intelligibilis concurrit, vt cauſa effectiua principalis ad intellectionem: conſtat autem intellectionem eſſe perfectiorem ſpecie, cum illa ſit actus vitalis, hæc verò quid exanime: ergo valet effectus excedere cauſam principalem. ¶ Reſpondetur, ſpeciem intelligibilem non influere in intellectionem ſe ſola, ſed ſimul cum intellectu, cui ſubordinatur, & cum quo vnam adæquatam cauſam principalem conſtituit. Porrò intellectio, quatenus ſolùm exprimit habitudinem ad obiectum, & conuenientiam cum intellectu actuato per ſpeciem intelligibilem, nihil habet, per quod intellectum, & ſpeciem excedat: & ideò dependet ab eis, ſicut à cauſa principali effectiua. Si verò ſumatur quatenus explicat maiorem actualitatem ſupra principium proximum, illi in perfectione præfertur: at hoc pacto, nec ſpeciem, nec intellectum reſpicit, vt cauſam præcipuam, ſed in Deum principaliter reuocanda eſt.

18 Obijcies tertiò: animalia genita ex putrefactione v. g. mures, & vermes producuntur tanquam à cauſa principali à virtute cœlorum: non enim deſignari poteſt alia cauſa particularis principalis, à qua fiant: & tamen ſunt perfectiores quam illa: ergo. Minor oſtenditur: nam forma horum animalium eſt vitalis; non autem forma cœlorum: ſed quælibet forma vitalis excedit inanimatam, cum ſit altioris gradus quam illa: ergo talia animalia ſunt perfectiora virtute cœlorum. ¶ Huic obiectioni ſic reſpondet D. Thom. 1. *p. q.* 7. *art.* 3. *ad.* 3. *Dicendum, quod corpus cæleſte, cum ſit mouens, motum habet rationem inſtrumenti, quod agit in virtute agentis principalis; & ideò ex virtute ſui motoris, qui eſt ſubſtantia viuens, poteſt cauſare vitam.* Mouens autem principale, in cuius virtute poteſt cœlum vitam attingere, vel eſt Angelus, vel eſt ſolus Deus, vt tradit idem S. Doct. *quæſt.* 3. *de potentia art.* 11. *ad.* 12. *&* 13.

19 Vltimò oppones: ex acceſſu aſini ad equam generatur mulus, qui eſt perfectior ſecundum ſpeciem quam aſinus: ergo poteſt effectus ſuperare in perfectione cauſam, à qua principaliter fit. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: nam exceſſus ſpecificus muli ſupra aſinum reducitur in auctorem naturæ, ſicut in cauſam particularem principalem: ad ipſum quippe ſpectat ſupplere ſuo concurſu ſimiles defectus agentis particularis creati. Neque nobis arridet illorum doctrina, qui prædictum exceſſum reuocant in equam; quoniam in generatione animalium ſolus maſculus influit actiuè proximè; fœmina verò tantum concurrit paſſiuè, videlicet miniſtrando materiam, vt docet D. Thom. 3. *p. q.* 32. *art.* 4.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Vltima concluſio pro cauſa finali.

10 Dicendum eſt tertiò, cauſam finalem, per ſe loquendo, eſſe perfectiorem ſuo effectu, ſiuè ijs, quæ ſunt ad finem. Hæc aſſertio eſt æquè communis, ac præcedentes; & facilè poteſt oſtendi, quoniam finis eſt appetibilior ijs, quæ ſunt ad finem; ſiquidem hæc appetuntur propter illum; appetibile autem coincidit cum bono, ſeu perfecto, cùm omnia appetant bonum, & perfectum; ergo cauſa finalis eſt, per ſe loquendo, perfectior ſuo effectu, ſiue ijs, quæ ſunt ad finem. Ad hæc; finis in modo cauſandi ſubordinat ſibi ea, quæ ſunt ad ipſum; ſed per ſe loquendo, imperfectiora ſubijciuntur magis perfecto, & non è contra; alias eſſet inordinatio peruerſa; ergo effectus proprius cauſæ finalis eſt, per ſe loquendo, imperfectior quam finis.

Diximus, *per ſe loquendo*, quia aliquando actiones nobiliſſimæ in fines viliſſimos ordinantur, vt conſtat in eo, qui audit ſacrum, vt furetur. Hoc tamen non contingit *per ſe*, id eſt ſeruato recto ordine rerum; imò potiùs in hac deordinatione conſiſtit peccantis peruerſitas. Quarè non repugnat, ſed frequentiùs euenit, quod finis non ſit in re perfectior ijs, quæ ordinantur ad ipſam. Semper tamen in apprehenſione appetentis eſt perfectior, quàm illa, quæ propter ipſum amantur; eò quod attentis omnibus, habetur, vt conuenientior; licèt in re decipiamur; bonum autem idem eſt, ac conueniens; & ideò finis ex modo proprio influendi præcellere debet effectum. Quomodo autem id, quod à parte rei eſt minus perfectum poſſit per modum finis in præſtantiorem effectum influere; & an effectus cauſæ finalis poſſit realiter coincidere cum ea, vel debeat ab ea diſtingui, infrà declarabitur *diſp.* 14. vbi de cauſa finali ex profeſſo agendum erit.

DISPVTATIO IX.

De cauſis materiali, & formali.

Habita notitia cauſarum in communi, oportet vt deſcendamus ad conſiderationem earum in particulari. Priùs tamen agemus de intrinſecis, quàm de extrinſecis, eò quod illæ intimiùs ſe habent ad conſtituendum ens naturale, quod Philoſophus contemplatur. Quia tamen, ſuppoſitis ijs, quæ hactenùs ſtatuimus, pauca diſcutienda ſuperſunt circa iſtas cauſas, idcircò de vna ſimul, & altera agemus in hac diſputatione, eamquè breuiter abſoluemus.

QVÆSTIO I.

Per quid materia, & forma cauſent.

Supponimus in præſenti, quod tàm materia, quàm forma habent vim ad cauſandum, illamquè aliquando in actu ſecundo exercent: dubitamus autem, per quid ex cauſæ conſtituantur in actu primo fœcundæ, & quaſi potentes ad influendum in effectum; & quænam ſit cauſalitas, per quam reducuntur ad exercitium.

1 Dicendum eſt primò, materiam, & formam per ſuaſmet entitates ſubſtantiales habere in actu primo vim ad cauſandum. Hæc aſſertio deſumitur ex Ariſtot. 8. *Metaph. cap.* 6. & D. Thom. 1. *p. quæſt.* 76. *art.* 7. & eſt communis inter Doctores. Videatur Suarez *diſp.* 13. *Metaph. ſect.* 8 Fundamentum eſt; quoniam materia cauſat in actu ſecundo, quatenus recipit formam; & hæc cauſat, quatenus actuat materiam: ergo materia per id conſtituitur potens in actu primo ad cauſandum, per quod poteſt recipere formam; & forma per id conſtituitur potens in actu primo ad cauſandum, per quod valet materiam informare; atqui materia per ſuam entitatem queit recipere formam; & forma per ſuam entitatem poteſt informare materiam; ergo vis cauſatiua, per quam ex cauſæ conſtituuntur in actu primo, non diſtinguitur ab earum entitate.

Confirmatur, & explicatur; quia ſi aliquid ſuperaddendum foret materiæ ad illam conſtituendam in actu primo, vel eſſet ſubſtantiale, vel eſſet accidentale; neutrum dici poteſt; ergo. Minor oſtenditur; nam in prima nequit eſſe accidens, quia id, per quod prima potentia ſubſternitur actui ſubſtantiali, debet eſſe quid ſubſtantiale; aliàs non poterit reſultare vnum ens per ſe. Deinde non poteſt eſſe ſubſtantia, nam hæc adæquatè diuiditur ab Ariſtot. in tres entitates, nempè in materiam, formam, & compoſitum, tanquam in membra omninò exhaurientia diuiſum. Non igitur excogitari valet aliquid, quod ſuperaddatur materiæ, eamque conſtituat in actu primo; & eadem ratio militat in forma, vt conſideranti conſtabit.

Obijcies; materia non poteſt proximè vniri formæ, niſi prius diſponatur, & determinetur ad illam; ſed diſponitur non per ſuam entitatem, ſed per aliqua accidentia ei ſuperaddita; ergo materia conſtituitur in actu primo proximo per aliquid diſtinctum à ſe. § Reſpondetur ex D. Thom. *loco ſupra cit.* negando conſequentiam, quia licèt materia prima egeat accidentibus, quibus diſponatur, & trahatur ad peculiarem formam; attamen forma non recipitur in ipſis accidentibus, nec in eis medijs, vt ſubiecto *quo*, & ratione recipiendi; ſicut accidentia corporea recipiuntur in ſubſtantia media quantitate; ſed recipitur immediatè in materia prima, ſicut in potentia omninò proxima, & ſibi proportionata. Accidentia verò, quę præparant materiam, ſi fuerint antece-

dentia

dentia, recipiuntur in compoſito corrumpendo, v. g. in ligno: ſi verò concomitantia, recipiuntur in toto compoſito denuò genito v. g. in igne, qui fit ex ligno, vt latiùs dicemus *in lib. de Generat.* Vndè ſemper ſaluatur, quod materia prima per ſuam entitatem ſit potens ad recipiendum, & conſequenter ad cauſandum.

Dicendum eſt ſecundò, cauſalitatem materiæ, & formæ, per quam in actu ſecundo, ſiuè in exercitio influunt, eſſe modum vnionis, quo inuicem copulantur. Hæc concluſio ſatis ſuperquè conſtat *ex dictis diſp. 6. quæſt.* 3. nam vt ibi oſtendimus, eatenùs cauſant eæ cauſæ, quatenùs vna recipit, & alia informat: ſed hoc ipſo, quod vniantur, materia recipit, & forma informat: ergo cauſalitas, per quam influunt in actu ſecundo, eſt earum vnio. Nequè oportet in hoc ampliùs immorari: ſed examinandum eſt ſub qua ratione vnio harum cauſarum ſubeat officium cauſalitatis: quod quæſtione ſequenti decidemus.

QVÆSTIO II.

An vnio materiæ, & formæ ſecundum omnia, quæ dicit, ſit cauſalitas illarum.

PRo tituli intelligentia, & quæſtionis reſolutione animaduertendum eſt, materiam primam per ſuam vnionem tria munera exercere, videlicet recipere formam, limitare illam, & conſtituere totum. Hæc autem munera, ſiue conceptus ſolùm diſtinguuntur virtualiter, vel per intellectum, obſeruantquè inter ſe ordinem, ratione cuius conſtituunt vnam cauſalitatem adæquatam: nam eadem vnio, quatenus eſt via, & limitatio formæ, ordinatur ad conſtitutionem compoſiti, quod intenditur principaliter, & per modum finis. Vbi autem vnum eſt propter aliud, ibi non ſunt plura, ſed vnum, vt frequenter repetit D. Thomas: ideoquè prædicta tria vnionis munera conſtituunt vnam cauſalitatem adæquatam, non ſolum ob realem identitatem, qua gaudent; ſed etiam propter ſubordinationem, quam ſeruant. Et quod de vnione, prout ſe tenet ex parte materiæ diximus, idem proportionabiliter intelligendum eſt, quatenus ſe tenet ex parte formæ, nam etiam forma per vnionem tria officia exercet, nimirùm actuare materiam, limitare illam, & conſtituere compoſitum, quæ etiam habent inter ſe aliquam ſubordinationem, vt ex ſe conſtat. Inquirimus igitur, an vnio, prout prædicta tria munera complectitur, ſit propria cauſalitas cauſarum intrinſecarum; an verò ſecundum vnum præciſê munus.

2 Dicendum eſt, vnionem inter materiam, & formam, eſſe illarum cauſalitatem, ſecundum omnia tria munera, quæ nuper expoſuimus. Sic docent communiter Thomiſtæ. Suadetur ratione: quoniam ſub illa ratione vnio eſt cauſalitas harum cauſarum, ſub qua eſt verus earum influxus in effectum; cauſalitas quippè nil aliud eſt quam influxus; ſiuè concurſus cauſæ: atqui vnio inter materiam, & formam ſumpta ſecundum prædicta tria munera eſt earum verus, & realis influxus in effectum: ergo ſecundum omnia ea munera eſt cauſalitas earum. Minor ſolùm indiget expoſitione: etenim materia per ſuam vnionem acceptam ſub expreſſione receptionis, & limitationis influit in formam, vel ſecundum entitatem acceptam, vel ſaltem quoad vnionem; & per eandem vnionem ſub expreſſione conſtitutionis ſumptam concurrit ad compoſitum: conſtat autem formam, & compoſitum eſſe effectus materiæ in genere cauſæ materialis: ergo materia per vnionem ſumptam ſecundum illa tria munera concurrit ad proprium effectum. Idemquè proportionabiliter reperitur in forma, vt conſideranti conſtabit. Quia tamen hæc munera vnionis ſolùm diſtinguuntur per intellectum, & aliàs habent ſubordinationem ſupra explicatam, idcircò non conferunt multiplicis cauſæ denominationem materiæ, neque formæ; ſed materia conſtituta in exercitio per omnes illas formalitates vnionis eſt vna, & eadem adæquata cauſa materialis, & ſimiliter forma per eaſdem conſtituta eſt ſolùm vna adæquata cauſa formalis.

3 Aduerſus iſtam aſſertionem opinantur, licèt ex diuerſis capitibus B. Albertus Mag. *in hoc lib. tract. 2. cap. 1.* Fonſeca 5. *Metaph. cap. 2. quæſt. 2. ſect. 3.* & alij: quorum nonnulli ſentiunt, vnionem duntaxat eſſe cauſalitatem materiæ, quatenùs eſt receptio formæ; alij verò quatenùs ſolùm eſt conſtitutio compoſiti; alij deniquè aſſerunt, cauſalitatem materiæ eſſe primariò in ordine ad formam, & ſecundariò in ordine ad compoſitum. Nullum tamen eſt pro his dicendi modis vrgens fundamentum, quod vel noſtram aſſertionem labefactet, vel facilè non diluatur ex dictis.

Oppones tamen primò: cauſalitas cauſæ intrinſecæ ſolùm eſt reſpectu effectus, quem intrinſecè componit: atqui materia eſt cauſa intrinſeca, & non componit formam, ſed compoſitum: ergo vnio ſolùm eſt propria cauſalitas materiæ, quatenùs præciſè eſt compoſiti conſtitutio. ¶ Reſpondetur, materiam primam non ideò dici cauſam intrinſecam, quia ſit pars intrinſeca cuiuſcumque effectus, qui ab ea dependet: ſed quia id habet reſpectu compoſiti, ad quod, tàm cauſalitas materiæ, quàm intentio generantis principaliter ordinantur. Id tamen non tollit, quod materia per eandem vnionem concurrat ad fieri, & eſſe formæ materialis, & ad vnionem ſpiritualis; & conſequenter, quod talis vnio importet multiplicem virtualiter formalitatem, ex quibus integratur vna cauſalitas adæquata.

Oppones ſecundò: materia prima eſt pura potentia, & vt talis cauſat: ergo eius cauſalitas deſumenda ſolùm eſt per reſpectum ad actum, quem recipit, nempè formam; ergo vnio eſt cauſalitas materiæ, quatenus præciſè habet rationem receptionis. ¶ Ad hanc obiectionem conſtat ex proximè dictis: nam cauſalitas primę, & purę potentię, non ſolùm eſt in ordine ad actum, quem reſpicit, ſed etiam ad compoſitum, quod conſtituit: recipit enim formam, vt componat totum.

Oppones tertiò: ſicut eſt proprium cauſę formalis dare, ſic eſt proprium cauſæ materialis recipere: at materia non recipit compoſitum, ſed ſolam formam: ergo vnio eſt cauſalitas materię per ordinem ad formam, ſecus verò ad totum. ¶ Reſpondetur, proprium eſſe formę, non ſolùm dare, ſed etiam componere, & conſtituere: ac proindè idem proportionabiliter dicendum eſt de materia. Vndè obiectio ſolùm conuincit, quòd via originis, & in exercitio cauſent, primò forma, vt dans, & materia, vt recipiens: id tamen neutiquam tollit, quod ordine intentionis, & dignitatis totum ſit earum effectus primarius, ad quem proindè illarum cauſalitates primariò tendunt.

Oppones quartò, repugnat formam limitari per id, per quod perficitur: ſed forma materialis perficitur per hoc, quod ſit in ſubiecto; aliàs non appeteret eſſe in illo: ergo non limitatur per hoc, quod recipiatur in eo, ac proindè cauſalitas materię, quę eſt receptio formę, non erit limitatio illius. ¶ Confirmatur: quia materia cœleſtis ſolùm poteſt recipere formam Cœleſtem; ergo hęc non limitat potentialitatem proprię materię, & conſequenter vnio formę ad materiam non eſt cauſalitas formę, quatenùs eſt materię limitatio.

Reſpondetur, formam materialem ſecundum ſe acce-

ptam

ptam, non determinatè certam aliquam portionem materiæ, ſed indifferenter ſe habere ad omnes: per hoc autem, quod actu, vel aptitudine proxima recipiatur in determinata materia, fit determinata pars huius compoſiti, & nequit aliam materiam actuare: vndè contrahit quandam limitationem. Quia tamen per hanc vnionem, ex qua eius limitatio oritur, conſequitur ſtatum ſibi connaturalem, & exiſtentiam, quam aliàs conſequi naturaliter nequit; ideò etiam, dum limitatur, perficitur intra proprium genus, videlicet formæ receptibilis in materia: quamuis in ratione formæ, prout abſtrahit ab vnibili, & non vnibili, limitetur, & contrahatur. ¶ Ad confirmationem dicendum eſt, quod licèt materia cœleſtis ſit determinata ad formam cœleſtem ſecundum genus; nihilominùs ex ſe non eſt determinata ad hanc, vel illam numero formam; ſed habet quandam amplitudinem, & indifferentiam: vndè hoc ipſo, quod vniatur huic numero formæ, limitatur, atque determinatur per illam.

QVÆSTIO III.

Vtrum effectus primarij harum cauſarum diſtinguantur realiter ab illis?

EX dictis, tàm in præſenti diſputatione, quàm *diſputatione 6. quæſt.* 4. ſatis liquidò deducitur, effectus primarios materiæ, & formæ diſtingui, ſaltem formaliter, ab eis. Difficultas autem eſt, vtrum differant realiter: Pro cuius luce animaduertere oportet, quod compoſitum ſubſtantiale (quod eſt præcipuus effectus, in quem omnes cauſæ, tùm extrinſecæ, tùm intrinſecæ colliniant) poteſt bifariam ad cauſas intrinſecas comparari. Primò abſolutè, ita vt ſecundum ſe totum compararetur cum vnaquaque cauſa ſingillatim accepta: vt ſi totus homo, & ſecundùm ſe totum referatur ad materiam. Secundò cum præciſione: ita vt non comparetur ad prædictas cauſas, niſi conſideratum ſecundum ea præciſe, quæ ab vnaquaque participat: vt ſi homo conſideratus ſecundum eſſe materiale, quod habet à materia, eidem materiæ comparetur. Et licèt hæc difficultas ſit materiæ, & formæ communis; nihilominùs, vt confuſionem vitemus, eam in ſpeciali circa materiam verſabimus: illius autem reſolutio formæ proportionabilitèr applicanda eſt.

§. I.

Tribus concluſionibus expeditur difficultas.

4 DIcendum eſt primò, compoſitum ſubſtantiale, abſolutè loquendo, eſſe effectum materiæ primæ. In hac concluſione conueniunt vnanimiter Philoſophi. Et probatur primò, excludendo ſimul motiuum ad aſſerendum oppoſitum: quoniam vt aliquid ſit abſolutè effectus alicuius cauſæ, non deſideratur, quod totum, & totaliter dependeat ab illa, hoc eſt, quod dependeat ab ea in omni genere cauſæ, & ſecundum omnem rationem, quam in ſe habet; ſed ſufficit, quod dependeat ab ipſa in determinato genere, & quod ab illa participet ea, quæ ad tale genus ſpectant: atqui totum compoſitum ſubſtantiale dependet prædicto modo à materia: ergo compoſitum ſubſtantiale eſt abſolutè effectus illius. Maior liquet exemplis; nam in primis finis eſt vera cauſa: & tamen non influit efficiendo, recipiendo, vel informando; ſed tantum finalizando, & mouendo: ergo vt effectus attribuatur abſolutè alicui cauſæ, ſufficit, quod dependeat ab ipſa in proprio genere talis cauſæ; quamuis in alijs generibus non dependeat. Deinde homo generans eſt vera cauſa totius hominis geniti: & nihilominus non producit materiam, vel animam; ſed ſolùm earum vnionem: ergo vt totus effectus dicatur eſſe ab aliqua cauſa, opus non eſt, quod recipiat ab ea, quidquid habet in ſe; ſed ſufficit recipere illa, quæ ſunt propria talis cauſę. Minor etiam conſtat: quia materia prima cauſat componendo, & ſe communicando; ſed componit totum compoſitum, & ſe communicat illi: ergo licèt totum compoſitum non dependeat à materia totaliter, ſeu in omni genere; dependet tamen in genere cauſę materialis, & participando ea, quę ſunt propria illius.

5 Dicendum eſt ſecundò, compoſitum ſubſtantiale abſolutè conſideratum diſtingui realiter à materia, ſeu cauſa materiali. Hęc concluſio eſt ęquè communis, ac pręcedens, & poteſt facilè oſtendi: quoniam tunc aliquid diſtinguitur realiter ab alio, quando includit illud, & addit ſupra ipſum aliquam entitatem: ſed compoſitum ſubſtantiale abſolutè conſideratum includit materiam, & ſupra ipſam addit entitatem formę: ergo compoſitum ſubſtantiale abſolutè conſideratum diſtinguitur realiter à materia, ſeu cauſa materiali. Hęc autem diſtinctio non eſt excludentis, & excluſi ſed includentis ab incluſo, vt ſatis ex ſe liquet.

Dicendum eſt tertiò, compoſitum ſubſtantiale conſideratum pręciſè ſecundum ea, quę habet à materia, non diſtingui realiter entitatiuè ab illa, ſed ſolùm realiter modaliter. Probatur ratione: quia illud, quod compoſitum cum pręciſione ſumptum habet à materia, non diſtinguitur realiter entitatiuè ab illa, ſed tantum realiter modaliter: ergo compoſitum conſideratum ſecundum ea pręciſè, quę habet à materia, non differt ab ipſa realiter entitatiuè, ſed modaliter pręciſè. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens autem oſtenditur: quia illud, quod compoſitum habet à materia, nihil aliud eſt, quàm eſſe materiale, vel ipſa materia, vt ſibi communicata: atqui materia, vt communicata non diſtinguitur realiter entitatiuè à ſe ipſa, ſed tantùm modaliter: eò quod, vt communicata addit duntaxat modum vnionis ſupra ſeipſam: ergo illud, quod compoſitum habet à materia, non differt ab illa realiter entitatiuè, ſed pręciſè realiter modaliter.

§. II.

Reſpondetur argumentis in contrarium.

6 COntra doctrinam modò ſtabilitam duę ſolent referri ſententię. Prima negat abſolutè, diſtinctionem realem inter cauſas intrinſecas, & earum effectus primarios. Quę poteſt probari: quoniam materia prima v. g. non cauſat per veram actionem, ſed communicando ſuum eſſe entitatiuum intrinſecum, & intrinſecè: atqui eſſe entitatiuum materię non diſtinguitur realiter ab illa: ergo neque effectus eius primarius. ¶ Confirmatur primò: nam ſi compoſitum, ſecundum quod eſt effectus materię, diſtingueretur realiter ab ea, maximè quia ſupra materiam addit id, quod participat à forma: at ſic eſt, quod compoſitum non eſt effectus materię ſecundum ea, quę habet a forma; ſed ſecundum illud, quod participat à materia: quod, vt probatum eſt, ab ipſa materia non differt. ergo compoſitum, ſecundum quod eſt effectus materię, non diſtinguitur realiter ab illa. ¶ Confirmatur ſecundo: quia ſi eę cauſę intrinſecę diſtinguerentur realiter à ſuo effectu, poſſent ſeparari realiter

ter

Digitized by Google

ſet ab illo, maximè cùm forma abſtrahitur à materia, & exiſtit extra ſubiectum; ſed impoſſibilè eſt, cauſas intrinſecas reperiri ſine effectu, vt docent communiter Philoſophi: ergo non diſtinguuntur realiter ab illo.

Ad argumentum reſpondetur, eſſe entitatiuum materiæ poſſe dupliciter conſiderari: primò ſecundum ſe, & præciſiuè à communicatione: & hoc pacto non eſt effectus materiæ: vndè mirùm non eſt, quod ſit idem omninò cum illa. Secundò, quatenùs communicatur compoſito, & formæ, & hac ratione addit ſupra ſeipſum modum vnionis, & communicationis, ratione cuius diſtinguitur realiter modaliter à materia. Et eodem modo diſtinguitur ab ea compoſitum, ſi præciſè conſideretur ſecundum eſſe materiale, quod à materia participat, vt vltima concluſione ſtatuimus. Abſolutè autem conſideratum diſtinguitur ab ea realiter entitatiuè, vt diximus in ſecunda. ¶ Ad primam confirmationem conſtat ex dictis: nam compoſitum adæquatè ſumptum eſt effectus materiæ in genere cauſæ materialis: & ita acceptum diſtinguitur ab ea realiter entitatiuè. Si autem ſumatur ſecundum illam præciſam rationem, quam hæc confirmatio intendit, non diſtinguitur à materia entitatiuè: differt tamen modaliter ratione modi vnionis, quem addit ſupra materiam conſideratam ſecundum ſe. ¶ Ad ſecundam dicendum eſt, axioma illud Philoſophorum verificari de cauſis intrinſecis actu communicatis: quo pacto impoſſibile eſt abſque communicatione, ac proindè abſque effectu primario reperiri. Si autem diuidantur, & ſeparentur, deſinunt habere, ſicut & communicationem, ita & effectum: hic autem dependet ab illis non divulſis, ſed coniunctis, & vnitis.

7 Secunda ſententia docet abſolutè, cauſas intrinſecas diſtingui realiter à ſuo effectu primario. Et probatur primò: quia inter cauſam realem, & effectum realem datur ordo, ſeu relatio realis: ſed nequit dari relatio realis abſque reali diſtinctione inter extrema: ergo cauſæ intrinſecæ, & earum effectus, cùm ſunt propriè, & realiter tales, debent diſtingui realiter. Maximè, quia ex oppoſito fieret, quod idem eſſet realiter cauſa, & effectus, prius, & poſteriùs dependens, & independens, quæ ſunt abſurda: ergo &c. ¶ Ad hæc tamen non oportet reſpondere: quia tantùm probant, aſſignandam eſſe diſtinctionem realem, inter cauſas intrinſecas, & compoſitum; quam libenter concedimus. An autem hæc ſit entitatiua, an autem modalis? non eſt ſtatuendum vniuerſaliter; ſed cum diſtinctione, qua in ſecunda, & tertia concluſione proceſſimus.

Arguitur ſecundò, quoniam materia eſt vera cauſa formæ materialis, vt conſtat *ex dictis diſp. 4. quaeſt. 2.* ſed materia omninò realiter diſtinguitur à forma: ergo effectus proprius materiæ diſtinguitur omninò realiter ab illa.

Cæterùm nec illud argumentum impugnat noſtras aſſertiones: nam quod materia differat omninò à forma, non excludit; quod materia diſtinguatur à compoſito, eo modo, quem aſſertiones deſcribunt, vt conſideranti conſtabit. Sed vt id, quod argumentum tangit, lucem accipiat: animaduertendum eſt ex D. Thom. *opuſc. 31.* quod forma materialis eſt effectus materiæ, quatenùs ex ea educitur, & in illa ſuſtentatur. Porrò forma, vt ſuſtentata importat ipſam materiam, vt ſibi communicatam: nam ſicut materia, vt informata) quo pacto eſt effectus formæ) dicit formaliter formam ſibi vnitam, non quidem per modum partis ex qua componatur, ſed per modum actus, cum quo perficitur: ita forma, vt ſuſtentata (qua ratione eſt effectus materiæ) importat materiam ſibi vnitam, non quidem per modum partis, ſed per modum ſubiecti, & fundamenti, cui innititur.

Vndè cùm materia; vt communicata tantùm differat modaliter à ſe ipſa; ſequitur, quod forma, vt ſuſtentata (ſi ſumatur cum præciſione ſecundum ea, quæ habet à materia) ſolùm realiter modaliter differat ab illa. Abſolutè tamen forma materialis dicenda eſt effectus materiæ: quia abſolutè nequit conſeruari, niſi in materia ſuſtentetur, & vt ſuſtentata eſt proprius effectus eius.

Sed obijcies primò: nam etiam materia prima nequit conſeruari, niſi vniatur formæ, & per eam actuetur: quod frequenter fit media actione agentis creati: ergo ſi forma dicitur abſolutè effectus materię, quia nequit conſeruari, niſi ſuſtentata in illa; pariter materia erit abſolutè, effectus, tunc agentis creati. ¶ Reſpondetur negando conſequentiá, & ratio diſparitatis eſt: nam materia debet abſolutè præcedere actionem agentis creati, & effectum prouenientem à forma: vndè non eſt dicenda abſolutè effectus eorum; ſed tantùm cum addito, nempè vt informata, & vnita: ſicut anima rationalis eſt effectus hominis generantis, non abſolutè ſed quoad vnionem. Forma verò materialis abſolutè ſupponit materiam, & ab ea dependet: vndè poteſt, & debet dici abſolutè effectus illius.

Secundò obijcies ſequi ex hac doctrina, quod forma materialis ſecundum ſe conſiderata ſit effectus materię, non minus propriè, & rigorosè, ac ipſa forma, vt ſuſtentata: quod tamen videtur abſurdum. Sequela oſtenditur: nam ideò forma materialis eſt propriè, & rigorosè effectus agentis creati, quia dependet à materia, & ab ea ſuſtentatur; ſi enim hæc ſuſtentatio, & dependentia ſecludantur, nequit forma eſſe effectus agentis creati, vt patet in anima rationali; atqui prædicta ſuſtentatio immediatiùs, atquè intimiùs procedit à materia, quàm ab agente: ergo forma materialis, nedum vt ſuſtentata, ſed etiam conſiderata ſecundum ſe eſt propriè, & rigorosè effectus materiæ.

Reſpondetur negando ſequelam. Ad cuius probationem neganda eſt conſequentia: & ratio diſparitatis eſt, quòd in effectu proprio, & rigoroſo alicuius cauſæ debet ſplendere modus proprius cauſandi talis cauſæ: cauſa autem intrinſeca (qualis eſt materia) cauſat per ſui exhibitionem, & imbibendo ſe in effectu: quare, cùm in forma materiali, vt ſuſtentata implicetur materia prima ſe communicans per modum fundamenti; in eadem verò forma ſecundum ſe conſiderata non includatur materia: ſequitur, quòd forma, vt ſuſtentata ſit propriè, & rigorosè effectus materiæ; non autem forma conſiderata ſecundum ſe. Cauſa autem extrinſeca non cauſat per ſui exhibitionem, ſed media actione: vndè ſatis eſt, quod educat formam, vt hæc, tàm vt ſubſtentata, quàm ſecundum ſe, ſit in rigore effectus proprius agentis.

Dices: effectus, qui abſolutè dependet ab aliqua cauſa, debet procedere ab ea ſecundum modum proprium cauſandi illius; ergo ſi forma materialis conſiderata ſecundum ſe non dependet à materia ſecundum modum proprium, quo materia cauſat; ſequitur, quod ſic conſiderata non ſit effectus materiæ, nedum propriè, verùm nec abſolutè. Quod tamen eſt falſum; cùm forma materialis ſit, abſolutè loquendo, effectus materiæ, vt ſupra diximus. ¶ Reſpondetur, non eſſe neceſſarium, quòd in omni effectu abſolutè tali alicuius cauſę explicetur modus proprius cauſandi prędictę cauſę; ſed ſufficere, quod ille modus ſplendeat in ea ratione, ob quam effectus cauſę attribuitur. Forma autem materialis ideò eſt effectus materię, quia nequit abſolutè fieri, vel conſeruari, niſi innitatur in ea; & hęc ſuſtentatio eſt ratio omnis alterius dependentiæ. Quare cùm in forma, vt ſuſtentata explicetur, & ſplendeat modus proprius, quo materia cauſat, videlicet per exhibitionem ſuæ entitatis; hoc ſatis, ſuperquè eſt, vt forma materialis ſe-

cun-

cundum ſe conſiderata, ſit abſolutè effectus materiæ; quamuis non cum eadem proprietate, & rigore, ac ipſa vt ſuſtentata.

QVÆSTIO IV.

Vtrum idea, ſiue exemplar ſit vera cauſa formalis.

QVæſtionem hanc ideò præſenti diſputationi annectimus, quia Ariſtotel. 5. *Metaph. text.* 2. cauſam formalem, de qua hactenùs dictum eſt, diuidit in formam intrinſecam, quam vocat ſpeciem, & in extrinſecam, quam appellat exemplar. Vndè ob connexionem doctrinæ, & quia non alius aptior in hoc opere locus tractandi præſentem difficultatem occurret, illam hic decidemus. Sed priuſquam vlteriùs progrediamur, oportet aliqua prælibare, ex quibus huius dubii reſolutio dependet.

§. I.

Explicatur, quid ſit idea.

8 DIvus Auguſt. *lib.* 12. *de Ciuitate Dei, cap.* 25. & D. Thom. *quæſt.* 3. *de veritate, art.* 1. definiunt ideam, ſiue exemplar, per hoc, quod ſit *Forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem.* Per illam particulam *Forma*, denotatur conuenientia, quæ inter ideam, & alias formas inuenitur. Triplex quippè forma ſolet diſtingui: alia *ex qua*, ſiue *per quam*, & eſt illa, per quam res in ſuo eſſe, ſeu ſpecie conſtituitur; vt anima ſe habet ad hominem: alia *à qua*, & eſt illa à qua effectus progreditur, ſicut à principio agendi; vti comparatur calor ignis ad calorem ligni, quem producit: alia deniquè *ad quam*, & eſt illa, ad cuius ſimilitudinem fit effectus, quo pacto ſe habet idea, ſiuè exemplar ad artefactum. In definitione igitur ideæ ponitur ly *Forma* loco generis, in quo conuenit cum aliis formis nuper explicatis: à quibus tamen differt per ſubſequentes particulas. Nam per illa verba *quam aliquid imitatur*, explicatur peculiaris modus, quo idea concurrit ad ſuos effectus, & per quem diſtinguitur ab aliis formis: aliæ enim influunt efficiendo, vel componendo; idea verò per hoc, quòd alia ipſam imitentur. Hæc autem imitatio non debet eſſe à caſu, & per accidens; qualiter imagines depictæ ab artifice ſolent præter eius intentionem non rarò aliorum ſimilitudinem referre: hoc enim neutiquam ſufficit ad veram rationem exemplaris; ſed requiritur, quòd ſit forma, ad quam agens per ſe reſpiciat, quamquè imitetur ex intentione alicuius finis. Et ad hoc ſignificandum adduntur illa verbis: *ex intentione agentis determinantis ſibi finem.* Ex quibus etiam liquidò deprehenditur, ideam ſolum habere locum in agentibus per intellectum; ſecus verò in agentibus naturalibus, v. g. in igne: nam cùm idea habeat ſortiri rationem obiecti cogniti, & reſpici ex intentione alicuius finis, minimè reperiri poteſt, niſi in cognoſcentibus ipſum finem ſub ratione talis: quod ſolum eſt agentium per intellectum, vt ex ſe liquet.

Vbi obſerua, ideam non eſſe entitatem rei, quæ ad extra producitur, quatenùs denominatur cognita ab artifice, vt nonnulli autumant: exemplatum quippe debet aſſimilari ſuo exemplari, ſiuè ideæ, quam imitatur, & exprimit; idem autem non poteſt verè aſſimilari ſibi ipſi; cùm ſimilitudo realis expoſcat neceſſariò extrema ante intellectum diſtincta: atque ideò exemplar nequit conſiſtere in ipſomet artefacto, vel exemplato, prout cognito ab intellectu. Poteſt autem declarari, in quo conſiſtat idea, dicendo eſſe verbum mentale repreſentatiuum alicuius rei, quatenùs exprimit habitudinem imitabilitatis ad ipſam rem, vt ad effectum externum ideatum, vndè idea ſupra eſſe entitatiuum, & intentionale verbi, vt cuius ſolum habet eſſe puram ſimilitudinem rei cognitæ, addit habitudinem principii practici, & imitabilitatis ad rem quatenus producibilem, vt exemplar domus ad domum.

9 Ex quibus deducitur, quod idea habet rationem cauſæ reſpectu ideati: & rationem innuit Angelicus Doct. 1. *p. q.* 44. *art.* 3. quoniam agens intellectuale non eſt determinatum ad vnum, ſicut agens naturale; ſed indifferenter ſe habet ad plura, quæ concurrere poteſt per intellectum, eò quod intellectus non eſt potentia determinata ad vnum: repugnat autem, quod effectus determinatus fiat ab agente indeterminato: vndè neceſſum eſt, quod agens per intellectum determinetur proprio, & intellectuali modo ad particularem effectum. Huiuſmodi verò principium determinans non eſt ſcientia, neque ars, quia hæc ſunt principia plurium, & oppoſitorum effectuum; cùm oppoſita ad eandem ſcientiam, & artem pertineant: ergo præter omnia hæc conſtituendum eſt exemplar, ſiue idea, quæ determinat quis, qualis, & quomodo producendus ſit effectus. Quare cùm cauſa ſit re ipſa id, à quo effectus dependet, non poteſt non idea veræ cauſæ rationem ſortiri: id quod in præſenti ſupponimus: vertimus autem in dubium, ad quod genus cauſæ principaliter ſpectet.

§. II.

Vera D. Thom. Sententia duabus aſſertionibus explicatur.

10 DIcendum eſt primò, ideam influere in genere cauſæ efficientis, finalis, & formalis. Hanc concluſionem docet D. Thom. *quæſt.* 3. *de Verit. art.* 1. defenduntquè Nazarius 1. *p. q.* 15. *art.* 1. *controuerſia vnica*, & communiter Thomiſtæ. Probatur quoad primam partem ex eodem D. Thom. 1. *p. q.* 45. *art.* 6 vbi ait: *Artifex per verbum in intellectu conceptum, & per amorem ſuæ voluntatis ad aliquid relatum operatur. Vndè, & Deus Pater operatus eſt creaturam per ſuum verbum, quod eſt filius, & per ſuum amorem, qui eſt ſpiritus ſanctus.* Ex quibus verbis deducitur ratio concluſionis quoad illam partem: nam id, quod complet virtutem agentis, influit ſimul cum eo in eodem genere, id eſt, in genere cauſæ efficientis: atqui idea eſt forma complens virtutem agentis per intellectum; ſiquidem determinat indifferentiam illius: ergo idea influit in genere cauſæ efficientis. ¶ Ad hæc: omne agens intendit aſſimilare ſibi effectum in forma, per quam agit: ſed agens per intellectum intendit aſſimilare effectum ideæ, quam reſpicit, & imitandam ſibi proponit: ergo idea eſt forma, per quam efficit agens intellectuale, & conſequenter eſt forma actiua. Quo ſenſu D. Dionis. *cap.* 4. & 5. *de Diuinis nominibus* appellat, ideas diuinas effectrices rerum: & Ariſt. 7. *Metaph. text.* 23. dixit: *Sanitatem extra fieri à ſanitate, quæ eſt in mente.*

11 Secunda etiam pars probatur auctoritate, ſimul & ratione eiuſdem S. Doctor. 3. *contra Gentes cap.* 19. vbi inquit: *Res omnes creatæ ſunt quædam imagines primi agentis, ſcilicet Dei: agens enim agit ſibi ſimile;*

per

Digitized by Google

perfectio enim imaginis eſt, vt repræſentet ſuum exemplar per ſimilitudinem ad ipſum: ad hoc enim imago inſtituitur: ſunt igitur res omnes propter diuinam ſimilitudinem conſequendam, ſicut propter vltimum finem. Et quod Angelicus Præceptor docet de ideis diuinis, poteſt proportionabiliter ideis creatis applicari: nam bonitas, & perfectio ideati, in quantum talis, conſiſtit in ſimilitudine, & conformitate ad ideam: quamuis artifices, vt in plurimum, moueantur non à bonitate exemplaris, ſed magis à perfectione, quam in effectibus exemplatis apprehendunt, & ſibi præfigunt per modum finis: quod tamen non habet locum in Deo, qui minimè reſpicit tanquam finem perfectionem rei, quam producit, ſed ſuam propriam perfectionem, vt ex ſe liquet.

Tertiam denique partem docet idem D. Thom. *loco cit. de Veritate*, vbi inquit: *Ideam eſſe formam, quam aſpiciens artifex operatur.* Illamquè expreſsè tradit Philoſophus 5. *Metaph.* vt prælibauimus in primo quæſtionis limine. Et à fortiori conſtabit ex ijs, quę dicemus pro concluſione ſequenti.

12 Dicendum eſt ſecundò, propriiſſimam, & eſſentialem cauſalitatem ideę pertinere ad genus cauſę formalis, non quidem intrinſecę, ſed extrinſecę. Hęc eſt communis inter Thomiſtas, & probatur ratione: quoniam proprium formę eſt conſtituere effectum in determinata ſpecie: at idea confert ideato propriam ſpeciem; quandoquidem eſſe, & ſpecies iſtius ſumitur per conformitatem ad illam, ſicut ad ſui regulam, & menſuram: ergo propria cauſalitas ideę pertinet ad genus cauſę formalis: cumquè non det ſpeciem communicando ſeipſam effectui, ſed per hoc, quod ſit forma imitabilis, non poteſt habere rationem formę intrinſecę, ſed extrinſecę.

Deindę ſuadetur concluſio: quia idea, cùm ſit vera cauſa, vt ſupra prænotauimus, debet per ſe primò ad aliquod cauſę genus pertinere: ſed non pertinet per ſe primò ad genus cauſę materialis, efficientis, aut finalis: ergo ſpectat ad genus cauſę formalis, non quidem intrinſecę ſed extrinſecę, eò quod impertitur ſpeciem ideato, non informando illud, ſed terminando eius imitabilitatem per modum regulę, & menſurę. Minor quoad primam partem non indiget probatione; ſiquidem idea, nec recipit, nec diſponit materiam ad recipiendum, & conſequenter nulla ratione poteſt eſſe cauſa materialis. Quoad ſecundam verò ſuadetur, tùm quia id, quod influit actiuè magis ſe tenet ex parte principij, quàm ex parte termini: idea autem per ſe primò concurrit, vt ſe tenens ex parte termini per modum formę, ad quam agens reſpicit; & ideò non conſiſtit in ſpecie impreſſa, ſed in expreſſa, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 15. *art.* 1. ergo per ſe primò non pertinet ad genus cauſę efficientis. Tùm etiam, quia cauſa efficiens eſt per ſe principium motus, vt infra oſtendemus: atqui idea non influit per ſe primò in motum, ſed ſolum ſecundariò, vel conſequenter, vt docet D. Thom. 3. *p. q.* 78. *art.* 2. his verbis: *Forma artificialis eſt ſimilitudo vltimi effectus, in quem fertur intentio artificis: ſicut forma artis in mente ædificatoris eſt forma domus ædificatæ principaliter; ædificationis autem conſequenter*: ergo licet idea pertineat ad genus cauſæ efficientis, *vt ſupra* ſtatuimus; eius tamen cauſalitas nequit per ſe primò in hoc genere exerceri. Tertia denique eiuſdem minoris pars facilè oſtenditur: quia licèt exemplar poſſit fundare cauſalitatem finalem, quatenùs illius bonitas ſolet allicere artificem ad producendum artefactum; eius tamen modus proprius influendi non eſt allicere, ſed formare ab extrinſeco per ſui paſſiuam imitationem: vnde videmus, quod in agentibus creatis non ſemper exemplar habet rationem finis: artifex enim non facit imaginem propter exemplar; ſed magis attendit ad exemplar propter imaginem. Quod ſatis conuincit, propriam cauſalitatem ideæ non pertinere per ſe primò ad genus cauſæ finalis, ſiquidem frequenter influit, & non in illo. Reſtat igitur, quod licèt idea poſſit vtcumque influere in genere cauſæ efficientis, finalis, & formalis; eius tamen propria cauſalitas non pertineat per ſe primò, niſi ad genus cauſæ formalis extrinſecæ.

§. III.

Conuelluntur aduerſa fundamenta.

13 Contraria ſententia docet, ideam non eſſe cauſam formalem, ſed propriam eius cauſalitatem eſſe effectiuam. Hanc tenent D. Bonauent. *in* 3. *diſt.* 11. *q.* 2. Scotus *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 2. quibus ſubſcribunt Suarez *diſp.* 25. *Metaph. ſect.* 2. & alij. Probatur primò: quia ſi idea concurreret, vt cauſa formalis, maximè quia concurrit per modum obiecti cogniti, atque ideò menſurando, regulando, & conferendo ſpeciem, quę ſunt propria munia formę: atqui idea non influit per modum obiecti cogniti: ergo non habet rationem cauſę formalis. Suadetur minor: quia nullum obiectum diuerſum ab artefacto influit in illud, vt patet in Angelis, qui ad formandum aliquas res artificiales non reſpiciunt ad aliud obiectum, niſi ad ipſas res, quas efficiunt; ſed implicat, quod aliquid habeat rationem veræ cauſæ reſpectu ſui: ergo, cùm exemplar ſit vera cauſa, non poterit influere per modum obiecti cogniti.

Reſpondetur negando minorem, ad cuius probationem dicendum eſt, quod licèt exemplar habeat rationem obiecti cogniti, adhuc tamen diſtinguitur ab artefactis; quę ipſum imitantur: quoniam etſi illa ad vnguem exprimat, nihilominus non importat eorum entitatem in eſſe naturali, ſub quo ipſa producuntur; ſed in eſſe intentionali, ſub quo ipſum habet influere: & conſequenter gaudet ſufficienti diſtinctione, vt poſſit ſub ratione obiecti cogniti ſortiri proprium officium cauſę.

14 Secundò arguitur: quia de ratione formę eſt conſtituere intrinſecè rem, cuius eſt forma, ſeu cauſa formalis: at exemplar eſt quid extrinſecum reſpectu effectus, ad quem concurrit, vt ex ſe conſtat: ergo non poteſt influere in genere cauſę formalis. ¶ Reſpondetur negando maiorem: quia licèt verum ſit, quod forma intrinſeca dat eſſe intrinſecè, & ſe communicando; id tamen non habet ex communi conceptu formę, ſed quia eſt forma intrinſeca. Vndè non tollitur, quod alia influant in genere cauſę formalis, licèt ſe habeant extrinſecè ad effectum, vt patet in obiectis habituum, quę in communiori Philoſophorum ſententia impertiuntur ſpeciem habitibus in genere cauſę formalis, etſi extrinſecum quid ſint reſpectu eorum.

15 Tertiò arguitur: quia ita ſe habet forma intellectualis, ſiue idea, in agentibus per intellectum, ſicut forma naturalis in agentibus naturalibus: ſed hęc solùm concurrit actiuè ad effectus agentis: ergo idea non habet rationem cauſę formalis, ſed solùm efficientis. ¶ Confirmatur: quia ars concurrit ad effectum quatenùs dirigit, & ordinat ad illum mediante idea: ſed ars concurrit in genere cauſę efficientis: ergo cauſalitas propria ideę pertinet ad hoc genus, & non ad cauſam formalem.

Reſpondetur, quod tam argumentum, quàm illius confirmatio solùm conuincunt, ideam influere in genere cauſæ efficientis, id quod libenter admittimus, vt patet ex dictis pro prima aſſertione. Minimè tamen ſuadent, quod ideæ cauſalitas per ſe primò ad tale genus pertineat: nam ad hoc oportebat, quod exemplar influeret immediatè, & per ſe primò in operationem: contrarium verò contingere ex eo liquet, quod exemplar non

Digitized by Google

eſt exemplar operationis, ſed operis; cùm idea exprimatur per artefactum: ſecùs verò per operationem, per quam artefactum fit. Et ideò, quidquid ſit de proportione inter formam intellectualem, & naturalem, neganda eſt conſequentia argumenti. Et ad confirmationem dicendum eſt, ideam vendicare ſibi peculiarem influxum diuerſum ab eo, quo ars concurrit: quare licèt hæc ſolùm concurrat actiuè, poteſt tamen, & debet idea influere in genere cauſæ formalis.

DISPVTATIO X.

De cauſa efficiente.

SVPPOSITA iam notitia cauſarum intrinſecarum, ſequitur, vt ad extrinſecas, efficientem videlicet, & finalem explicandas accedamus. Et licèt finalis ſit prior, & nobilior in modo cauſandi, vt conſtabit ex dicendis; priùs tamen de efficiente ſermonem inſtituemus: quia ſecundum ſuam cauſalitatem eſt nobis notior.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit cauſa efficiens.

EXiſtentia cauſæ efficientis eſt ſatis manifeſta; cùm omnes videamus plures res ab alijs effici, ſeu produci: quapropter, prætermittendo quæſtionem *an eſt*, naturam, & ſpecies cauſæ efficientis inueſtigabimus.

§. I.

Declaratur quidditas cauſæ efficientis.

1 DIcendum eſt, cauſam efficientem eſſe: *Id, à quo primò incipit motus*. Sic eam definit Ariſtot. *in hoc lib. cap. 3.* cui ſubſcribunt D Thom. & communiter Philoſophi. Ad cuius definitionis intelligentiam obſeruandum eſt, quod de inceptione motus poſſumus loqui, vel ſecundum ordinem intentionis, aut ſecundum viam executionis. Et in prima acceptione certum eſt, quod motus primò incipit à fine; cùm hic ſit omnium cauſarum prior, & à quo efficiens mouetur, & in agendo dependet, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 5. *art.* 2. *ad* 1. *& art.* 4. Cæterùm via executionis efficiens eſt, quod primò influit, ſiue id, à quo, facta collatione inter alias cauſas, primo, & per ſe incipit motus. Nam materia nequit ſe mouere ad formam; cùm ſit omnis actiuitatis expers; forma etiam nequit ſe ipſam efficere, aut educere; cùm nihil ſit cauſa ſui: finis denique, ſeù compoſitum habet in executione rationem effectus: ergo oportet, quod adueniat efficiens, educens formam de materia, & illas vniens, vt ſic reſultet compoſitum, quod à natura intendebatur per modum finis: ergo in executione motus incipit per ſe primò ab efficiente.

Hinc apparet, quam legitima ſit adducta definitio: quoniam ly *Id* importat rationem principij, & ponitur loco generis, nam in ea conuenit cauſa efficiens cum materiali, & formali, à quibus differt per ſubſequentes particulas, quæ proindè gerunt munus differentiæ: quia ly *incipit* ſumitur in præſenti pro inceptione executiua, vt communiter interpretantur Doctores: & hoc pacto motus primò incipit à ſola cauſa efficiente, vt liquet ex prænotatis.

2 Vndè facilè ſatisfiet nonnullis obiectionibus, quæ aduerſus dictam definitionem poſſunt efformari. Nam primò oppones: cauſa ſecunda principalis eſt verè efficiens: & tamen non eſt id, à quo primò incipit motus: ergo adducta definitio non conuenit omni definito. Probatur minor: quia cauſa ſecunda non operatur, niſi dependenter ab influxu, & motione cauſæ primæ. ¶ Et confirmatur: quoniam inſtrumentum eſt cauſa efficiens, atque in hoc genere collocatur: & tamen ab eo non oritur primò motus, ſed à cauſa principali, cui deſeruit: ergo.

Reſpondetur, quod licèt motus non incipiat primò à cauſa efficiente ſecunda, ſi comparetur ad cauſam primam: benè tamen, ſi fiat comparatio ad alia genera cauſarum non efficientium: & hoc tantùm denotatur in prædicta definitione, vt eam explicando diximus. Præterquam quod cauſa ſecunda principalis eſt principium à quo primò executiuè incipit motus in ordine cauſæ proximæ, & particularis, independenter ab alia cauſa eiuſdem ordinis, cui in agendo ſubordinetur: & hoc ſufficit, vt ab ea abſolutè primò incipiat motus. Dependentia enim ab alia cauſa vniuerſali, ſicut non tollit conceptum cauſæ principalis; ita neque quod motus primò incipiat ab ea. Per quod patet ad confirmationem: nam etiam ab inſtrumento incipit primò executiuè motus: tùm facta comparatione ad alia genera cauſarum: tùm in proprio genere, cauſæ, videlicet efficientis miniſterialis. Verum quidem eſt, inſtrumentum ſolum reductiuè ſpectare ad genus cauſæ efficientis: & ſic nil mirum, quod hæc definitio vndequaque illi non conueniat.

3 Obijcies ſecundò. Cauſa creans eſt potiſſima inter effectiuas: & tamen non eſt principium motus: ergo non eſt de ratione efficientis, quod ab eo incipiat motus. Minor patet: quoniam creatio nequit habere rationem motus; cùm ſit productio entis ex nihilo, ac proindè nullum ſubiectum ſiuè mobile præſupponat. ¶ Reſpondetur, Ariſt. ſolùm definiuiſſe in præſenti cauſam efficientem, quæ ex præſuppoſita materia, & cum motu phyſico operatur, non verò, quę ex nihilo rem producit, qualis eſt cauſa creans. Addimus tamen ex prędicta definitione facilè formari aliam, quę ambiat omnem cauſam efficientem dicendo: *cauſa efficiens eſt, à qua primò incipit productio rei*: quę cauſæ creanti poteſt etiam adaptari,

Digitized by Google

adaptari; vt ex ſe conſtat.

Deniquè obijcies: Natura eſt primum principium motus: & tamen non eſt de conceptu eius, quod ſit cauſa efficiens, vt patet *ex dictis diſp. 7. num.* 21. ergo hęc definitio conuenit alijs à definito. ¶ Reſpondetur, naturam tantùm eſſe per ſe primò principium motus interni, vt conſtat ex illius definitione. Cauſa verò efficiens eſt id, à quo primò abſolutè incipit motus, ſiuè internus ſit, ſiuè externus. Deindè natura ſolùm eſt principium *vt quo* motus: id autem efficiens non expoſcit, nec determinat: poteſt enim eſſe principium, tam *vt quo*, ſi fuerit forma; quam vt *quod*, ſi eſt ſuppoſitum. Vndè conceptus efficientis, & naturę ſatis ex ipſis definitionibus diſtinguuntur.

§. II.

Diuiditur cauſa efficiens multipliciter.

4 DIuidit Philoſophus *in hoc lib. cap.* 3. cauſam efficientem in cauſam per ſe, & cauſam per accidens. Illa eſt, à qua, ſecundum quod talis, procedit effectus, ſicut ſtatuarius eſt cauſa ſtatuæ. Hæc autem eſt, quæ vel per accidens coniungitur cauſæ per ſe, quo pacto muſicus eſt cauſa ſtatuæ; vel quæ caſu producit effectum, vt contingit quando effectui per ſe intento coniungitur per accidens alius, vt ſi effodiens terram ædificandi gratia, inueniat theſaurum.

Rurſus cauſa per ſe diuiditur in principalem, & inſtrumentalem. Principalis eſt, quæ propria virtute producit effectum, vt ſe habet pater reſpectu filij. Inſtrumentalis verò dicitur, quæ in virtute alterius, & vt eleuata attingit effectum. Quæ ſi fuerit coniuncta agenti principali, & in eodem ſuppoſito appellatur inſtrumentum coniunctum, vt manus in homine: ſin minùs, dicitur inſtrumentum ſeparatum, vt calamus. Priori modo ſe habet humanitas Chriſti Domini reſpectu verbi diuini ad ſanctificandos homines; poſteriori verò habent ſe omnia ſacramenta; medijs quibus communicat nobis gratiam.

5 Deinde cauſa principalis diuiditur in primam, & ſecundam: in vniuerſalem, & particularem: in vniuocam, & æquiuocam: in totalem, & partialem: in liberam, & neceſſariam: in ſubordinatam eſſentialiter alteri, & ſubordinatam accidentaliter. Cauſa *prima* eſt, quæ habet pro effectu ipſum *eſſe* abſolutè, vel quæ à nemine dependet in eſſendo, & operando. *Secunda* autem ea dicitur, quæ dependet à prima, & habet pro effectu tale, vel tale ens. ¶ Cauſa *vniuerſalis* eſt, quæ plures, & diuerſos ſpecie producit effectus, vt ſol. *Particularis* autem appellatur, quæ ad vnum ſpecie effectum determinatur, vt Leo. ¶ Cauſa *æquiuoca eſt*, quæ producit effectum ſpecie differentem ab ipſa, vt Deus. *Vniuoca eſt*, quæ attingit effectum eiuſdem ſpeciei cum illa, vt homo.

Cauſa *totalis* eſt illa, quæ non eget influxu, & concurſu alterius eiuſdem generis, & ordinis ad producendum effectum; ſed in illo genere ipſum attingere valet, vt ſe habet leo producens alium leonem: quia licèt dependeat à materia, & forma, & à Deo, attamen in ſuo genere præbet concurſum adæquatum. *Partialis* verò cauſa ea dicitur, quæ prædicto concurſu indiget, vt duo homines coniuncti ad portandum lapidem, quem neuter abſquè alio portare poterat. Horum autem actiones non ſunt in eſſe entis partiales, neque comparantur per modum actus, & potentię: id enim eſt impoſſibile, vt ſupra inſinuauimus *diſp. 3. num.* 18. ſed vnam actionem totalem conſtituunt duntaxat per aggregationem.

Cauſa *libera* eſt, quæ agit ex electione, & cum iudicio indifferenti ad vtrumque; quæquè proindè, poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt operari, vel non operari. Cauſa verò *neceſſaria* eſt, quę ex naturę determinatione agit; & ideò poſitis omnibus requiſitis, non poteſt non operari. ¶ Cauſa *per ſe ſubordinata* eſt, quę indiget actuali influxu eius, cui ſubordinatur: quo pacto creatura in omni actione dependet à Deo. Cauſa autem *per accidens ſubordinata* illa appellatur, quę habuit in ſuo fieri dependentiam ab alia, à qua tamen in ſuis operationibus non dependet; ſed influit abſque actuali eius concurſu: vti ſe habet filius, qui quanuis à patre dependeat, quatenus ab eo recepit ſuum eſſe; non tamen indiget actuali concurſu illius vt operetur: & ideò, patre defuncto, poteſt operari, vt conſtat.

QVÆSTIO II.

Vtrum ſubſtantia creata ſit cauſa efficiens immediatè operatiua.

DVpliciter poteſt intelligi, quod aliquid profluat immediatè à cauſa effectiua: vno modo, vt à principio *quo*, ſeu ratione proxima agendi, vti calefactio oritur à calore; alio modo, ſicut à principio *quod*, ſeù ſuppoſito agente, vti illuminatio procedit à ſole. Vndè quia ſuppoſitum ſolùm inuenitur in genere ſubſtantię; accidentia enim exiſtunt in alio: ideò ſupponimus in pręſenti, ſubſtantiam eſſe principium immediatum agendi, vt *quod*, idquè magis conſtabit ex dicendis tota hac diſp. Quare ſolum vocamus ad examen, vtrum ſubſtantia creata poſſit per ſe ipſam, vt principium *quo* immediatum aliquam actionem elicere; an verò ad omnem operationem efficiendam indigeat potentia accidentali, à ſe realiter diſtincta.

§. I.

Propugnatur Thomiſtica ſententia.

6 DIcendum eſt, implicare contradictionem, quod ſubſtantia creata ſit principium proximum, ſiuè potentia immediatè operatiua: ſic docet Angel. Præceptor pluribus in locis, pręcipuè verò 1. *p. quæſt. 54. art. 1. & 3. par. quæſt. 77. art. 3. & in 4. diſt. 12. qu.* 1. Vndè hanc ſententiam defendunt omnes Thomiſtę, Caiet. Bannez, & Zumel. 1. *p. quæſt.* 54. *art.* 3. Capreolus, & Hiſpalen. *in 4. diſt. 12. quæſt.* 1. Ferrara 4. *contra Gent. cap. 66.* Quibus etiam conſentiunt Toletus *quæſt. 2. huius cap. concl.* 5. Fonſeca 5. *Metaph. cap. 2. quæſt. 6. ſect.* 5. & alij plures.

Rationem fundamentalem huius aſſertionis proponit D. Thom. locis citatis: quę vt radicitùs penetretur, ſimulquè euaſiones aduerſariorum maniſeſtè pręcludantur; duo imprimis ſtatuere, atque munire ſtudebimus, è quibus totum robur noſtrę ſententię dependet. Primum ſit, ſubſtantiam adęquatè ſumere ſpeciem ab eſſe, ſiue exiſtentia. Quod ſatis ex ſe patet: tùm quia ſubſtantia nequit ab aliquo extrinſeco, id eſt, pertinente ad aliud prędicamentum ſpeciem ſortiri: hoc enim eſt proprium accidentium, quę cum eſſentialiter ſint entis entia, debent per ſe primò, ex communi accidentis con-

Digitized by Google

conceptu, ad ſubſtantiam ordinari, & conſequenter ſpecificari per reſpectum ad ipſam; à quibus certum eſt, quod ſubſtantia in modo ſpecificationis, & definitionis differt. Tùm præterea, quia potentia omnium abſolutiſſima, & perfectiſſima, qualis eſt ſubſtantia, ſolùm poteſt ſumere ſpeciem ab actu omnium abſolutiſſimo, & perfectiſſimo, vti exiſtentia eſt. Tùm deniquè, quia vbi eſt proprius actus, & per ſe intentus à natura, debet deſignari ſpecialis potentia, quæ ad illum eſſentialitèr ordinetur, vt ad proprium ſpecificatiuum: ſed actus exiſtendi eſt omnium nobiliſſimus, ob idquè primò, & per ſe intentus à natura; cùm hæc intendat res, non ſolùm, vt operentur; ſed etiam, & maximè vt ſint, quia ſecundum hanc rationem aſſerunt vniuerſo magnam perfectionem: ergo debet ab ipſa natura aliqua ſpecialis potentia inſtitui, quæ prædictam exiſtentiam per ſe primò reſpiciat, ab eaquè conſequenter, mediante hoc reſpectu, ſpeciem adæquatè deſumat: ſed hæc potentia nequit eſſe alia, quam ſubſtantia, vt ex ſe conſtat: ergo ſubſtantia adæquatè ſpecificatur ab eſſe.

Secundum ſit, potentiam immediatè operatiuam ſpecificari adæquatè ab operatione. Ratio eſt: quoniam omne, quod eſt eſſentialiter reſpectiuum, ſpeciem neceſſariò deſumit ab eo, quod per ſe primò reſpicit, vt patet inductiuè in motibus, relationibus, & habitibus: ſed potentia immediatè operatiua reſpicit eſſentialiter, vt terminum adæquatum operationem; cùm nihil aliud ſit, quam quædam tendentia habitualis ad illam: ergo ſpeciem ſortitur ab ea. Deindè ſpecialis actus, & de primaria intentione naturæ expoſcit ſpecialem potentiam, quæ ad ipſum primariò ordinetur, & ſpeciem deſumat: atqui operatio eſt huiuſmodi; cum maximè condecoret vniuerſum: ergo ſpecificat aliquam potentiam, quæ non eſt alia, quam immediatè operatiua. Tandem: Idem eſt ſpecificatiuum, & diſtinctiuum: at potentiæ immediatè operatiuæ diſtinguuntur eſſentialiter per reſpectum ad operationes: & ideò vbi ſunt diſtinctæ operationes adæquatæ, ibi conſtituuntur diuerſæ realiter potentiæ, vt dicemus *in lib. de anima*: ergo potentia immediatè operatiua ſpecificatur adæquatè ab operatione.

7 Ex ijs formatur ratio D. Thom. nam diſtinctio realis potentiarum ſumitur ex diſtinctione reali, & adæquata actuum, quos per ſe primò reſpiciunt: ſed *eſſe*, & *operari* in creaturis ſunt actus adæquati, & realiter diuerſi; nequè poſſunt identificari, niſi in actu puro, qualis eſt Deus: ergo ſubſtantia, quæ eſt potentia reſpiciens per ſe primò *eſſe*, diſtinguitur realiter à potentia immediatè operatiua, quæ ordinatur per ſe primò ad operationem.

Confirmatur & explicatur: quia *eſſe*, & *operari* nequeunt comparari ad ſubſtantiam, vt duo actus primarij inadæquati; neque vt actus primarius, & ſecundarius, ſi ſemel ſubſtantia eſt immediatè operatiua: ergo ſubſtantia nequit attingere immediatè vtrumque: vndè cùm ordinetur immediatè ad *eſſe*; ſequitur quod nequeat elicere immediatè operationem. Antecedens quoad primam partem ſuadetur: nam actus inadæquati, & primarij pertinent ad vnum, & idem genus, vt patet inductiuè in omnibus potentijs: vnde omnes actus potentiæ intellectiuæ ſunt intellectiones, & pertinent ad idem prædicamentum qualitatis: & omnes actus primarij potentiæ receptiuæ v. g. materiæ, ſunt formæ ſubſtantiales pertinentes ad idem genus ſubſtantiæ: Nam vt optimè docet D. Thom. 1. *p. quæſt.* 77. *art.* 1. actus, & potentia debent eſſe eiuſdem generis, ſcilicet, vel ſubſtantiæ, vel accidentis: vnde ſicut repugnat, potentiam eſſe partim ſubſtantiam, & partim accidens, ſic repugnat, quod actus primarius illi adæquatè correſpondens ſpectet ad genus ſubſtantiæ, & ad genus accidentis. Conſtat autem, exiſtentiam ſubſtantiæ, & operationem pertinere ad diuerſa prædicamenta: ergo implicat, quod ſint actus primarij, & inadæquati reſpectu ſubſtantiæ, vel alterius potentiæ.

Secunda verò pars eiuſdem antecedentis facilè oſtenditur: tùm quia potentia immediatè operatiua reſpicit per ſe primò operationem, & ab ea ſpecificatur, vt diximus num. 6. ſed eſt contra rationem actus ſecundarij ſpecificari, aut reſpici per ſe primò: ergo ſubſtantia, ſi eſt immediatè operatiua, non poteſt reſpicere operationem, vt actum ſecundarium. Tùm etiam, quia actus ſecundarius attingitur ſub eadem ratione, ſub qua reſpicitur primarius, vt patet in charitate, quæ reſpicit amorem proximi, vt actum ſecundarium: & ideò terminatur ad illum ſub eadem ratione, ac terminatur ad primarium, qui eſt amor Dei, nempè ſub ratione diuinæ bonitatis: at ſubſtantia, ſi eſt immediatè operatiua, reſpicit eſſe, & operationem ſub diuerſa formali ratione: ſiquidem eſſe reſpicit in genere cauſæ materialis, operationem verò in genere cauſæ efficientis: ergo nequit attingere immediatè eſſe, & operationem, vt actum primarium, & ſecundarium.

§. II.

Occurritur duabus obiectionibus emergentibus.

8 SEd obijcies primò; ſequi ex dictis, quod ſubſtantia non ſit operatiua adhuc radicaliter: quod eſt manifeſtè falſum: ſequela oſtenditur: quoniam, ſi ſubſtantia eſſet radicaliter operatiua, reſpiceret eſſe, vt actum primarium, & operationem, vt ſecundarium: hoc autem dici non poteſt, quia vt eſt radicaliter operatiua, reſpicit ſub diuerſa formaliter ratione *eſſe*, & *operari*; ſiquidem *eſſe* reſpicit in genere cauſæ materialis; *operari* verò in genere cauſæ efficientis: ergo ſicut ob hanc rationem nequit eſſe principium proximum eſſendi, & operandi, aut comparari ad hæc, ſicut ad actum primarium, & ſecundarium: ita neque erit principium radicale vtriuſque.

Et confirmatur: quoniam ſicut potentia proxima debet ſpecificari ab operatione, & ideò nequit reſpicere illam, vt actum ſecundarium: ita etiam principium agendi radicale; ſiquidem illud nullo modo valet intelligi, aut definiri ſine operatione, ac proindè in eſſe radicis operandi debet ſpeciem ab operatione deſumere: ergo ſi ob hanc rationem repugnat, ſubſtantiam eſſe immediatè operatiuam, pariter repugnabit, quod radicaliter operetur.

Reſpondetur ad obiectionem negando ſequelam, quam probatio non euincit: quoniam ſubſtantia reſpicit operationem ſub eadem formaliſſima ratione, ſub qua attingit *eſſe*; imò ipſum eſt formalis ratio reſpiciendi operationem: nam operatio intenditur à ſubſtantia, quatenùs perficit, vel declarat perfectionem ipſius *eſſe*. Quia tamen hæc perfectio nequit acquiri, niſi ſubſtantia per modum radicis influat actiuè in operationem: ideò conſequenter reſpicit eam in genere cauſæ efficientis. Hoc autem de materiali ſe habet, cum *eſſe* ſit formaliſſima ratio attingendi effectiuè operationem. Quemadmodum enim Deus per eundem actum amoris attingit ſe ipſum, vt obiectum primarium, & creaturas, vt obiectum ſecundarium; licèt hic actus communicet effectiuè creaturis bonitatem, quam ipſi Deo nequit impertiri: quia hæc ratio termi-

nandi

Digitized by Google

tandi ſe effectiuè ad creaturas eſt materialis; formaliſſima verò ratio eſt diuina bonitas, quæ nobis innoteſcit per productionem creaturarum. Sic quod ſubſtantia attingat effectiuè operationem per modum radicis, quod munus non exercet reſpectu exiſtentiæ; nullatenùs impedit, operationem eſſe actum ſecundarium: eò quod concurſus ille effectiuus ſe habet de materiali, & formaliſſima ratio attingendi operationem eſt ipſum *eſſe*, quod reſpicitur primariò. Quod non ſic contingeret, ſi ſubſtantia eſſet potentia immediatè operatiua: tunc enim operatio attingeretur per ſe, & ſub diſtincta ratione formali.

Vndè patet ad confirmationem; licèt enim ſubſtantia ſub munere principij radicalis operandi non poſſit intelligi, aut definiri abſquè habitudine ad operationem: hoc non ideò eſt, quia reſpiciat operationem per ſe primò, vel ab illa ſpecificetur, ſed quia ſub munere, & nomine radicis connotat ſpecialiter ſuum actum ſecundarium, videlicèt operationem. Sortitur namquè nomen radicis per habitudinem ad eam, & ratione huius connotationis non poteſt intelligi, aut definiri ſine illa. Cuius rei manifeſtam habemus inſtantiam in exemplo nuper adducto: nam amor diuinus ſub conceptu effectiui nullatenùs valet intelligi, aut definiri abſque creaturis; quas tamen reſpicit, vt terminum ſecundarium, à quo non capit ſpeciem.

9 Secundò obijcies: calefactio v. g. diſtinguitur realiter ab exiſtentia caloris: & tamen calor per eandem potentiam, nempè per ſuam entitatem reſpicit immediatè exiſtentiam, & calefactionem, quod etiam contingit in alijs accidentibus operatiuis: ergo etſi operatio diſtinguatur realiter ab exiſtentia ſubſtantiæ; poterit hæc nihilominùs eſſe principium immediatum vtriuſque.

Reſpondetur negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod calor, & quæcumque virtus immediatè operatiua reſpicit per ſe primò operationem; inexiſtentiam autem ſecundario, & ratione illius. Hæc quippe virtus inſtituta eſt à natura, non vt ſit; ſed vt operetur: nam cùm ſubſtantia non poſſit immediatè operari, petit accidentia immediatè operatiua, quę proindè inſtituuntur à natura, non ratione ſui, vel propter eorum *eſſe*; ſed propter operationem. Eadem autem ſimplex potentia poteſt reſpicere immediatè, id eſt, non mediante alia facultate, plures actus; dummodò iſti ſubordinentur inter ſe per modum actus primarij, & ſecundarij. Quo pacto nequeunt comparari ad ſubſtantiam exiſtentia, & operatio immediatè profluens ab ea: quia tàm exiſtentia, quam operatio reſpicerentur per ſe primò; cum vterque actus ſit de primaria intentione naturę, debeatque proindè ſpecificare potentiam, à qua immediatè reſpicitur. Suppoſita autem diſtinctione ſubſtantię à potentia immediatè operatiua, optimè componitur, quod ſubſtantia reſpiciat primariò *eſſe*, & ſecundariò *operari*; & è contra potentia immediatè operatiua attingat, vt actum primarium operationem, & inexiſtentiam, vt ſecundarium.

Sed replicabis: potentia immediatè operatiua reſpicit per ſe primò exiſtentiam: ſed alias attingit etiam primario operationem: ergo non repugnat, quod hi duo actus reſpiciantur per ſe primò ab eadem potentia, & conſequenter corruit totum fundamentum noſtrę ſententię. Minor, & conſequentia patent, maior autem ſuadetur: tùm quia actus ſecundarius non præcedit ſemper, & per ſe loquendo actum primarium; ſed *eſſe* potentię immediatè operatiuę pręcedit ex natura rei operationem; ſiquidem prius eſt eſſe in actu, quam agere: ergo exiſtentia non comparatur ad dictam potentiam, vt actus ſecundarius; ſed vt primarius. Tum etiam, quia operatio ordinatur ad aliorum vtilitatem; exiſtentia verò per ſe primò eſt ob vtilitatem rei exiſtentis, eique valdè intima: ergo accidens, etſi immediatè operatiuum, non minùs propendit in *eſſe*, quam in operationem: atque ideò reſpicit illud primariò.

Reſpondetur negando maiorem: & ad primam eius probationem dicendum eſt, quod licèt accidentia operatiua priùs habeant in executione inexiſtere, quam operari; non infertur, quod reſpiciant primariò inexiſtentiam. Nam actum eſſe primarium, aut ſecundarium regulandum eſt ex intentione naturę; non ex ijs, quę aliundè neceſſariò in executione accidunt. Conſtat autem, naturam inſtituiſſe accidentia operatiua propter ſubſtantiam, cui in agendo deſeruiunt, & idcircò reſpiciunt primariò operationem, ab eaquè mutuantur ſpeciem; licèt in executione priùs attingant exiſtentiam: quia hęc eſt conditio per ſe neceſſaria ad operandum. ¶ Ad ſecundam dicimus, hęc accidentia inſtituta fuiſſe propter ſubſtantiam: vndè maiori conatu propendunt in operationem, quam in exiſtentiam: quia ſubſtantia indiget illis, non vt ſint: ſed vt operationes eliciant. Qui modus attemperandi ſe ſubſtantię non eſt alienus, aut extraneus ijs accidentibus; ſed valdè proprius, & intimus; cùm ſumatur per reſpectum ad exigentiam ſubſtantię, cuius perfectionem reſpiciunt, vt proprium finem.

§. III.

Diluuntur argumenta opinionis contrariæ.

10 Oppoſitam ſententiam defendunt Scotus *in 1. diſt. 37. quæſt. vnica* Durandus *in 2. diſt. 2. quæſt. 4.* Valles *controuerſ. 3. ad Tirones*, & alij plures. Pro qua arguitur primò: quia quęlibet res eodem modo ſe habet ad *operari*, quo ſe habet ad *eſſe*, eò quod operatio conſequitur exiſtentiam: ſed forma ſubſtantialis eſt principium immediatum eſſendi: ergo, & operandi. ¶ Confirmatur; quia ideò materia eſt principium immediatum recipiendi, quia eſt prima potentia: ſed forma eſt primus actus: ergo eſt principium immediatum agendi. Patet conſequentia: quia ſicut eſt proprium potentię recipere: ita & actus agere: & non minus perfectè concurrit forma ad proprios effectus, quam materia ad ſuos. ¶ Confirmatur ſecundò: quia forma ſubſtantialis eſt perfectior accidentali: ſed hæc eſt principium immediatum producendi aliam ſibi ſimilem: ergo, & illa.

Reſpondetur prænotando, quod forma tripliciter poteſt intelligi, vt principium operandi. Primò immediatè, ſeu proximè tantùm: ſecundò radicaliter præciſè: tertiò radicaliter, & ſimul proximè, ſeu immediatè. Ex quibus primus modus agendi eſt nota magnæ imperfectionis: quia eſt proprius formæ ſpecificabilis ab operatione, ad eamquè ordinatæ per ſe primò: quæ forma neceſſariò eſt accidentalis. Vltimus dicit perfectionem infinitam: quia ſolùm poteſt in ea forma inueniri, in qua identificantur realiter eſſe, & operari: quod eſt proprium ſolius Dei. Secundus autem medio modo ſe habet inter illos: quoniam dicit maiorem perfectionem, quam primus; & non pertingit ad excellentiam vltimi. Vndè debet eſſe proprius ſubſtantiæ creatę: quippè quę gradum medium tenet inter Deum, & formam accidentalem.

Hinc patet ad argumentum: dicimus enim, proportionem inter eſſe, & operari requiſitam ſufficienter ſaluari per hoc, quod forma ſubſtantialis ſit primum

Digitized by Google

principium operandi, ſicut eſt principium primum eſſendi. Non tamen requiritur, quod ſit etiam immediatum; imò hoc eſt impoſſibile propter ea, quæ hactenùs dicta ſunt. ¶ Ad primam confirmationem negatur conſequentia, tùm quia actus, qui recipitur immediatè in materia eſt ſubſtantialis, & eiuſdem ordinis cum illa; operatio verò eſt actus accidentalis, ac proinde ineptus, vt ſpecificet formam ſubſtantialem. Tùm etiam, quoniam materiam recipere immediatè formam non arguit in ea perfectionem infinitam; ſed potiùs maximam illius potentialitatem, & imperfectionem: ſi autem forma eſſet ſimul principium radicale, & proximum operationis; neceſſariò foret perfectionis infinitę: quia in ea identificarentur realiter eſſe, & operari. ¶ Per quod patet ad ſecundam: nam forma accidentalis ſolùm concurrit ad productionem alterius per modum principij proximi; non autem, vt radicale: forma verò ſubſtantialis, ſi eſſet immediatè operatiua, vtrumque munus haberet.

11 Sed obijcies cum Valentia 1. *par. diſp.* 4. *quæſt.* 5. *punctu.* 3. quod coniunctum ex principio radicali, & virtute proxima operandi inter ſe diſtinctis, non arguit perfectionem infinitam: ergo poterit vtraque ratio in eadem ſubſtantia creata adunari, quin ad infinitam perfectionem attingat. Solùm enim argueretur eſſe formaliter ſubſtantiam, & habere eminentèr perfectionem cuiuſdam accidentis, nimirùm potentiæ operatiuæ.

Reſpondetur cum Caietano, 1. *par. quæſt.* 54. *art.* 1. negando conſequentiam. Illa namquè, quæ ſunt propria ſubſtantiæ, & accidentis, qualia ſunt principium radicale, & virtus proxima, nequeunt adunari, niſi in actu puro: cùm enim importent rationes, & conditiones priuatiuè oppoſitas, ſolus actus infinitus poteſt eſſe cauſa identitatis illarum. Quod explicari valet exemplo: nam complexum ex exiſtentia, & operatione realiter diſtinctis non dicit perfectionem infinitam: & nihilominùs ſolùm in entitate infinita poſſunt identificari exiſtentia, & operatio. Vndè etiam impoſſibile eſt, quod in creatis potentia per ſe primò reſpiciens eſſe, qualis eſt ſubſtantia, attingat immediatè operationem: nam eſſe, & operari realiter diuerſa, refundunt ſimilem diſtinctionem in potentias, à quibus immediatè attinguntur.

12 Secundò arguitur: quia vna ſubſtantia producit aliam, vt ignis ignem: ſed non producit illam mediante præcisè actione accidentium: ergo per actionem immediatè ab ipſa ſubſtantia fluentem. Suadetur minor: quia accidentia ſunt eſſentialitèr imperfectiora, quam ſubſtantia: ergo, vel ſolùm concurrunt diſpoſitiuè ad eam producendam; vel ſi concurrunt effectiuè non concurrunt ſufficienti modo; ſed indigent actuali concurſu ſubſtantiæ.

Reſpondetur: quod licèt accidentia nequeant principaliter, ſeu virtute propria producere ſubſtantiam propter rationem in argumento tactam; poſſunt tamen illam attingere in virtute ſubſtantiæ, cui, vt inſtrumenta, deſeruiunt, & ſubordinantur: ad hunc enim influxum, & productionis modum non requiritur, quod ſint æqualis perfectionis cum ſubſtantia producenda. Cæterum vt hæc radicitùs percipiantur; opus eſt altiùs ea examinare, & vtrinquè diſcutere: quod præſtandum à nobis eſt duabus quæſt. ſequentibus.

QVÆSTIO III.

Quomodò accidens concurrat ad productionem ſubſtantiæ.

SVpponimus, accidentia concurrere aliqualiter ad productionem ſubſtantiæ: quod experientia ipſa conuincit, cùm nunquam videamus generari ſubſtantiam abſque interuentu accidentium: vndè ſolùm eſt difficultas de qualitate concurſus. Porrò tripliciter intelligere poſſumus, quod accidentia attingant ſubſtantiæ productionem: primò effectiuè principaliter: ſecundò effectiuè inſtrumentaliter: tertiò diſpoſitiuè tantùm. Quare videndum eſt, quonam ex his modis accidentia ſe habeant in productione ſubſtantiæ.

§. I.

Enodatur difficultas duabus concluſionibus.

13 DIcendum eſt primò, accidentia concurrere non ſolùm diſpoſitiuè; ſed etiam effectiuè ad productionem ſubſtantiæ. Hæc concluſio eſt ſatis communis, non ſolùm inter Thomiſtas, ſed etiam inter alios Philoſophos. Probatur breuiter: quia ſubſtantia producit aliam ex vi alicuius principij proximè effectiui, ſeu virtutis immediatè operatiuæ: ſed hoc principium, aut virtus proxima nequit eſſe ſubſtantia, vt conſtat ex dictis *quæſt. præced.* ergo eſt accidens, igitur accidentia concurrunt ad productionem ſubſtantiæ, non ſolùm diſpoſitiuè; ſed etiam effectiuè.

Confirmatur: quia frequenter forma ſubſtantialis imperfectior expellit formam ſubſtantialem perfectiorem, & illam corrumpit, vt ſi viuens comburatur: ergo accidentia concurrunt actiuè ad introductionem vnius, & expulſionem alterius. Probatur conſequentia: quia ſi forma ſubſtantialis imperfectior ageret per ſe ipſam, & ſimiliter forma perfectior per ſe ipſam, reſiſteret, nunquam imperfectior deuinceret perfectiorem; nam exceſſus ille, cum ſit eſſentialis, ſuperari non valeret; ergo pugna hæc, vt ſic dicamus, vel congreſſus non fit immediatè inter ipſas ſubſtantias, ſed inter accidentia; poteſt enim contingere, quod accidentia formæ minùs perfectæ excedant in actiuitate accidentia formæ perfectioris, vt patet in exemplo adducto; ergo accidentia effectiuè concurrunt ad inductionem formæ, & productionem ſubſtantiæ.

14 Dicendum eſt ſecundò, accidentia non attingere effectiuè principaliter productionem ſubſtantiæ, ſed ſolùm inſtrumentaliter: virtutem autem principaliter influentem eſſe formam ſubſtantialem. Hæc eſt Ariſtot. *in hoc lib. cap.* 7. & 1. *de generatione textu* 54. & 55. D. Thom. 1. *p. q.* 77. *art.* 1. *ad.* 4. & communis inter Theologos, & Philoſophos.

Probatur ratione: quia actiones ſunt propriæ ſuppoſitorum, ſeu ſubſiſtentium: ſed ſola forma ſubſtantialis eſt, quæ conſtituit ſuppoſitum: ergo ipſa eſt primum, & præcipuum principium operationum eius. Minor ex ſe liquet. Maior eſt autem Ariſtot. 1. *de Anima cap.* 4. & D. Thom. 1. *p. quæſt.* 75. *art.* 2. & facilè oſtenditur: quia operari conſequitur ad eſſe: ſed eſſe eſt proprium ſuppoſiti; cùm illud habeat eſſe per ſe: ergo actiones ſunt propriæ ſuppoſitorum. Conſequentia verò probatur: quoniam ſuppoſitum operatur, ſecundum quod eſt in actu: ſed primus, & potiſſimus actus ſuppoſiti eſt

forma

forma ſubſtantialis, quæ illud conſtituit, & ei largitur ſpeciem; ergo hæc eſt primum, & principale principium operandi, maximè in productione alterius ſubſtantiæ; cùm hoc tamen diſcrimine à ſuppoſito, quod iſtud influit, vt principium *quod*; forma verò, vt principium *quo*.

Confirmatur, & explicatur: nam ſicut vnumquodque recipit, ſecundùm quod eſt in potentia, ita agit, ſecundùm quod eſt in actu: ſed materia, quia eſt prima potentia, eſt prima, & potiſſima ratio recipiendi: ergo forma ſubſtantialis, quia eſt primus actus, debet eſſe primum, & præcipuum principium agendi; nulliquè accidenti hæc ratio poterit conuenire. ¶ Accedit, quod ſi forma ſubstantialis non eſſet primum, & principale principium operandi; fruſtra eſſet in compoſito in ordine ad *operari*, & ſolùm ordinarētur ad eſſe, cùm alias nequeat eſſe virtus proximè operatiua; hoc autem eſt manifeſtè contra Philoſoph. 2. de anima; vbi definiens animam, quæ eſt quædam forma ſubſtantialis, ait animam eſſe, qua non ſolùm *ſumus, & viuimus*; ſed etiam *qua primò ſentimus, loco mouemur, & intelligimus*; ergo.

15 Secundum, & ſatis vrgens fundamentum noſtræ aſſertionis eſt: quoniam cauſa efficiens principalis debet ad minùs eſſe eiuſdem perfectionis cum effectu producendo: ſiquidem non eget eleuatione ad illum attingendum: ſed nullum accidens eſt eiuſdem perfectionis cum ſubſtantia: ergo non poteſt habere rationem cauſæ principalis in productione illius; ſed ſolùm inſtrumentalis: ac proindè ſola forma ſubſtantialis erit virtus principalis: ſiquidem non ſupereſt alia entitas, cui hoc poſſit attribui.

Reſpondebis primò, quod licèt accidens in eſſe entis ſit minus perfectum, quàm ſubſtantia; poteſt tamen illam adæquare in eſſe productiui, & producibilis: quod ſufficit, vt illam attingat per modum cauſæ principalis, & virtute propria.

Sed hæc ſolutio facilè impugnatur: nam virtus actiua fundatur, in entitate actuali, & ad illam conſequitur: ergo ad ea duntaxat principaliter attingenda ſe poteſt extendere virtus cauſæ, quæ continentur in eius entitate formaliter, vel eminenter: nulla quippè aſſignabilis eſt regula metiendi, & determinandi ſphæram virtutis actiuæ alicuius cauſæ, niſi præcontinentia formalis, aut eminentialis effectuum in actuali entitate illius: ſed accidens non præcontinet in eſſe entis, ſiue in propria entitate ſubſtantiam eminenter, vel formaliter: ergo impoſſibile eſt quod illam adæquet in eſſe principij productiui. ¶ Accedit, quod ſi hæc ſolutio aliquam apparentiam haberet, nulla ratione poſſet conuinci falſitatis, qui aſſereret totum hunc mundum productum fuiſſe à formica, ſicut à cauſa principali: diceret enim illam eſſe minus perfectam in eſſe entis; eiuſdem tamen perfectionis in eſſe productiui, & producibilis. Deindè ex productione vniuerſi nullatenùs nobis innoteſceret ſumma Dei perfectio, tàm in eſſe cauſæ, quàm in eſſe entis: quod eſt manifeſtè abſurdum, & contra D. Paulum ad Romanos 1. vbi aſſerit ex creaturis deprehendi non ſolùm *virtutem* Dei; ſed etiam *Diuinitatem*, quæ eſt perfectio eius in eſſe entis.

16 Reſpondebis ſecundò, quod licèt effectus, qui fit per ſe primò, debeat præcontineri in ſua cauſa; ſecùs autem ille, qui fit per reſultantiam ex alio: iſte enim non addit difficultatem ſupra illum, à quo dimanat per naturalem ſequelam: vndè ſat erit præcontinere primum, vt producatur per reſultantiam ſecundus. Porrò forma ſubſtantialis v. g. ignis hoc poſteriori modò cauſatur, ſiquidem poſita vltima diſpoſitione antecedenti v. g. calore vt ſeptem, naturali neceſſitate reſultat. Quare cùm calor, vt octo poſſit directè, vt cauſa principalis producere calorem, vt ſeptem, qui eſt vltima diſpoſitio ad formam ignis, conſequens eſt, vt poſſit principaliter, quamuis indirectè, attingere formam ſubſtantialem; licèt in eius entitate non contineatur.

Sed contra: quia forma ſubſtantialis, licèt in executione ſit terminus ſecundarius, & producatur per reſultantiam ex alio; attamen in ordine intentionis eſt terminus primarius; quia finis generationis eſt forma geniti: ſed actiuitas formæ attingentis plures effectus commēſuranda eſt cum eo, qui primò intenditur, & habet rationem finis: ergo cauſa, quæ non præcontinet terminum primarium intentionis, nequit attingere principaliter terminum primarium executionis ſub ratione illatiui, & diſpoſitionis: ergo accidens, cùm non præcontineat formam ſubſtantialem, non poterit attingere principaliter vltimam diſpoſitionem ad eam, neque hanc ex conſequenti, & per reſultantiam producere.

Explicatur, & confirmatur: nam ea, quæ ſunt ad finem, regulantur ex ipſo fine: ſed calor v. g. vt ſeptem ſub ratione diſpoſitionis ordinatur ad formam ſubſtantialem, ſicut medium ad finem: ergo virtus impotens ad producendam formam ſubſtantialem, non poterit attingere illum calorem in eſſe diſpoſitionis, & medij: atqui virtus accidentis non præcontinet formam ſubſtantialem, neque illam poteſt, vt cauſa principalis, producere: ergo improportionata eſt ad cauſandum calorem in eſſe diſpoſitionis ad illam.

§. II.

Reſpondetur argumentis contra primam concluſionem.

17 Scotus, & alij Doctores relati *quæſt. præced. num.* 10. denegant accidentibus omnem efficientiam reſpectu ſubſtantiæ; admittentes duntaxat in illis virtutem ad producendas diſpoſitiones, medijs quibus, introducitur forma ſubſtantialis. Quorum præcipuum fundamentum eſt: quia id, quod eſt de ſe impotens ad producendum aliquem effectum, non poteſt illum attingere, niſi aliqua virtus ei ſuperaddatur; aliàs maneb͡it impotens ſicut antea: ſed accidens nequit ex ſe, ſeu virtute propria producere formam ſubſtantialem, vt conſtat ex nuper dictis; & aliàs non eſt communicabilis illi aliqua virtus, per quam valeat illam efficere; ergo accidens non concurrit ad productionem ſubſtantiæ effectiuè, ſed ſolùm, diſpoſitiuè. Probatur minor: nam ſi illa virtus eſt ſubſtantialis, non poterit recipi in accidenti; ſi autem fuerit accidentalis, inepta prorſus, & improportionata erit, vt per eam accidens eleuetur ad attingendam ſubſtantiam. Ideò namquè accidens ex ſe non poteſt efficere ſubſtantiam, quia eſt inferius illa: ſed virtus accidentalis etiam eſt inferior, vt ex ſe conſtat: ergo inepta eſt, vt ex per eam eleuetur accidens ad productionem ſubſtantiæ.

Confirmatur: quoniam inter cauſam, & effectum debet dari proportio, ita vt ad eundem ordinem pertineant: & ideò vt ſacramenta producant formam ſupernaturalem, nempè gratiam, debent eleuari per aliquid, quod ſit eiuſdem ordinis ſupernaturalis; ſed accidens, & ſubſtantia ſunt diuerſi ordinis, & nulla virtus poteſt addi accidenti, quæ ſit eiuſdem ordinis cum ſubſtantia, vt conſtat ex argumento proximè facto; ſiquidem impoſſibile eſt virtutem ſubſtantialem recipi in accidenti: ergo impoſſibile eſt, quod accidens attingat effectiuè ſubſtantiam; ſed ſolùm concurret ad eam diſpoſitiuè.

Ad argumentum reſpondetur negando minorem: ad cuius probationem dicendum eſt, quod licèt cauſa principa-

Digitized by Google

cipalis debeat eſſe eiuſdem, vel maioris perfectionis, quam effectus producendus; id tamen non expoſcit cauſa inſtrumentalis: ſiquidem iſta, non tàm debet dici cauſa, quàm organum cauſæ principalis, cum qua vnum adæquatum principium agendi conſtituit. Quare ſatis eſt, quod ſubordinetur eidem cauſæ principali, vt poſſit in nomine, & virtute eius effectum ſe excedentem attingere: vt patet in ſemine animalis, quod inferius, & imperfectius eſt effectu, ad cuius productionem aſſumitur, & tamen illum attingit. Requiritur tamen aliqua virtus, per quam inſtrumentum de ſe impotens eleuetur; aliàs perſeuerabit cum eadem impotentia, vt argumentum benè probat, & nos latiùs expendemus infra *diſp. 12. q. prima.*

18 Porrò virtus, per quam accidentia eleuantur ad producendum ſubstantiam, non eſt entitatiuè ſubstantialis; ſed accidentalis; continet tamen in virtute, & munere ſubstantiam, à qua procedit; quia nihil aliud eſt, quam participatio quædam efficacitatis, & actiuitatis illius. Vndè habet eſſe ſupremam virtutem inter formas accidentales; quas proinde eleuare poteſt, vt producant inſtrumentaliter ſubſtantiam. Neque ipſa, licèt ſit entitatiuè accidentalis, indiget alia virtute ſuperaddita, per quam eleuetur; aliàs procederemus in infinitum; eſt enim ipſa actualis eleuatio, & ratio formalis proportionandi alia: atque ideò non eget vlteriori eleuatione, ſicut licèt præmotio Dei ſit aliquid creatum, quia tamen eſt ipſa applicatio virtutis actiuæ, vt operetur, nequit ad hoc alia applicatione indigere.

Huiuſmodi autem virtus, per quam calor v. g. ignis eleuatur ad productionem alterius ignis; eſt quædam formalitas, quam ab inſtanti ſuæ productionis accepit; & ratione illius manet habitualiter, ſeu permanenter eleuatus ad productionem ſubſtantiæ. Quare calorem eſſe virtutem ignis, addit aliquid virtualiter diſtinctum ab eius entitate, ratione cuius habet maiorem vigorem, quam ſecundum ſe acceptus haberet. Si enim ſecundum ſua prædicata eſſentialia conſideretur non eſt determinatus, vel potens ad producendam ſubſtantiam; ſed per coniunctionem ad illam redditur in ſe ipſo virtuoſior, & vigoroſior. Vndè videmus, quod idem ſpecie calor per coniunctionem ad diuerſas formas ſubſtantiales producit diſtinctos effectus; nam coniunctus fæminæ producit lac, cuius productionem non attingit in viro, quamuis vtrobique ſit eiuſdem ſpeciei. Fluit ergo à ſubstantia aliqua virtuoſitas, ſeu vigor, cuius vi manet calor, & idem intellige de alijs virtutibus instrumentarijs eleuatus habitualiter à principio, vt poſſit in virtute ſubstantiæ operari, atque illius effectus inſtrumentaliter attingere. Nequè hinc ſequitur, ſubstantiam ſic eleuantem calorem eſſe immediatè operatiuam; quia calor vna cum hac eleuatione fluit à ſubstantia, non per actionem mediam, ſed ſequela naturali, vt dicemus *infra quæſt. 5.*

Per quæ ſatis constat ad confirmationem: quoniam cum hæc formalitas eleuans accidentia contineat virtualiter efficaciam ſubstantiæ, à qua fluit, & ordinetur ad productionem ſubstantiæ; maximè accedit ad proprium ordinem, & perfectionem illius. Vndè licèt in eſſe entis ſit accidens, & ſpectat ad diuerſum ordinem, ac ſubstantia; in munere tamen ſubstantia eſt; ſiquidem eius vices gerit, & proptereà debet ad illius ordinem reduci. Maximè, cùm hęc virtus ſit ſuprema formæ, quoad vires agendi inter accidentales; constat autem ſupremum infimi attingere infimum ſupremi; vndè eleuatio hęc pertingere debet, vtcunque ad ordinem ſubſtantiæ, & ad eius productionem defectiuo modo, hoc eſt, inſtrumentaliter concurrere. Videatur Nuño *3. p. q. 77. art. 3.*

§. II.

Diſſoluuntur argumenta aduerſus ſecundam aſſertionem.

19 Pereyra 8. *Phyſic. cap. 11. & 12. & 13.* docet, formam ſubſtantialem nullo modo efficere alteram ſubſtantialem, ſed ſola accidentia ad id effectiuè concurrere, eaquè proinde eſſe cauſam principalem in tali productione. Probatur primò hæc opinio ex Ariſt. *lib. de ſenſu, & ſenſibili cap. de ſapore*, vbi ait: ignem non agere, vt ignem, ſed vt calidum: ergo ſentit ſolùm calorem, per quem ignis conſtituitur in eſſe calidi, eſſe principalem, & adæquatam rationem agendi. ¶ Sed hoc teſtimonium parum vrget; nam Ariſtot. ſolum intendit ignem ſumptum ſecundum ſe, & vt deſtitutum calore non agere; ſed indigere calore, vt virtute proxima, & inſtrumentaria ad generandum alium ignem: quod minimè aduerſatur noſtræ ſententiæ.

20 Arguitur ſecundò: quia frequenter ſubſtantia generatur non ab alia ſubſtantia; ſed à ſolis accidentibus: ergo hæc ſunt cauſa principalis illius. Antecedens oſtenditur, tùm in calore ferri candentis, à quo producitur ignis in ſtupa: tum in accidentibus Euchariſtiæ; poſſunt enim accidentia vini conuertere in vinum guttam aquæ. Nequè enim illi effectus poſſunt attribui alicui ſubſtantiæ; nam illa, in quam poſſent aliàs refundi, vel non exiſtit, vel abeſt.

Reſpondetur negando antecedens: & ad primam inſtantiam dicimus, calorem ferri candentis agere inſtrumentaliter in virtute agentis principalis, videlicet ignis, à quo eſt productus: non ſecus, ac ſi ibi adeſſet, vel eſſet ei vnitus: quia perſiſtit ignis virtualiter in ipſo calore: eo proportionali modo, quo in ſemine ab animali deciſo perſeuerat eius virtus actiua, licèt animal mortuum ſit. Reſponderi etiam poſſet, in ferro candenti eſſe aliquas partes poroſas verè, & ſubſtantialiter ignitas, à quibus ſtupa comburitur: quod ſatis indicant cineres, qui poſteà apparent in ferro frigiditati reſtituto: nam hi nunquam generantur, niſi ad deſitionem formæ ignis. ¶ Ad ſecundam inſtantiam ſatis conſtat ex nuper dictis: nam accidentia vini ſunt virtutes eius in ordine ad conuertendam aquam in vinum: quare vinum conuerſum in ſanguinem Chriſti eſt, quod per modum cauſæ principalis efficit illam conuerſionem medijs ſuis virtutibus inſtrumentarijs, nempè accidentibus, quæ perſeuerant ibi.

21 Tertiò arguitur, quia calor, vt virtus ignis producit ignem: ſed ex ſua natura, & proprijs metris, ſeu prædicatis eſt virtus ignis: ergo virtute propria, adeòquè vt cauſa principalis producit illum. ¶ Et confirmatur: nam virtus, quæ attingit principaliter vltimam diſpoſitionem ad aliquam formam, attingit eodem modo ipſam formam: ſed calor, vt ſeptem producit, vt cauſa principalis calorem, vt ſeptem, quæ eſt vltima diſpoſitio ad ignem; ergo calor producit principaliter ignem. Probatur minor: nam calor, vt duo producit principaliter alium calorem, vt duo; ergo calor, vt ſeptem producit principaliter calorem, vt ſeptem: id quippe expoſcit æqualitas proportionis.

Reſpondetur ad argumentum ex ſupra *num.* 18. calorem, qui eſt in igne, ſecundum ſuam ſpeciem acceptum, non importare, quod ſit virtus ignis: accidit enim ei, quod ad ignem coniungatur. Vndè cùm per hanc coniunctionem eleuetur, & reddatur virtuoſior ad producendam ſubſtantiam; fit huiuſmodi productionem non eſſe attribuendam calori, vt agenti præcipuo, ſed igni,

in

Digitized by Google

in cuius nomine, & virtute operatur. ¶ Eſto tamen, quod calor eſſet eſſentialiter virtus ignis, ſolùm inde ſequeretur, eſſe eſſentialiter inſtrumentum ignis, eſſentialiterquè in eius virtute operari: per quod tamen minimè habetur eſſe cauſam principalem, vel operari *virtute* propria, ſecundum quod ly *propria* excludit modum operandi in virtute alterius, vt ex ſe liquet. Et poteſt hoc declarari in quacumque virtute eleuatiua inſtrumenti: hæc enim eſſentialiter eſt virtus agentis principalis; & nihilominùs ſolùm inſtrumentaliter attingit effectum illius.

Ad confirmationem dicendum eſt, calorem vt ſeptem eſſe vltimam diſpoſitionem ad formam ignis: & idcircò ſub hac ratione pertinere in eſſe producibili ad genus ſubſtantiæ, atquè ingredi ordinem illius. Vndè tantus calor ab ea duntaxat cauſa poteſt principaliter produci, quæ valet hoc modo producere formam ignis: quod nulli accidenti poteſt competere, vt ſupra diximus *num.* 16. Hæc autem ratio non habet locum in calore minus intenſo, qualis eſt calor vt duo: ob idquè nequit ab eo deſumi argumentum ad calorem vt ſeptem: eſt enim quantum ad hoc manifeſtum diſcrimen, & diſparitatis ratio.

QVÆSTIO IV.

Vtrum, vt accidens producat ſubſtantiam, indigeat ſpeciali influxu ſubſtantiæ, cuius eſt virtus.

22 LIcèt frequenter cauſa principalis ſit talis naturæ, vt nequeat abſque inſtrumentis producere effectum; exhibet nihilominus multoties ſpecialem actionem, qua corroborat, vel dirigit inſtrumenta, quæ ſine hoc concurſu non valerent effectus productionem attingere. Quod apparet in pictore: hic enim non poteſt abſquè penicillo imaginem depingere, & tamen, præter illius actionem, elicit pictor aliam, qua penicillum fulcit, & eleuat ad attingendum effectum artificioſum. Vndè licèt ex dictis in quæſtionibus præcedentibus ſatis conſtet, quod ſubſtantia vtitur accidentibus, vt inſtrumentis ad producendum ſubſtantiam; adhuc tamen examinandum reſtat, an prædicta accidentia indigeant ſpeciali concurſu ſubſtantiæ, quo illorum actio confortetur. Quare in præſenti inquirimus: an detur ſpecialis quædam operatio entitatiuè accidentalis, quæ ab entitate ſubſtantiæ immediatè oriatur, ſimulquè cum actione accidentium terminetur ad alteram ſubſtantiam producendam: qui ſubſtantiæ influxus, quia comitatur accidentium operationem, dicatur illam fulcire, & confortare. Siuè, quod idem re ipſa eſt, inquirimus, vtrum ſubſtantia, licèt non ſit immediatè operatiua ſolitariè, id eſt, excludendo conſortium accidentium; ſit tamen (vt loquuntur quidam Iuniores) proximè operatiua ſocialiter, & cooperatiuè. Cuius difficultatis reſolutio non obſcurè apparet ex hactenùs dictis: eam tamen ſingillarim diſcutere placuit, vt aliquibus argumentis ſolutione dignis, cum maiori perſpicuitate occurramus.

§. I.

Suadetur veritas Thomiſtica.

23 DIcendum eſt, ſubſtantiam non elicere aliquam actionem, quæ ab eius entitate immediatè exeat, & per quam confortetur influxus accidentium in productione formæ ſubſtantialis. Hæc concluſio eſt communis inter omnes Thomiſtas, quos retulimus *qu.* 2. *num.* 6. Et probatur primò ex iis, quæ ibidem ſtatuimus: quoniam ſi daretur influxus iſte confortatiuus, eſſet quædam actio immediatè profluens à ſubſtantia, vt explicant, & adſtruunt Aduerſarii: ſed ab entitate ſubſtantiæ creatæ nulla actio poteſt immediatè prouenire; cùm hæc per nullam virtutem valeat eſſe potentia immediatè operatiua: ergo prædictus influxus eſt impoſſibilis, ac proindè ſuperfluus ad hoc, vt accidentia attingant inſtrumentaliter ſubſtantiæ productionem.

Secundò probatur: quia vt accidens poſſit inſtrumentaliter producere ſubſtantiam non requiritur, quod ſit eiuſdem perfectionis cum illa; ſed ſufficit, quod ſubordinetur ſubſtantiæ, & in virtute eius operetur; ſed ad hoc non requiritur ſpecialis influxus confortatiuus elicitus à ſubſtantia: ergo non datur. Maior conſtat: nam inſtrumentum eleuatur ad producendum effectum altiorem ſe, ac proindè non requiritur, quod ſit eiuſdem perfectionis cum effectu: ergo ſufficit, quod inſtrumentum ſubordinetur cauſæ principali: quia id, quod operatur in virtute alterius, poteſt inſtrumentaliter, ſiuè inferiori modo, quidquid poteſt principaliter illa cauſa, cui in agendo ſubordinatur: ad hoc enim tribuitur eleuatio, vt ex ſe liquet, & conſtat inductiuè in omnibus inſtrumentis. Minor autem ſuadetur: quoniam accidentia inhærentia ſubſtantiæ habent per dimanationem ab ea, quod ſint virtutes eius inſtrumentariæ, & ob hanc intimam coniunctionem efficaciam ſubſtantiæ conſequuntur: ſed, quod eſt virtus alterius, ſubordinatur ei in attingendo proprios effectus illius: ergo vt accidentia ſubordinentur ſubſtantiæ in attingendo effectum ſubſtantialem, non requiritur nouus, aut ſpecialis influxus confortatiuus.

Confirmatur, & explicatur: quoniam accidentia oriuntur à ſubſtantia naturaliter, atque ideò ſecundum illum vigorem, & gradum confortationis, qui poteſt illis communicari: ſed omnis vigor, quem in opinione contraria, participant accidentia ex nouo illo influxu confortatiuo ſubſtantiæ, potuit eis communicari à principio per dimanationem ab illa: ergo ſuperfluus eſt nouus influxus, vt accidentia habeant de facto vigorem ſufficientem ad producendam ſubſtantiam. Suadetur minor: quia prædictus vigor eſt entitatiuè accidentalis, nihilquè habet, per quod excedat ordinem virtutis inſtrumentariæ: ergo potuit, & debuit communicari accidentibus in prima ſua productione; ſiquidem dimanant à ſubſtantia, vt ſint virtutes inſtrumentariæ, & facultates proximæ illius. Maximè, cùm influxus iſte confortatiuus non terminetur ad accidens producendo aliquid intrinſecum illi; ſed tendat imediatè ad ſubſtantiam, quæ producitur: ergo accidens, poſito hoc influxu, manet intrinſecè ſicut antea, ac proindè ſolùm influit per vigorem communicatum illi à principio.

25 Tertium, & principale fundamentum noſtræ ſententiæ eſt; quia frequenter contingit generari connaturaliter ſubſtantiam ſine influxu confortatiuo accidentium: ergo prædictus influxus nullibi eſt neceſſarius. Antecedens conſtat: quoniam in generatione viuentium generans, à quo eſt deciſum ſemen, vel iam non exiſtit in inſtanti generationis, vel perindè ſe habet, ac ſi non exiſteret, quia eſt diſtans, & abſens à ſubſtantia genita, & conſequenter nequit illam immediatè producere: & huiuſmodi generatio connaturaliter ſic contingit: ergo &c.

Reſpondebis, Deum ſupplere ſpecialiter in hoc caſu concurſum illum confortatiuum, qui ex natura rei exigitur ad omnem generationem ſubſtantialem. ¶ Sed contra: quia ex hac euaſione ſequitur primò, nullum

viuens

Digitized by Google

viuens eſſe cauſam principalem alterius viuentis, ſiquidem non eleuat, vel confortat inſtrumenta modo ſufficienti ad attingendum genitum. Sequitur ſecundò, generationem viuentium non eſſe vniuocam, deſtruique conſequenter relationes paternitatis; & filiationis; cùm principium principaliter, & ſpecialiter generans; quod eſſet Deus, diſtinguatur à genito in natura: ſed hæc ſunt manifeſtè abſurda: ergo Deus non ſupplet aliquem influxum requiſitum ad generationem viuentium. Probatur minor: nam viuentia perfectiùs generant, quam non viuentia: eò quod ſicut perfectiora ſunt in eſſentia, ita & in virtute operandi: ſed non viuentia exhibent concurſum requiſitum ad generationem ſubſtantiæ, quam producunt, abſque recurſu ad ſpecialem influxum Dei; & ideò ſunt cauſæ principales ſuorum effectuum: ergo id à fortiori debet viuentibus conuenire.

Aperitur, & vrgetur vis huius impugnationis: quoniam cauſa principalis eſt illa, quæ per ſe, & connaturaliter loquendo, exhibet omnem concurſum in ſuo ordine requiſitum, neque eget ſpeciali influxu Dei proprium defectum ſuplentis: ſi enim ex ſe, & intra proprium ordinem deficit, iam non eſt cauſa principalis; ſed à principalitate declinat: at viuentia iuxta ſuum connaturalem modum operandi nequeunt elicere illum influxum confortatiuum, qui ab ipſis immediatè fluat, & ad genitum terminetur; ergo, vel non poſſunt concurrere principaliter ad ſuas generationes, quod eſt apertè falſum; vel prædictus influxus confortatiuus ſuperfluit, quod intendimus.

§ II.

Opinio Suarij cum ſuis fundamentis.

16 OPpoſitam ſententiam tenet Suarez *diſp. 18. Metaph. ſect.* 2. cui ſubſcribunt plures Moderni. Probatur primò ex Ariſtot. 2. *de Generat. text.* 44. & 45. vbi reprehendit illos, qui concedebant accidentibus propriam efficaciam, & actionem, illamque denegabant formæ ſubſtantiali. *Quare* (inquit) *& iſti ob id, & quia potiorem omittunt cauſam, haud rectè dicunt: quidditatem enim, formamque exterminant. Præterea potentias, atque vires corporibus tribuunt, per quas admodum inſtrumentaliter generant, eam quà à ſpecie ſumitur, cauſam auferentes.* ¶ Confirmatur ex D. Thom. 3. *p. q.* 77. *art.* 3. *ad* 2. vbi ait: *Ita actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ ſubſtantialis, ſicut eſſe accidentis dependet ab eſſe ſubſtantiæ: & ita ſicut diuina virtute datur ſpeciebus ſacramentalibus, vt poſſint eſſe ſine ſubſtantia, ita datur eis, quod poſſint agere ſine forma ſubſtantiali; virtute Dei, à quo ſicut à primo agente dependet omnis actio formæ, & ſubſtantialis, & accidentalis.* Ergo ex mente D. Thom. ſicut eſſe accidentis diſtinguitur, & dependet ab eſſe ſubſtantiæ, ita actio accidentis diſtinguitur, & dependet ab actione aliqua propria formæ ſubſtantialis, & ab ea elicita immediatè; aliàs quantum ad operari nihil eſſet, quod Deus ſuppleret in myſterio Euchariſtiæ; cùm accidentia, & illorum actio ibidem perſeuerent.

Reſpondetur, quod Philoſophus ſolùm reprehendit illos, qui denegabant omnem concurſum effectiuum formæ ſubſtantiali, illum concedentes ſolis accidentibus, vel materiæ primæ informatæ primis qualitatibus. Nobis autem minimè opponitur: aſſerimus quippe accidentia; ita eſſe principium adæquatum agendi proximè, vt tamen forma ſubſtantialis ſit potiſſima ratio agendi, & principale principium generationis ſubſtantialis. Vndè influxus ſubſtantiæ non confunditur cum influxu proprio accidentium, nam licèt non dentur diuerſæ actiones, ſed vna, & eadem operatio ſit à ſubſtantia, & accidenti; reſpicit tamen ſubſtantiam, vt principium principale, & radicale accidens autem, vt virtutem proximam, & inſtrumentariam, quæ ſubordinatur ſubſtantiæ in attingendo effectum ſubſtantialem.

Ad confirmationem dicendum eſt, Angelicum Doct. ſolùm intendere, quod Deus in myſterio Euchariſtiæ ſupplet modum, quo ſubſtantia ante conſecrationem concurrebat cum ſuis accidentibus, ſiuè virtutibus proximis ad productionem effectus ſubſtantialis. Etenim ante conſecrationem ſubſtantia erat immediatum principium *quod*: quia inter ipſam, & actionem non mediabat aliquod principium *quod*; ſed ſolùm principium *quo*, videlicet potentia proxima, ſeu virtus inſtrumentaria. Peracta verò conſecratione, & abſente ſubſtantia, ſicut accidentia diuina virtute habent eſſe vt *quod*; ita eadem virtute agunt vt *quod*. Ille ergo modus, quo ſubſtantia influebat per modum principij *quod* immediati, ſuppletur à Deo: & tribuitur accidentibus, quod ſint immediatum principium *quod*, & *quo*; licèt ſemper ſubordinentur ſubſtantiæ conuerſæ, cuius ſunt virtutes. Nec refert, quod D. Thom. diſtinxerit actionem formæ accidentalis ab actione formæ ſubſtantialis: nam ad veritatem huius locutionis ſat eſt vna entitatiuè operatio, quæ vt reſpicit ſubſtantiam, tanquam principium principale, & radicale, dicitur actio formæ ſubſtantialis, vt autem elicitur ab accidenti, appellatur actio illius: & ſecundum hanc poſteriorem rationem, quodammodò ſupponit ſe ipſam ſecundum primum munus acceptam, atquè dependet à ſe. Et quod S. Doctor non ampliùs intendat; patet, tùm *ex dictis*, tùm *ex ſolutione ad* 3. quam immediatè proponit, vt legenti apertè conſtabit.

27 Secundò arguitur ratione: quoniam, ſi ſubſtantia non præſtat nouum influxum confortantem accidentia, ſolum influet in effectum, quatenùs virtutes proximè agentes dimanarunt ab ea: ſed hoc eſt re ipſa non influere: ergo, vt verificetur, ſubſtantiam concurrere effectiuè ad generationem ſubſtantialem, debet elicere immediatè aliquem concurſum. Minor ſuadetur, tùm quia illa dimanatio iam præterijt: ergo ſubſtantia ex vi illius nihil de nouo influit. Tum quia ſubſtantiam concurrere ad effectum accidentium ex eo, quod tales virtutes ab ea dimanarunt non eſt influere per ſe; ſed ſolùm remotè, & per accidens ad eum modum, quo vnus ignis concurrit ad effectus ignis à ſe geniti.

Reſpondetur negando minorem, quia eò ipſo, quod accidentia dimanauerint à ſubſtantia, vt virtutes eius; ipſa eſt, quæ influit per modum cauſæ principalis medijs accidentibus: non quia exhibeat nouum, & immediatum concurſum; ſed quia illæ virtutes manent ſufficienter, & habitualiter ſubordinatæ ſubſtantiæ, atquè ab ea ita eleuatæ, & confortatæ, vt earum actio tribuatur ſubſtantiæ, vt præcipuo principio, quod actu influit per actionem immediatè elicitam ab accidentibus. Vndè patet ad primam probationem. Ad ſecundam dicimus, concurſum ſubſtantiæ, tametſi radicalem, non eſſe per accidens; ſed præcipuum, & per ſe: eò quod actio immediatè fluens à virtutibus inſtrumentarijs attribuitur ſubſtantiæ, vt radici, cui actu ſubordinantur illæ virtutes, & à qua trahunt omnem vigorem. Quare exemplum ibi adductum non eſt ad rem: nam ignis genitus non eſt virtus, aut inſtrumentum ignis generantis, neque ei in agendo ſubordinatur.

28 Tertiò arguitur: quoniam accidentia per ſe ſola, & abſque actuali influxu ſubſtantiæ, cui inſunt, non valent vllo modo producere ſubſtantiam; ſiquidem ex vna parte non adæquant perfectionem illius, & ex alia non confortantur ab ea: ergo vt producant effectum ſub-

Digitized by Google

ſubſtantialem, debet ſubſtantia elicere nouum concurſum, quo fulciat eorum vires. ¶ Explicantur hoc: nam vel ſolus influxus, qui immediatè fluit ab accidentibus, ſufficit ad productionem ſubſtantiæ, vel non? ſi primum; ergo accidens eſt cauſa principalis ſubſtantiæ. Si ſecundum: ergo ſubſtantia debet immediatè concurrere, confortando accidentis operationem.

Reſpondetur, accidentia deſtituta ab influxu, ſubſtantiæ principaliter agentis, non poſſe attingere effectiuè productionem alterius ſubſtantiæ. Cæterùm illa accidentia, quę fluunt à ſubſtantia, vt virtutes eius inſtrumentariæ, nunquam deſtituuntur, neque deſtitui poſſunt illius influxu: quoniam ſemper, ſunt virtutes ſubſtantiæ, ac, proinde illamet actio, quæ eſt actualis influxus accidentium, eſt etiam actualis influxus ſubſtantiæ, ab ea fluens ſicut à principio præcipuo, & radicali. ¶ Per quod patet ad illam difficultatis explicationem: dicimus namquè influxum prouenientem immediatè ab accidenti, quod eſt virtus ſubſtantiæ, eſſe etiam actualem iſtius influxum: ac proinde ſufficere ad effectum ſubſtantialem; quin hæc productio refundatur in accidens, ſicut in cauſam principalem.

29 Quartò arguitur, quia anima influit immediatè in actiones vitales: ergo concurrit immediatè ad productionem ſubſtantiæ. Patet conſequentia: nam productio ſubſtantiæ eſt actio eleuatior, & quę magis excedit vires accidentium; cùm eius terminus ſit ſubſtantia. Antecedens autem ſuadetur: tùm quia aliàs non eſſet differentia inter actiones vitales, & non vitales, ſiquidem in has etiam influit ſubſtantia radicaliter. Ex quo vlteriùs fieret, quod ſicut aliæ actiones ſunt diuinitùs ſeparabiles à ſubſtantia, vt conſtat in accidentibus eucharisticis, quæ ſeparata à ſubſtantia poſſunt operari; ita etiam potentiæ vitales ab anima ſeparatæ poſſent ſuas actiones elicere, & ſic intellectus ſeparatus videret Deum, quod proculdubiò eſt abſurdum. Tùm etiam: quia quando vna potentia animæ intenditur in ſuo actu, alia remittitur in ſuo, vt ſi intellectus nimis contemplationi inſiſtat, ceſſat, vel langueſcit operatio potentiæ decoctiuæ: ſed hoc non prouenit ob defectum influxus radicalis; quandoquidem vtraque potentia eſt in anima, ſicut in communi illarum radice: ergo contingit ex eo quod anima influit per actualem, & immediatum concurſum in actiones vitales, qui influxus cùm ſit finitus, quò magis propendit in vnam, eò magis remittitur circa aliam. Patet conſequentia, quia non ſuppetit alia cauſa, in quam hunc effectum reuocare poſſimus.

Reſpondetur negando antecedens, quod prima illius probatio non euincit: nam licèt omnes actiones, tàm vitales, quàm non vitales, ſint radicaliter à ſubſtantia; nihilominus vitales egent actuali, & formali coniunctione ad principium radicale vitæ, vt poſſit in ſuo eſſe conſeruari. Vita enim in actu ſecundo eſſentialiter expoſcit vnionem exercitam cum ſubſtantia viuenti: cùm viuere ſit moueri à ſe ipſo, & idcirco potentiæ vitales ab anima ſeparatæ nullam poſſunt elicere operationem vitalem. Potentiæ verò non vitales à ſubiecto ſibi connaturali diuinitùs ſeparatę poſſunt in operationem prodire: eo quod earum actiones non expoſtulant eſſentialiter habere coniunctionem exercitam ad ſubſtantiam.

Ad ſecundam dicimus, effectum illum non oriri ex eo, quod anima influat immediatè in operationes vitales, ſed quia illius potentiæ in proprijs actibus egent communi aliquo alimento, cuius non ſuppetit copia actibus intenſis vtriuſque, ſaltem regulariter loquendo: ea propter actus vnius remittitur iuxta intenſionem alterius. Quod contingit in caſu argumenti: nam ad intelligendum requiruntur ex parte phantaſiæ ſpiritus animales: hi autem fiunt ex alijs ſpiritibus vitalibus, quibus vtitur potentia decoctiua. Quare vbi magna ſpirituum animalium copia conſumitur, vt contingit in ijs, qui vehementiùs contemplationi, aut ſtudijs vacant, opus eſt ſpiritus vitales adeò minui, vt potentia decoctiua ob illorum defectum remittatur in ſuo actu, vel omninò ceſſet ab eo.

30 Vltimò arguitur: quoniam actio productiua ſubſtantiæ, nempè generatio, eſt actio diſtincta ab alteratione, ſiue productione accidentis: ergo licèt accidens poſſit hanc vltimam elicere abſque actuali influxu ſubſtantiæ; primam tamen attingere non valebit, niſi ſubſtantia actu, & immediatè concurrat, fulciendo accidentis influxum. Patet conſequentia: quia illa prior actio eſt nobilior quam ſecunda, cùm immediatè terminetur ad excellentiorem terminum, videlicet ad ſubſtantiam: ergo, vel nullo modo fluit ab accidenti; vel ad minus expoſcit concurſum immediatum, & actualem ſubſtantiæ, quo accidentium influxus confortetur.

Reſpondetur primò, admittendo generationem eſſe actionem realiter diſtinctam ab alteratione, & ad ſubſtantiam immediatè terminatam, propter quod ſolet appellari actio ſubſtantialis; quamuis entitatiuè accidentalis ſit. Hinc tamen minimè infertur eliciendam eſſe à ſubſtantia, ſicut à principio immediato: quia accidentia dimanarunt ab ea cum eo vigore, & proportione, vt poſſint hanc actionem immediatè elicere abſque nouo, aut immediato influxu ſubſtantiæ, in cuius virtute operantur. Quare calor v.g. concurret, vt principium proximum adæquatum ad vtramque actionem: ad alterationem quidem ſeu calefactionem virtute propria; ad generationem verò ſubſtantialem, vt virtus inſtrumentaria ſubſtantiæ, quin hæc concurrat immediatè, vel tanquam principium proximum vnicum, & adæquatum, vel tanquam confortans accidentium inſtrumentarium influxum. Vterque enim concurrendi modus ſuperfluit, imò repugnat, vt conſtat ex dictis.

Secundò, & meliùs reſpondetur, generationem ſumptam in eſſe actionis non diſtingui realiter ab alteratione; ſed eſſe ipſam actionem alteratiuam, quatenus prouenit ab accidentibus, vt ſunt virtutes ſubſtantiæ, & terminari ad vltimam diſpoſitionem, ex qua per naturalem ſequelam reſultat forma ſubſtantialis. Quam doctrinam tradit expreſsè D. Thom. *opuſc. 32. & quæſt. vnic. de Anima art. 12.* Et ratio eſt ſatis perſpicua: quia id ipſum debet calefactio v.g. habere in actu ſecundo, quod calor habet in actu primo: ſed calor ſecundum ſuam ſpeciem acceptus eſt productiuus alterius caloris; & vt eſt virtus ſubſtantiæ ignis, eique ſubordinatur, poteſt producere formam ignis, vt conſtat ex hactenus dictis: ergo calefactio, vt oritur à calore, quatenus calor eſt, debet eſſe actualis productio caloris, ſeu actio alteratiua; & quatenùs fluit ab eodem calore, vt calor eſt virtus ſubſtantiæ, debet eſſe actualis productio formæ ignis. Quoniam calefactio ſecundum hanc vltimam rationem, ſolùm comparatur ad calorem, ſicut ad virtutem inſtrumentariam; ignem autem reſpicit, vt cauſam principalem, quæ præcontinet formam generandam. Poſſemus quidem in præſenti modum hunc dicendi ampliùs elucidare, tùm fulciendo illum alijs rationibus cùm ab impugnationibus ipſum vindicando: modo tamen ab hoc conſultò ſuperſedemus, quia id latiùs præſtabimus *in lib. de Generatione diſp. 2.* Vbi ex profeſſo diſcutiendum eſt, *quid ſit generatio ſubſtantialis*, & reſolutionem hic inſinuatam pluribus proſequemur.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

Qualiter paſſiones dimanent ab eſſentia.

PRoprietates, ſeu paſſiones, quæ eſſentiam conſequuntur producuntur à generante per eandem actionem, qua eſſentiam attingit: nam qui dat formam, dat etiam præconſequentia ad formam. Quare illa actio, quæ reſpicit eſſentiam, ſiue ſubſtantiam, vt terminum primarium intentionis, extenditur ad paſſiones, ſicut ad terminum ſecundarium. Et quia terminus ſecundarius reſultat aliquo modo ex primario, ad cuius productionem comproducitur: ideò ſupponimus in præſenti, paſſiones dimanare ab eſſentia, & ſolùm dubitamus de qualitate, ſeu modo emanationis. Eſtquè præcipua difficultas: an proprietates oriantur ab eſſentia per actionem mediam diſtinctam realiter ab actione generantis, per quam eſſentiam producit.

§. I.

Reſoluitur difficultas.

31 DIcendum eſt, dimanationem proprietatum ab eſſentia, non eſſe veram actionem diſtinctam ab actione generantis. Hanc concluſionem ſtatuit D. Thom. pluribus in locis, & præcipuè 1. *p. q.* 77. *art.* 6. *ad* 2. *& ad* 3. *& art.* 7. *ſequenti in corp.* vbi hæc habet: *ſicut potentia animæ ab eſſentia fluit; non per tranſmutationem; ſed per naturalem quandam reſultationem. ita eſt etiam de vna potentia reſpectu alterius.* Conſtat autem, quod voluntas, verbi gratia, non reſultat ab intellectu per actionem mediam, & idem eſt de aliis potentiis: ergo ex mente S. Doct. dimanatio paſſionum ab eſſentia, non eſt vera actio. Vndè hic modus dicendi communis eſt inter Thomiſtas, quos proinde ſingilatim referre cenſemus ſuperuacaneum. Illis etiam conſentiunt ex extraneis Fonſeca, 5. *Metaph. cap.* 2. *quæſt.* 6. *ſect.* 5. Conimbr. *lib.* 2. *de Anima cap.* 3. *quæſt.* 3. *art.* 3. *ad primum.*

Fundamentum præcipuum eſt: quia ſi dimanatio primæ paſſionis eſſet vera actio, non poſset non ſubſtantia reſpectu illius eſse potentia immediate operatiua; quandoquidem ante primam paſſionem nulla virtus accidentalis ineſt ſubſtantiæ, media qua poſſit operari: ſed repugnat, ſubſtantiam eſse immediatè operatiuam, vt conſtat ex *dictis quæſt.* 2. ergo dimanatio primæ paſſionis ab eſsentia non eſt vera actio: cumquè cæteræ paſſiones poſſint dimanare, vt prima; ſequitur, quod earum dimanatio nequeat veræ, & propriæ actionis conditionem ſortiri.

Reſpondebis, quod licèt ſubſtantia nequeat immediatè agere, vt cauſa principalis; benè tamen, vt inſtrumentum: in dimanatione autem paſſionum eſsentia ſe habet, vt inſtrumentum generantis; & ideò nil mirum, quod influat immediatè per actionem à ſe elicitam. ¶ Sed hoc nullius momenti eſt, & facilè falſitatis conuincitur: quoniam inſtrumentum proprium debet habere aliquam actionem præuiam, & ſibi propriam, ad quam comparetur, vt cauſa præcipua: & ideo licèt ſciſſio, vt artificioſa, ſit inſtrumentaliter à ſerra; vt ſciſſio tamen & ſecundum ſe, eſt a ſerra, ſicut à cauſa principali, vt conſtabit ex dicendis *diſp.* 12. *q.* 2. at eſsentia, ſi concurret inſtrumentaliter ad producendum paſſiones, eſset inſtrumentum propriè; ſiquidem non eſset virtus inſtrumentaria generanti coniuncta: ergo iam eſset immediatè operatiua abſolutè, & per modum cauſæ principalis. Maximè: quia ſi ſubſtantiæ ob ſuam perfectionem repugnat elicere immediatè operationem per modum cauſę principalis, multo magis repugnabit eam elicere, vt inſtrumentum: quia hic modus operandi arguit maiorem imperfectionem.

32 Secundò probatur noſtra ſententia: quoniam ſi paſſiones fluerent ab eſſentia per actionem mediam diſtinctam ab actione generantis, non poſſent eſſe terminus ſecundarius iſtius: conſequens eſt falſum: ergo &c. Minor conſtat: quia paſſio habet neceſſariam connexionem cum eſſentia: ergo actio generantis, quæ attingit eſſentiam, vt terminum primarium, ſe extendere debet ad paſſionem, ſicut ad terminum ſecundarium: ſic enim contingit, quoties plures formæ, aut termini inter ſe hoc pacto concatenantur, vt inductiuè poteſt oſtendi. Sequela verò probatur: nam terminus ſecundarius dimanat à primario: ſed terminus, qui producitur per veram actionem ad ipſum ſolùm terminatam, non dimanat ab alio termino; ſed eſt primarius terminus illius actionis, per quam immediatè fit: ergo ſi paſſiones producuntur ab eſſentia per actionem mediam ad ipſas vnicè, & immediatè terminatam, nequeunt eſſe terminus ſecundarius; ſed ſunt propriè, & rigoroſè terminus primarius.

Reſpondebis, paſſiones ideò dici terminum ſecundarium, quia licèt terminent propriam actionem immediatè fluentem ab eſſentia; expoſtulant tamen actionem generantis: & hac poſita, illa immediatè, & neceſſariò ſubſequitur. ¶ Sed contra: nam vel actio generantis attingit paſſiones, vel non? ſi primùm: ergo ſuperfluit actio ſecunda elicita ab eſſentia. Si ſecundum: ergo paſſiones non habent vllo modo rationem termini ſecundarij reſpectu actionis generatiuæ. Quod explicatur: nam poſita viſione beata, non poteſt non ſequi amor beatificus: & hæc actio eſſentialiter pendet ab illa: & nihilominus amor beatificus nequit dici terminus ſecundarius intellectus, cum ſit extra ſphæram illius: ergo quod vna actio ſupponat aliam, non ſufficit, vt terminus primarius vnius dicatur terminus ſecundarius alterius; ſed ad hoc requiritur, quod inter terminum, & terminum non detur actio noua, & diſtincta.

§. II.

Occurritur duabus quæſtiunculis incidentibus.

33 INquires primò, qua ratione dicatur eſſentia principium effectiuum ſuarum paſſionum, vt loquuntur Diu. Thom. 1. *p. q.* 77. *art.* 6. & communiter Doctores; ſi nullam elicit actionem, qua dictas proprietates attingat? Reſpondetur, dimanationem paſſionum ab eſſentia non pertinere propriè, & ſtrictè ad genus cauſæ efficientis; ſed deficienter, & reductiuè, vt ſatis exprimit Angelic. Doct. loco citato his verbis: *Subiectum eſt cauſa proprij accidentis, & finalis, & quodammodo actiua*: vbi ly *quodammodo* eſt particula diminuens. Porrò, vt eſſentia appelletur principium effectiuum, vtcumque ſuarum paſſionum, plures ſuppetunt tituli. Nam eſſentia dicit neceſſariam habitudinem ad ſuam proprietatem: & ideò determinat cauſam generantem, vt per veram actionem talem proprietatem efficiat, & ſibi communicet. Qua exigentia, & determinatione ex parte eſſentiæ ſublata, quamuis generans produceret paſſionem in eſſe accidentis; ſecus verò in eſſe proprietatis. Vndè eſſentia non ſe habet tanquam principium purè materiale, & paſſiuum reſpectu ſuarum paſſionum; ſed

induit

Digitized by Google

induit habitudinem cauſæ efficientis, quia determinat ad actionem effectiuam earum.

Deinde; quandò plura ordine quodam ab eadem cauſa procedunt, primum eſt aliquo modo cauſa ſecundi in eodem genere cauſæ: quia deferr influxum cauſæ ad ſubſequentes effectus. Eſſentia autem, & proprietates procedunt à generante in ordine cauſę efficientis: actualitas quippè eſſentiæ defert actionem generantis ad ſuas paſſiones, quatenus nequit generans producere proprietates, niſi præſuppoſita eſſentia; qua tamen producta, ſtatim pullulant proprietates ex vi actionis generatiuæ. Quare paſſiones dependent ab eſſentia, ſicut à termino priori, & exiſtenti in actu. Proprium autem eſt cauſæ efficientis, vt condiſtinguitur ab alijs generibus cauſarum, influere in quantum exiſtit in actu: cauſalitas enim materiæ, formæ, & finis non expoſtulat exiſtentiam phyſicam ſui principij, vt præſuppoſitam ad effectum. Quocircà eſſentia, quæ hoc pacto ſupponitur ad ſuas paſſiones, vt medium, quo cauſalitas agentis defertur ad illas, nequit non habere aliquo modo rationem principij effectiui reſpectu earum; tametſi nullam actionem eliciat.

Quæ omnia illuſtrari valent exemplo ſatis accommodato, deſumpto ex D. Thom. *opuſc.* 48. *tract.* 1. *cap.* 6. Nam in genere cauſę materialis dupliciter poteſt aliquid concurrere: vno modo recipiendo; alio modo diſponendo ad receptionem v. g. cera eſt cauſa materialis figuræ, quia illam recipit: & etiam mollitudo ceræ concurrit in genere cauſæ materialis ad figuram, nam diſponit ceram, vt conuenienter illam recipiat. Forma itidem ſubſtantialis dependet in genere cauſæ materialis à materia, & accidentibus: ab illa, ſicut à ſubiecto, in quo recipitur; ab his autem, ſicut à diſpoſitionibus requiſitis, vt connaturaliter recipiatur. Ex quibus modis concurrendi primus eſt propriſſimè in genere cauſæ materialis; poſterior verò eſt non ita rigoroſè. Sic ſimiliter poteſt dupliciter aliquid ad genus cauſæ efficientis pertinere: primò, quia per veram, & propriam actionem effectum attingit; quo pacto generans producit eſſentiam, & proprietates; ſecundò, quia eſt ratio, ob quam agens attingit effectum, & deferr agentis cauſalitatem; & hac ratione comparatur eſſentia ad paſſiones, vt conſtat ex dictis. Vndè influxus eius erga paſſiones ſpectare debet aliquo modo ad genus cauſæ efficientis.

34 Inquires ſecundò, quidnam ſit hæc emanatio paſſionum ab eſſentia, ſi ſemel non eſt actio. Reſpondetur, iſtam diminutionem, ſi ſumatur actiuè: & ſecundum ea, quæ ſolùm in recto, & formaliſſimè importat, non diſtingui realiter ab eſſentia connotante actionem generantis ad ſe terminatam. Quia eſſentia per ſe ipſam poſtulat ſuas proprietates, defertquè influxum generantis ad eas: in quo emanatio actiuè, & formaliter accepta conſiſtit. Si autem dimanatio ſumatur paſſiuè, non diſtinguitur à paſſionibus connotantibus, tùm eſſentiam illas petentem, tùm actionem generantis eas attingentem media eſſentia, vt termino primario. Quod poteſt explicari exemplo creationis, quæ non eſt actio media inter Deum, & creaturam: ſed actiuè ſumpta eſt ipſe Deus; paſſiuè autem accepta non diſtinguitur à termino: ſic, licèt paſſiones producantur à generante per veram actionem ad eas ſecundariò terminatam, dimanatio tamen earum ab eſſentia non eſt aliqua actio media, & interiecta, ſed naturalis ſequela hactenùs explicata. Et quæ diximus de eſſentia reſpectu paſſionum, applicanda proportionabiliter ſunt primæ proprietati reſpectu ſecundæ, & huic reſpectu tertiæ, & ſic de alijs: vtrobique enim militat eadem proportio, & ratio.

§. III.

Recentiorum fundamenta eliduntur.

35 CONtraria ſententia docet, eſſentiam producere ſuas paſſiones per veram actionem mediam. Sic Suarez *diſp.* 18. *Metaph. ſect.* 3. & alij ex Societate. Quam ſuadere conantur auctoritate D. Thom. 1. *p. q.* 77. *art.* 6. vbi docet eſſentiam eſse principiuum productiuum ſuarum paſſionum. Cæterùm mens S. Doctoris contraria prorſus eſt huic modo dicendi: ſolùm namquè intendit, eſsentiam efficere ſuas proprietates per naturalem ſequelam, vt conſtat ex dictis, & facilè deprehendet, qui ipſum legerit.

Arguitur deinde ratione primò: quia ſi reſultantia paſſionum ab eſsentia non eſt vera actio, non erit ſequela cauſalis; ſed ſolùm illatiua conſiſtens in eo, quod poſito vno, ponatur aliud propter naturalem nexum inter vtrumque: at hoc non ſufficit, vt eſsentia ſit principium actiuum ſuarum paſſionum: ergo debet elicere veram actionem. Minor conſtat: quia poſita materia cœli, neceſsariò ponitur forma: ergo ſequela illatiua non ſufficit, vt eſsentia dicatur principium effectiuum proprietatum. Maximè, quia ſi dùm producuntur paſſiones à generante, eſsentia nullam elicit actionem, erit vtique in puro otio: ergo non influet actiuè vlla ratione in ſuas proprietates.

Reſpondetur negando ſequelam: quoniam licèt eſſentia non attingat paſſiones per actionem mediam; ad earum tamen productionem concurrit determinando generans per modum entis in actu, quod defert cauſalitatem agentis vſque ad terminum ſecundarium: quæ omnia ſunt munia propria cauſæ efficientis, quamuis minus rigoroſæ. Materia autem eſt pura potentia: & idcircò nequit vllo modo ad genus cauſæ actiuę ſpectare. Per quod patet ad id, quod additur: nam purum otium excludit omnem modum concurrendi actiuè: vndè cum eſſentia aliquo modo concurrat actiuè ad paſſionum reſultantiam; nequit eſſe in puro otio, quando actu producuntur.

36 Arguitur secundò: quia inſtrumetum subordinatur illi agenti, à quo actiuè producitur, vel eleuatur: ergo ſi proprietates producuntur à generante per veram actionem, secùs autem ab eſſentia; erunt inſtrumenta generantis; & non ſubſtantiæ, cui insunt: conſequens eſt manifeſtè falsum, ſiquidem per calorem ignis geniti non agit ignis generans, ſed genitus, & per potentiam generatiuam, quæ eſt in filio, non generat pater, ſed filius: ergo essentia producit, & eleuat suas proprietates per veram actionem.

Reſpondetur, quod quemadmodum ſi ſerra esset ex natura sua inſtrumentum v. g. Petri, quantumuis produceretur ab alio; semper esset inſtrumentum Petri, illiquè subordinaretur in agendo: ita quia calor ex natura sua subordinatur igni, à quo dimanat, vt virtus inſtrumentaria illius; ideò à quocumque producatur, erit virtus essentię, cui ineſt, licèt ab ea non fluxerit media actione. Vndè calor genitus subordinatur generanti, vt effectus suę causę; essentię verò, vel ſubſtantię, à qua fluit, vt virtus inſtrumentaria suæ radici, & causæ principali per illam operanti. Et ignis generans non intelligeretur satisfecisse suo muneri niſi conſtituisset calorem in esse virtutis instrumentariæ reſpectu ignis, qui de nouo generatur.

37 Arguitur tertiò: quia ſi pasſiones ſe ipſis, & abſque actione media fluerent ab eſsentia, non poſsent ab ea ſeparari; vel impediri earum dimanatio; hac quippè ra-

tione actio eſt inſeparabilis ab agente, quia nimirùm ſe ipſa immediatè ab eo fluit, & ſic vel nullo modo exiſtet, vel debet fluere ab illo: conſequens eſt falſum, vt patet in accidentibus euchariſticis, quæ ſeparantur à ſubſtantia; ergo eſſentia efficit ſuas proprietates per veram actionem mediam.

Reſpondetur negando ſequelam, quia paſſiones ad ſui productionem præter concurſum eſſentiæ petunt, quod actio generantis ſe extendat ad illas, ſicut ad terminum ſecundarium. Vndè impedita actione quoad hanc extenſionem, nequeunt paſſiones ab eſſentia dimanare: eatenùs quippè eſſentia eſt earum principium per dimanationem, quatenùs determinat generans ad productionem illarum, & defert eius influxum. Actio autem generantis licèt nequeat non producere terminum primarium; poteſt tamen non ſe extendere ad ſecundarium: & ſic poteſt impediri reſultantia paſſionum.

38 Vltimò arguitur: nam quando aqua calida reducitur ad priſtinam frigiditatem, illa reductio habet rationem dimanationis, & reſultantiæ; cùm frigiditas ſit paſſio aquæ: ſed emanatio illa eſt vera actio: ergo paſſiones fluunt ab eſſentia per veram actionem. Minor videtur certa: quia tunc incipit aliquid eſſe in aqua, quod antea non erat, & non incipit ad productionem alterius: ergo per actionem, & mutationem ad ſe terminatam.

Reſpondetur negando minorem, ad cuius probationem dicendum eſt, illam frigiditatem, ſeu frigiditatis intenſionem produci à generante per veram actionem, non quæ eliciatur de nouo, ſed quæ produxit aquam, ad quam per naturalem ſequelam, ſublatis impedimentis, ſequitur illa frigiditas. Nam licèt hæc de nouo producatur, incipit tamen, vt complementum termini prius producti: & ideò non habet rationem termini per ſe nouam expoſtulantis actionem. Eſt enim aqua terminus primarius, in quo perſiſtit virtualiter generatio præterita: & habet ſufficientem determinationem, vt motis impedimentis frigiditas illa reſultet. Quare exiſtentia actionis generatiuæ in ſe ipſa ſolùm requiritur ad ponendum terminum primarium executionis, videlicet vltimam diſpoſitionem ad formam: quippè cum, hac poſita, cætera reſultent naturali neceſſitate, & ſequela propter connexionem cum illa. Vndè non requiritur actio noua immediatè fluens ab eſſentia aquæ, & terminata ad frigiditatem. Videndi ſunt Caiet. & Nazarius, 1. *p. q.* 54. *art.* 3.

39 Neque refert ſi aduerſus hanc ſolutionem obijcias primò; nam finito influxu agentis, non poteſt attingi aliquis effectus, niſi adſit noua actio: ſed quando frigiditas recuperatur, iam generatio præcedens eſt finita: ergo non poteſt produci per illam, ſed petit nouam, & diſtinctam actionem, cuius non eſt aſſignabile aliud principium, quam eſſentia aquæ: ¶ Secundò: quia frigiditatis recuperatio eſt verus motus, cùm ſit à contrarium: ſed prima productio non fuit verus motus ergo frigiditas hæc in ſui reſtitutione non dimanat ex vi actionis præteritæ. ¶ Tertiò: quia duplex accidens ſolo numero diſtinctum nequit produci per eandem actionem: ſed frigiditas recuperata diſtinguitur numero ab ea, quæ in inſtanti generationis fuit producta; ſiquidem idem ſemel corruptum nequit reproduci viribus naturę: ergo noua frigiditas petit nouam, & diuerſam actionem. ¶ Quartò: quia ſi datur in recuperatione illius frigiditatis noua actio ex parte Dei, debet etiam dari noua actio ex parte creaturæ; quandoquidem illa frigiditas non producitur a ſolo Deo: at ibi adeſt nouus concurſus Dei; aliàs abſque actuali, & nouo Dei influxu daretur aliquis effectus in rerum natura, quod eſt abſurdum: ergo etiam datur noua actio ex parte creaturæ: cumque iſta elici nequeat à generante, quod vel non exiſtit, vel diſtat; opus eſt, vt immediatè ſit ab eſſentia aquæ.

Non inquam hoc refert; nam ad primam obiectionem dicendum eſt, quod licèt actio generantis ſit finita, & præterita in ſe; manet tamen virtualiter in termino primario, nempè in eſſentia, vt poſſit ſe ſe extendere ad terminum ſecundarium, videlicet ad paſſiones, vbi primum impedimenta reſultantiæ illarum ſublata fuerint. Incumbit enim generanti formam, conferre ex vi eiuſdem actionis ea, quæ formam per ſe loquendo conſequuntur in inſtanti generationis, tametſi ob aliquod impedimentum poſtea reſultent.

Ad ſecundam dicimus, frigiditatis recuperationem poſſe contingere abſque motu, vt ſi non adſit in aqua calor ſibi contrarius ex quo fiat. Eſto tamen, quod ibi interueniat nouus motus, vt communiter contingit, ipſe motus ſit ex vi actionis generatiuæ. Nam ſicut motus localis, quo lapis v. g. acquirit centrum, vel *vbi* ſibi debitum in inſtanti generationis, tribuitur generanti lapidem, & fit ex vi actionis generatiuæ, quæ in lapide virtualiter perſeuerat, vt dicemus infra *diſp. 26. num. 6.* ſic motus, quo aqua recuperat frigiditatem ſibi debitam, eſt à generante ipſam aquam, & fit per actionem, qua aqua producta eſt. Neque infertur ex eo, quod detur nouus motus, interuenire ibi nouam actionem: quia quia licèt omnis actio phyſica ſit realiter identicè motus, vt infra dicemus *diſp. 17. num.* 11. non tamen omnis motus eſt actio, ſed poteſt ab ea ſeparari, vt patet in exemplo adducto motus localis.

Ad tertiam reſpondetur, quod non ſemper noua frigiditas producitur, ſed frequenter priſtina frigiditas perſiſtit, & adquirit nouam intenſionem ex vi actionis antiquæ, qua producta eſt. Si tamen omninò periiſſet, reſultaret noua, & diſtincta frigiditas ex vi eiuſdem actionis generatiuæ. Nullatenùs quippè repugnat, eandem actionem attingere ſaltem ſucceſſiuè plura accidentia ſolo numero diuerſa, quotiès hæc termino primario debentur, vt conſtat in exemplo ſupra adducto: generans enim lapidem, ex vi actionis generatiuæ, producit omne *Vbi*, quod lapidi debetur, ſiuè in inſtanti generationis, ſiuè poſteà acquiratur; & ſiuè vnum numero ſit, ſiuè multiplex.

Ad quartam reſpondetur, omiſſa maiori, negando minorem: quia ſicut actio agentis creati terminata ad eſſentiam extenditur poſtea ad attingendas paſſiones, vbi primum remouentur impedimenta ad eorum reſultantiam: ita concurſus diuinus, qua eſſentia, ſiue terminus primarius productus eſt, ſufficit abſque aliqua additione ex parte ſui, ad attingendum effectum ſecundarium, qui poſtea denouo reſultat. Quod à fortiori in actione diuina admittendum eſt: nam Deus agit ad extrà per actiones immanentes intellectus, & voluntatis: & ideò actio, qua produxit eſſentiam, manet formaliter in ſe ipſa, & ſe extendit, ſublatis impedimentis, ad reſultantiam paſſionum non minus, quam eas intuliſſet in inſtanti generationis, ſi abfuiſſent impedimenta. Sicut quia amor diuinus terminatur ad Deum, ſicut ad obiectum primarium, & ad creaturas, vt ad ſecundarium, poteſt abſquè aliqua additione extendi, vel non extendi ad illas, & per hoc, quod extendatur nihil reale de nouo adquirit. Eſto tamen, quod Deus ageret ad extra per actiones formaliter tranſeuntes; idem nihilominùs dicendum proportionabiliter eſſet: quoniam licèt illa actio tranſiret formaliter in ſe ipſa, perſiſteret tamen virtualitèr in termino primario, ſiuè in eſſentia aquæ, & amotis obſtaculis, inferret paſſiones, ſicut dictum eſt de actione agentis creati.

Quæ hactenùs ſtatuimus de proprijs paſſionibus, proportionabiliter applicanda ſunt illis accidentibus communi-

muni-

Digitized by Google

munibus; quæ rem genitam in inſtanti generationis indiuiduè comitantur. Non enim producuntur ab eſſentia per actionem mediam; ſed fiunt conſequenter à generante ex vi eiuſdem actionis ad eſſentiam primariò terminatæ. Videantur ſupra dicta *diſp.* 4. *num.* 4.

QVÆSTIO VI.

Vtrum accidens producat principaliter aliud accidens ſibi ſimile.

POſtquam oſtendimus qualiter accidens ſe habeat in productione ſubſtantiæ, videndum eſt quomodo concurrat ad productionem alterius accidentis ſibi ſimilis in ſpecie, & intenſione. Si enim effectus ſit maioris perfectionis ſpecificæ, vel intenſiuæ, aut induat rationem vltimæ diſpoſitionis ad ſubſtantiam, iam conſtat ex dictis *quæſt.* 3. attingi ab alio accidente inſtrumentaliter præciſè, & in virtute alterius principij. Quarè examinandum reſtat, vtrum poſſit accidens in aliquo caſu habere rationem cauſæ principalis.

§. vnicus.

Statuitur vera, & communis ſententia.

40 DIcendum eſt, accidens eſſe cauſam principalem alterius accidentis ſibi ſimilis. Sic docet D. Thom. 3. *p. q.* 62. *art.* 1. quem ſequuntur eius diſcipuli & communiter Doctores, vt teſtantur Aſtudillo 2. *Phyſic. quæſt.* 6. & Rubio *in hoc lib. tractatu de cauſa efficiente, quæſt.* 5. Ratio eſt ſatis efficax, & perſpicua: quoniam cauſa inſtrumentalis eleuatur ad attingendum effectum altiorem ſe: at calor v. g. non eget eleuatione ad producendum alium calorem eiuſdem intenſionis, cum hic non ſit effectus altior illo, vt patet ex terminis: ergo accidens reſpectu alterius accidentis eiuſdem rationis non habet rationem cauſæ inſtrumentalis, ſed principalis.

Confirmatur primò: quia virtus, cui valdè aſſimilatur effectus, non concurrit ad eius productionem inſtrumentalitèr; cum inſtrumentum non intendat aſſimilare paſſum ſibi, ſed agenti principali in cuius virtute influit: conſtat autem inter duos calores v. g. vt quatuor, dari omnimodam ſimilitudinem: ergo vnus producit alium non inſtrumentalitèr, ſed principalitèr.

41 Dices, calorem productum excedere calorem producentem, non quidem entitatiuè; ſed in modo operandi: quia calor producens dependet à ſubſtantia, cui ineſt: atque ideò operatur dependenter ab ea, & vt virtus inſtrumentaria illius. ¶ Sed contra: Forma ſubſtantialis dependet à ſuppoſito v. g. ignis, & concurrit per modum virtutis radicalis ſubordinatæ illi, vt agenti *quod*: & nihilominùs non influit inſtrumentalitèr ad productionem alterius ignis, ſed per modum virtutis principalis, & rationis agendi præcipuæ; eò quod adæquat effectum in perfectione ſpecifica: ergo, cum calor adæquat calorem in perfectione, tùm ſpecifica, tùm intenſiua, debet illum producere per modum virtutis principalis proximæ; tametſi ſubordinetur ſubſtantię, vt agenti *quod*, vel ſicut radicali principio.

Confirmatur: quia ſi non eſſet poſſibilis ſubſtantia, & eſſet dabilis calor, poſſet producere calorem: nequè enim apparet ratio ad oppoſitum: ergo de facto, & quando eſt coniunctus igni, producit illum, vt virtus proxima principalis. Probatur conſequentia: quia indè colligimus, calorem virtualitèr exiſtentem in ſole attingere inſtrumentalitèr productionem ignis, aut aliorum effectuum ſubſtantialium, quia repugnante ſole, non valeret eos producere: ergo è contra ſi calor poſſet producere calorem, etiam repugnante ſubſtantia; benè infertur, ipſum de facto in productione caloris ſibi ſimilis habere rationem cauſę proximę principalis.

42 Contrarius dicendi modus arriſit Fonſecę 5. *Metaph. cap.* 2. *quæſt.* 6. *ſect.* 6. & Conimbric. 2. *Phyſic. cap.* 7. *q.* 18. *art.* 3. *aſſertione* 5. ſuadetur primò: quia ratio virtutis operatiuę conſequitur ad eſſe, & in eo fundatur: ſed totum eſſe accidentis eſt eſſe entis, ſiuè ſubſtantię: ergo totum eius eſſe in ratione operatiui eſt eſſe virtutem ſubſtantię, ac proindè operari in virtute ſubſtantię, ſiue vt inſtrumentum illius.

Reſpondetur, requiri ad rationem virtutis inſtrumentaliter operantis, quod agat in virtute alterius non vtcumque; ſed in ordine ad effectum altiorem ſe. Calor autem non reſpicit calorem eiuſdem intenſionis, vt effectum excedentem propriam virtutem: & ideò nequit comparari ad illum, vt inſtrumentum ſubſtantię. Dicitur autem virtus eius: quia non agit vt *quod*, ſed vt *quo* per modum potentię proximę, & quia dependet à ſubſtantia, non quidem ſicut ab agente eleuante; ſed ſicut à principio ſuſtentante; & radicaliter influente. Vndè licèt ad igniendum forma ſubſtantialis concurrat principaliter, & calor ſolùm inſtrumentaliter; attamen ad calefaciendum vtraque principaliter concurrit, quamuis diuerſo modo: quia forma ſubſtantialis influit principaliter radicalitèr, calor autem principalitèr proximè.

43 Secundò arguitur, quia repugnat dari duas cauſas totales, principales, & eiuſdem ordinis, quæ attingant eundem effectum, vt dicemus, *diſp.* 15. *q.* 3. ſed ſubſtantia ignis eſt cauſa totalis, principalis, & particularis caloris à ſe producti: ergo repugnat quod calor concurrat ad eandem productionem per modum cauſæ principalis. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam, quia cauſa, & illius virtus agendi proxima non conſtituunt duas ſimpliciter cauſas, ſed vnam, & ad eundem ordinem pertinentem. Quare ex igne radicaliter influente per formam ſubſtantialem, & ex calore agente vt *quo* principaliter proximè, eadem ſimpliciter cauſa conſtituitur. Sicut Deus, noſtro modo intelligendi, habet rationem principij principalis ſuæ volitionis, ratione naturæ, & ratione voluntatis, quin hoc ſit aliquod inconueniens, eò quod natura influit, vt virtus radicalis, voluntas autem vt virtus proxima, & neutra per modum virtutis inſtrumentariæ; hoc namque dedecet diuinam perfectionem.

QVÆSTIO VLT.

Quæ ſit cauſalitas cauſæ efficientis.

HAbita notitia virtutis agendi, tàm radicalis, quàm proximæ, quibus agens conſtituitur in actu primo, rectus ordo poſtulat, vt explicemus cauſalitatem, media qua, ſe communicat, & influit in actu ſecundo. Circa quam difficultatem concors Doctorum ſententia tenet, cauſalitatem efficientis eſſe, reipſa, actionem, ſeu effectionem, per quam effectus deriuatur, & egreditur ab agente. Diſſidium tamen, quamuis non multi negotij, eſt inter illos: an hæc cauſalitas ſignificetur melius per *actionem*, an per *agere*. Diſtinguuntur autem *actio*, & *agere* ſicut abſtractum, & concretum: nam actio ſignificat, id medio quo effectus exit ab efficiente: agere verò concernit ipſum agens, & ſignificat hoc, quod eſt agens habere, ſeu exercere actionem, vt expli-

Digitized by Google

cat D. Thom. *de Veritat. q. 5. art. 5. ad 4.* his verbis: *Agere ſecundum propriam rationem importat hoc, quod eſt habere actionem, ſeu actionem aliquam exercere.*

44 Dicendum eſt, cauſalitatem efficientis melius, & cum maiori proprietate explicari per agere, quam per actionem. Hæc aſſertio deſumitur ex D. Thom. 3. *Phyſic. lect.* 4. vbi vt explicaret cauſalitatem cauſæ efficientis, vtitur hoc modo loquendi dicens: *Motiuum dici ſecundum potentiam, in quantum potens mouere: mouens autem in ipſo agere, id eſt, in quantum agit actu.* Vnde hæc ſententia frequens eſt inter Thomiſtas, vt teſtatur Iauel. 5. *Metaph. quæſt.* 4. quibus etiam conſentit Fonſeca ibidem *quæſt.* 13. *ſect.* 3.

Probatur ratione: quia agens non eſt in actu ſecundo, niſi quatenus coniungitur cum actione, & per illam cum effectu: ſed hoc explicatur dilucidè, & propriiſſimè per *agere*; & non ſic exprimitur per *actionem*. ergo. ¶ Confirmatur primò; quia cauſalitas eſt id, quo vltimò conſtituitur cauſa in actu cauſandi: ſed *agere*, ſiuè exercere actionem eſt id, quod vltimò ponit cauſam actu efficientem; neque vltrà id poteſt excogitari aliud: ergo *agere* importat perfectè cauſalitatem agentis. ¶ Confirmatur ſecundò: quoniam agens non intelligitur producere effectum media actione, niſi quatenùs eam exercet; ſi enim per impoſſibile ſepararetur actio ab omni subiecto, nihil agens efficeret per illam: ſed exercere actionem est *agere*: ergo perfectiùs, & vt ita dicamus, viuidiùs ſignificatur causalitas efficientis per *agere*, quam per actionem.

45 Nec refert ſi cum Suario, *diſp.* 18. *Metaph. ſect.* 10. & aliis oppoſitum aſserentibus obiicias primò: nam cauſalitas agentis eſt id, quo denominatur agens, & conſtituitur in eſse talis: ſed actio eſt huiuſmodi: ergo actio eſt propriiſſimè cauſalitas agentis. Minor conſtat: quia agens conſtituitur in eſse talis per id, quo attingit effectum, tanquam per viam, & tendentiam ad illum: ſed actio eſt via, & tendentia ad effectum: ergo ipſa conſtituit, & denominat agens. ¶ Secundò; quia ſi aliquid, pręter actionem, eſset cauſalitas agentis, vel illud antecederet actionem, vel illam conſequeretur, aut ſe haberet ad eam purè concomitanter: non primum, quia ante actionem agens nullo modo influit: non ſecundum, quia ad actionem ſolùm ſequitur effectus, & ſic id, quod ſequitur, nequit esse causalitas, quę est prior effectu: non denique tertium, quia tunc per accidens se haberet ad actionem, & consequenter ad causalitatem, quę indispensabiliter importat actionem: restat igitur, quod causalitas efficientis conſiſtat vnicè, & adęquatè in actione.

Hęc, inquam non referunt: quia solùm probant, actionem esse re ipsa causalitatem agentis, id quod neutiquam negamus; cum *actio*, & *agere* se habeant ſicut abstractum, & concretum, quę non distinguuntur ex parte rei, sed tantum ex modo ſignificandi. Aſserimus tamen cauſalitatem efficientis conuenientiùs ſignificari per *agere*, quam per actionem, vt rationes à nobis factæ conuincunt. Nequè oppoſitum ſuadetur dictis obiectionibus: nàm ad primam dicimus, cauſalitatem agentis eſſe actionem, non quidem in abſtracto, quo pacto ſumitur hoc nomen *actio*; ſed quatenus in actu exercito concernit agens, qua ratione iam ſumitur in concreto, & ſignificatur per *agere*. ¶ Ad ſecundam dicimus, quod actio vt exercita, qua ratione eſt cauſalitas agentis, quodammodò ſequitur ad se ipsam absolutè, & in abstracto acceptam. Nam ſicut prius est, quod concipiatur forma, quam quod intelligatur coniungi per inhęrentiam subiecto: ſic priùs intelligitur, actio quam agens coniunctum illi, & per eam attingens effectum. Vndè non intelligitur completè causans per actionem absolutè sumptam; sed magis per exercere actionem, quod est *agere*: quia in ipso attingere effectum completur formaliſſimè causalitas efficientis.

DISPVTATIO XI.

De modo, quo cauſa prima concurrit ad operationes cauſæ ſecundæ, & neceſſariæ.

VIDIMVS diſputatione præcedenti virtutes, & rationes agendi, quibus cauſa creata conſtituitur potens ad operandum. Videndum nunc eſt, an vltrà eas indigeat actuali concurſu Dei, vt in actu ſecundo operetur. Porrò duplex concurſus Dei communitèr diſtinguitur: alius, quo Deus applicat creaturam ad agendum, ob idquè appellatur præuius: alius, quo ſimul cum creatura influit immediatè in eius actiones, & effectus, qua ratione dicitur ſimultaneus. Et quia hic vltimus faciliùs oſtenditur, & communitèr ponitur à Doctoribus; ab eo incipiendum nobis eſt: vt gradum per faciliora faciamus ad concurſum præuium, qui pluribus ſubiacet difficultatibus, & de cuius neceſſitate acris concertatio eſt inter Auctores. Monemus verò ante omnia nos in tota hac diſput. loqui de cauſis neceſſariis: diſſerere namque de liberis, Theologici negotij eſt, & noſtrum ſuperat inſtitutum.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO I.

An cauſa ſecunda poſſit operari ſine actuali, ſimultaneo concurſu Dei.

1. DIcendum eſt, concurſum Dei actualem, ſimultaneum, & immediatum eſse neceſsarium ad omnes, & ſingulas creaturarum actiones. Sic docent communitèr Philoſophi, & Theologi contra Durandum, *in 2. diſt. 1. q. 5. & diſt. 37. quæſt. 1.* aſſerentem, Deum produxiſsè immediatè mundum cum omnibus ſuis cauſis; modò verò nihil agere, ſed ſolum earum eſſe, & vires operandi conſeruare: atquè ideò non concurrere immediatè ad actiones cauſarum ſecundarum; ſed ſolum mediatè, quatenùs ipſas cauſas produxit, & in eſſe conſeruat.

Noſtra tamen, & communis ſententia facilè oſtenditur: quoniam ens per participationem immediatè, & actualitèr dependet ab ente per eſſentiam, ſicùt à cauſa; ſed etiam ſuppoſita productione cauſarum ſecundarum, omnis earum actio eſt ens per participationem: ergo dependet actualitèr, & immediatè ab ente per eſſentiam, nempè à Deo: ac proindè impoſſibile eſt, quod creatura operetur, quin Deus ſimultaneè, & immediatè concurrat ad eius operationem. Vt planè ſi ens per participationem produceretur independentèr ab actuali concurſu Dei, poſſet etiam conſeruari ſine illo, quandoquidèm conſeruatio eſt continuata productio, & fieri ordinatur ad *eſſe*. Ex quo vlterius fieret creaturam illam non poſſe annihilari; annihilatio enim nihil aliud eſt, quam ſuſpenſio concurſus conſeruatiui, quo creatura immediatè, & actualitèr habet continuò ſuum eſse à Deo.

Confirmatur, & explicatur: quia prius quam Deus decerneret, vt creaturæ producerent ſuos effectus, habebat tale eſse, vt ab eo, ſicut à principio immediato, dependeret omne ens creatum in ſuo fieri, & eſse; ſed per tale decretum non eſt immutatus modus eſsendi Dei; ſiquidem per decretum liberum nequit immutari modus eius eſsendi naturalis: ergo de facto, etiam ſuppoſito illo decreto, & productione cauſarum ſecundarum; adhuc omnis actio, effectus, & formalitas creata dependet actualitèr, & immediatè à Deo: & conſequentèr nulla actio poterit elici à creatura, niſi Deus immediatè concurrat ad illam. Maior patet: nam Deus pro illo priori æqualitèr reſpiciebat omne ens per participationem, vt cauſa omninò requiſita ad eius fieri, & eſse, & non reſpiciebat vnum effectum immediatius, quam alium, alias neceſſitaretur ad inſtituendum ordinem causarum ſecundarum: ergo comparabatur, vt cauſa immediata cuiuſcunque entis creati.

2. Sed arguitur primò in fauorem Durandi; nam cauſa principalis attingit effectum virtute propria, & ſine ope alterius: ſed plures causæ creatæ sunt principales, vt conſtat: ergo non egent concurſu Dei, niſi tantum mediatè, quatenùs ab eo acceperunt esse, & virtutem operandi. Explicatur hoc: etenim non requiritur concursus immediatus duorum agentium, niſi concurrant partialitèr, vt duo portantes vnum lapidem; qui concurrendi modus non habet locum in præſenti; quia Deus nequit eſse cauſa partialis: vel niſi vnum ſit tantæ imperfectionis, vt non adæquet effectum: & neque hoc poteſt dici de omni cauſa creata; cum plures excedant effectum in perfectione; ergo nulla ſuppetit vrgens ratio, vt ponamus immediatum, & ſimultaneum concurſum Dei ad omnem actionem, ſiuè effectum creaturæ.

Reſpondetur, quod ad rationem causæ principalis ſufficit, & requiritur attingere effectum virtute propria, & ſine ope alterius cauſæ particularis, & eiuſdem ordinis; minimè verò exigitur, quod operetur independentèr ab omni cauſa alterius ordinis, niſi cauſa principalis ſit etiam prima, nempè ipſe Deus. Intima quippè creaturarum conſtitutione clauditur, quòd ſicut in eſſe dependent à Deo; ita & illi, quamtumuis cauſæ principales ſint, ſubordinentur in operando: nam ſicut ſunt entia per participationem; ita etiam ſunt cauſæ ſecundæ, ſeù per participationem, & dependentiam à prima. Nec tamen ex hoc amittunt principalitatem in ſuo ordine: quia ad hoc opus erat, vt elevarentur ad effectus altiores ſe. Vnde hæc ſubordinatio creaturarum ad Deum ſicut ad concurrentem ſimul, & immediatè cum illis, non conſtituit eas in eſſe inſtrumenti; ſed competit omni cauſæ ſecundæ, quia ſecunda eſt; ſiuè principalis, ſiuè inſtrumentaria ſit. Per quod patet ad explicationem argumenti: dicimus enim requiri concurſum horum duorum agentium, non quia Deus ſit cauſa partialis, vel quia creatura ſemper ſit cauſa inſtrumentalis; ſed quia quodlibet ens creatum, quamuis producatur à creatura ſicut à cauſa principali, proxima, & particulari, debet nihilominus eſſe immediatè à Deo, ſicut à cauſa prima, & vniuerſali, à cuius dependentia nequit abſolui. Itaquè cauſa particularis, ſi principalis eſt, petit operari ſine ope alterius eiuſdem ordinis; aliàs ſi eius concurſum expoſcat, erit partialis, vel inſtrumentalis: at in cauſis per ſe ſubordinatis, & diuerſi ordinis, inferior quàmuis principalis, & totalis ſit, non excludit conſortium alterius ſuperioris: quia ſolùm petit habere totalitatem in ſuo ordine.

3. Arguitur ſecundò: quia Deus, & creatura nequeunt concurrere ad eundem effectum per diuerſas actiones; quia actiones diuerſificantur per terminos, & ita ſi terminus eſt idem, non valet terminare actiones diuerſas: neque poſſunt concurrere per eandem actionem; nam quæ agunt per eandem actionem, habent eandem virtutem agendi, vt conſtat in tribus diuinis perſonis producentibus Mundum; quod Deo, & creaturæ repugnat: ergo Deus non concurrit immediatè ad omnem effectum productum à creatura. ¶ Confirmatur: quia Deus in agendo eſt independens à creatura: ergo ſi concurrit cum illa, prius natura attinget effectum, quam actio creaturæ ad illum accedat, & conſequentèr nihil ei relinquet producendum: quod eſt abſurdum.

Reſpondetur quod per eandem actionem poſſunt attingere effectum ea, quæ ſunt diuerſi ordinis, quin indè arguatur identitas virtutis: hæc enim ſolùm colligitur ex identitate actionis in ſuppoſitis, ſeu cauſis eiuſdem ordinis, vt ſunt perſonæ diuinæ. Adde, actionem creatam non eſſe elicitiuè à Deo, ſed à ſola creatura: Deus enim per actionem in ipſo formalitèr immanentem attingit vt effectum, tùm actionem creaturæ, tùm terminum eius. Quia tamen hæc attingit ordine quodam, & terminum mediante actione creata: ideò dicitur, quod Deus, & creatura producunt terminum per eandem actionem creatam, quæ eſt à Deo effectiuè, & per modum termini; à creatura verò elicitiuè, & per modum cauſalitatis. ¶ Ad confirmationem dicimus ex ea ſolum colligi concurſum Dei eſſe independentem à concurſu creaturæ; minimè verò inferri, quod effectus, ſeù terminus productus non fiat, & dependeat ab vtroque. Intimiùs ergo, & immediatiùs dependet effectus à Deo, quam à cauſa creata; ſed hoc non probat, quod ſit à ſolo Deo: quia vnus, & idem effectus poteſt eſſe à pluribus cauſis; & prius hoc eſt, magis, & intimiùs, dependere ab vna, quam ab alia.

QVÆSTIO II.

An cauſæ ſecundæ indigeant præuio concurſu Dei, quo applicentur ad operandum.

PRæter illum concurſum, quo Deus ſimul cum creatura influit in eius operationes, & effectus, docent communiter Thomiſtæ aſſignandum eſſe alium, quo influat in ipſam cauſam, & moueat eam ad operandum: qui communiter appellatur præmotio, & prædeterminatio phyſica: *præmotio* quidem, quia antecedit actionem creaturæ; *prædeterminatio* verò, quia non datur ad agendum, vel non agendum, ſed ad hoc, vt cauſa ſecunda determinatè agat: *phyſica*, quia eſt verus, & realis influxus. Vndè in præſenti explorandum eſt, an ſufficiat concurſus Dei ſimultaneus, quem ſupra explicuimus, & ſtatuimus; an verò præter illum requiratur concurſus præuius nupèr expoſitus.

§. I.

Defenditur ſententia Thomiſtica, & auctoritate munitur.

4 DIcendum eſt, cauſam ſecundam neceſſariam indigere præmotione, ſiuè prædeterminatione phyſica, quo illam Deus applicat ad operandum. Hanc concluſionem docet ſæpiſſimè Angelicus Doctor, atquè in eius propugnationem conſpirant vnanimiter Thomiſtæ, quos proindè ſuperfluum eſt recenſere.

Probatur primò ex Ariſtot. 8. *Phyſic. textu* 33. vbi agens de ſubordinatione agentis ſecundi, & neceſſarij ad primum agens, apertiſſimè docet noſtram ſententiam ijs verbis: *Vtrumque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium: ſed magis primum: illud enim mouet vltimum; ſed non hoc primum: & ſine primo quidem vltimum non mouebit; illud autem ſine hoc, vt baculus non mouebit, non mouente manu.* Vbi, vt vides, determinat, quod licèt cauſa prima, & ſecunda concurrant ad effectum; nihilominùs prima mouet ſecundam, & non è contra.

Reſpondent primò Aduerſarij, Philoſophum intelligendum eſſe de motione communiter dicta, quatenus, ſcilicet, cauſæ ſecundæ producuntur, & conſeruantur à prima. ¶ Sed contrà: quia Ariſtot. loquitur de cauſis ſecundis, non præcisè vt ſunt entia per participationem, & dependent à Deo in eſſendo; ſed quatenùs ſunt cauſæ ſecundæ, & dependent à prima cauſa in operando: vndè infert dari vnum primum motorem, qui à nemine moueatur, & omnia moueat: ſed per illam motionem communiter dictam non ſaluatur hæc dependentia, quam adſtruit Philoſophus: ergo dicta ſolutio eſt inſufficiens. Minor conſtat, tùm ex ſe: tùm quia Ariſtot. docet, quod ſicut baculus non mouet, non mouente manu; ità causa secunda non mouet, niſi moueatur à prima; sed dependentia baculi à manu eſt in mouendo, & operando: ergo dependentia causarum secundarum à prima, de qua ibi expreſsè loquitur Ariſtot. eſt dependentia in operando; quamuis ortum trahat à dependentia in eſſendo.

5 Reſpondent secundò, ideò Ariſtot. asserere, quod Deus mouet causas secundas ad operandum, quia agit cum illis per concursum ſimultaneum. ¶ Sed contrà: quia Philoſoph. intendit in his verbis explicare dignitatem primi motoris ſuprà ſecundum: ſed hæc non ſaluatur in concurſu ſimultaneo præciſo à præuio: ergo non loquitur de concurſu ſimultaneo. Probatur minor: nàm vbi datur mutua dependentia, & connexio duorum concurſuum, non apparet excellentia vnius ſupra alium: ſed inter concurſum creaturæ, & concurſum ſimultaneum Dei præciſum à præuio adeſt mutua connexio, & dependentia: ergo. Minor conſtat: quia ſicut concurſus creaturæ nequit dari ſine concurſu Dei; ità concurſus Dei ſub ratione ſimultanei nequit eſſe abſquè concurſu creaturæ: aliàs ſimultaneus non erit, ſed alterius rationis. Quod magis apparet in actionibus vitalibus creatis, quas Deus nequit vllo pacto efficere abſquè concurſu creaturæ: ergo ex vi ſolius concurſus ſimultanei non ſplendet dignitas, & excellentia primi agentis ſuprà ſecundum, quam Ariſtotele in relatis verbis aſſeruit.

Deinde impugnatur hæc ſolutio: quoniam repugnat, quod Deus moueat aliquid, niſi agendo in illud: ſicut repugnat, quod aliquis moueat, vel trahat nauim, niſi agendo in illam: ſed Deus per concurſum ſimultaneum non agit in cauſam creatam, ſed in effectus illius: ergo per hunc concurſum non mouet cauſam creatam; & ſic neutiquam per illum ſaluatur, quod agens primum moueat ſecundum, vt diſertis verbis tradit Ariſtot. ¶ Confirmatur primò: quia cauſam ſecundam moueri, eſt mutari, ac proinde eſt recipere aliquid, per quod aliter ſe habeat nunc, ac prius: ſed Deus per concurſum ſimultaneum nihil imprimit cauſæ ſecundæ, ſed præcisè concurrit ſimul cum ea ad effectus illius: ergo Deus per concurſum ſimultaneum nequit mouere cauſam ſecundam.

6 Reſpondent tertiò, quod licèt Deus ſolùm influat per concurſum ſimultaneum; nihilominùs actio creaturæ prius eſt à Deo, quam à cauſa ſecunda: vndè per illam actionem, prout à Deo, mouetur cauſa ſecunda, & determinatur ad eliciendam eandem actionem, prout à ſe. ¶ Sed contrà: nàm implicat, quod cauſa moueatur realitèr, niſi per aliquid receptum realitèr in ea: ſed calefactio, verbi gratia, (& idem eſt de omnibus aliis actionibus formalitèr tranſeuntibus) non recipitur in igne agente, ſed in paſſo, vt demonſtrabimus *diſp.* 17. *n.* 15. & admittunt iſti Iuniores: ergo cauſa ſecunda non mouetur, & determinatur realitèr per ſuam actionem, prout eſt à Deo: ſed conſtituendum eſt aliquid præuium ad actionem, per quod determinetur cauſa ſecunda; ſiuè agat per actionem formalitèr immanentem, ſiuè per actionem formalitèr tranſeuntem: par quippè, quoad hoc, eſt omnium ratio.

Confirmatur: quoniam quando actio, & paſſio concurrunt in entitate eiuſdem motus, prior eſt conceptus actionis, quam paſſionis; motus namquè mouentis antecedit actum mobilis *ex* 3. *Phyſic. text.* 18. ſed priùs quam creatura agat, mouetur à Deo: ergo illa paſſio, qua mouetur, non coincidit realitèr cum actione creaturæ; ſed infertur ex alia actione, per quam Deus præuiè agit, determinando creaturam, vt propriam actionem ſecundum omnem realitatem eliciat. Et explicatur hoc: etenim *moueri ad agendum* ſignificat, quod motio habet pro termino ſaltem *quo* actionem rei motæ, ſicut moueri lapidem ſurſum, eſt habere pro termino, & effectu ipſum motum, & aſcenſum: ſed actio, prout à Deo, non habet realitèr pro termino ſe ipſam, prout à creatura; cum iſti conceptus non ſint realitèr diuerſi, ſed in qualibet formalitate illius actionis intimè imbibatur, quod ſit ab vtraque cauſa, prima videlicet, & ſecunda: ergo repugnat quod Deus moueat creaturam ad agendum, vt determinat Ariſtot. per eandem actionem elicitam à creatura.

Denique omnes iſtas euaſiones, & alias, quibus Aduerſarij vtuntur, futiles eſſe, & à mente Ariſtot. extraneas liquidè deprehendet, qui eius textum legerit, intu-

tumquè

mumque ſenſum tenuerit. Intentio quippè Philoſophi eò collimat, vt ex motione cauſarum ſecundarum deueniamus ad vnum primum motorem: quod probat, *quia in cauſis* (inquit) *eſſentialiter ſubordinatis non eſt abire in infinitum*. Quæ ratio, ſi procederet de concurſu præcisè ſimultaneo, nullius roboris eſſet: in agentibus namque ſimultaneè non inconuenit vt in infinitum ſyncategorematicè abeatur, vt ſi pondus nauis creſcat, vt poteſt, in infinitum ſyncategorematicè, debet etiam numerus trahentium illam in infinitum augeri. Id autem in cauſis per ſe ſubordinatis, & quarum vna mouet alias, non eſt poſſibile: quoniam ſi ſunt infinitæ, non dabitur prima, à qua incipiat motus cæterarum: & ita nulla mouebit. In cauſis verò purè ſimultaneè influentibus nulla mouet, aut determinat intrinſecè aliam; ſed omnium concurſus, ſiuè actiones tendunt directè ad effectum, vt patet in exemplo trahentium nauem. Maneat ergo, quod in ſententia Ariſtot. primum agens concurrit cum ſecundo, non ſolùm ſimultaneè; ſed etiam præuiè mouendo, atque ideò per phyſicam prædeterminationem, ſeù præmotionem.

§. II.

Expenditur prima ratio pro vera ſententia.

7 Secundò probatur ratione, quoniam nequit Deus cauſare actionem creatam, prout eſt à cauſa ſecunda, niſi præmouendo, & prædeterminando ipſam cauſam: ſed Deus cauſat actionem creaturæ, prout eſt ab ipſa cauſa ſecunda: ergo nequit non Deus præmouere cauſas ſecundas ad operandum. Minor probatur: quia Deus cauſat quidquid eſt creatum: ſed actio, prout à creatura, eſt aliquid creatum: ergo Deus cauſat illam actionem prout à creatura. Maior ſolùm eget declaratione: quia idem eſt actionem creatam, prout eſt à cauſa ſecunda, cauſari à Deo; quam quod Deus moueat cauſam ſecundam, & faciat, quod eliciat actionem: alioquin quamuis Deus cauſaret illam actionem abſolutè; ſecus verò ſub ratione, & expreſſione eſſendi à cauſa ſecunda. Sicut licèt creatura cauſet actionem, non tamen dicitur efficere illam, ſecundum quod actio eſt à Deo: non alia ratione, niſi quia non mouet, & determinat intrinſecè Deum ad operandum. Et ſimiliter in duobus portantibus lapidem, quamuis vterque ſit cauſa motus abſolutè accepti; neuter tamen eſt cauſa motus, prout ille motus eſt ab alio: eò quod vnus non mouet, aut determinat intrinſecè ſocium, ſeu comportitorem, vt in illum motum influat: ſed purè ſimultaneè ſe habent. Igitur vt Deus dicatur cauſa actionis creatæ, prout eſt à cauſa ſecunda, debet iſtam intrinſecè prædeterminare ad agendum.

Reſpondent Auctores contrarij negando minorem: quia licèt actio creaturæ realiter ſit à Deo; non tamen prout eſt à cauſa ſecunda: quamuis enim vna actio poſſit eſſe à duabus cauſis; nihilominùs repugnat, quod ſecundum quod eſt ab vna, ſit ab alia.

Sed hoc facilè refellitur: quoniam dependentia actionis creatæ à cauſa ſecunda, quam circumloquimur per *ly actio prout à cauſa ſecunda*, non eſt purum ens rationis; ſed aliquid reale, & à parte rei exercitum, vt ex ſe conſtat: ſed Deus influit in omnem formalitatem realem repertam in illa actione: ergo Deus cauſat illam actionem prout à creatura. Minor conſtat: quoniam Deus influit, vt cauſa vniuerſaliſſima, ac proindè attingit effectum ſub vniuerſaliſſima ratione entis: ſed quælibet formalitas realis reperta in illa actione habet rationem entis: ergo nulla eſt, quæ ſubterfugiat cauſalitatem diuinam. Quarè etſi in cauſis eiuſdem ordinis repugnet actionem, prout ab vna, eſſe ab alia; non tamen in ijs, quæ ſunt diuerſi ordinis, & quarum vna alteri in agendo ſubordinatur: qualiter ſe habent Deus, & creatura.

Confirmatur: quoniam Deus attingit actionem vitalem creatam ſecundum rationem vitalitatis: ſed actio hæc, vt vitalis eſt, importat eſſentialiter dependentiam à ſuo principio proximo, & intrinſeco, nempè à cauſa ſecunda; cum vitalitas in hac dependentia conſiſtat: ergo Deus cauſat actionem creatam, non ſolum quatenùs actio eſt ab ipſo Deo, ſed etiam in quantum fluit, & dependet à cauſa ſecunda. Maior eſt certa: quia actio vitalis, vt talis, exprimit magnam perfectionem: ergo ſecundum hanc rationem nequit non eſſe à Deo, qui eſt vita per eſſentiam, & principium omnis perfectionis.

8 Objicies: Deus per concurſum ſimultaneum attingit omnem formalitatem inuentam in operatione creaturæ: ergo *actio prout à creatura*, vel non reduplicat nouam formalitatem, vel illa cauſatur per concurſum ſimultaneum, & conſequentèr non expoſcit alium concurſum, quem appellamus præuium. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: nam quod Deus attingat hanc formalitatem, ſiuè expreſſionem per concurſum ſimultaneum; ideò eſt, quia hic concurſus connotat concurſum præuium, & datur à Deo, vt prædeterminante cauſam ſecundam: ſi enim Deus per præmotionem non faceret creaturam operari, non poſſet ſimultaneè, vel alio modo efficere operationem, prout à creatura. Et à ſimili conſtat in hac eadem materia: nam licèt creatura concurrat ſimultaneè cum Deo ad aliquam operationem; nequit tamen dici cauſa illius, prout eſt à Deo; quia non prædeterminat Deum ad operandum.

§. III.

Proponitur aliud fundamentum noſtræ ſententiæ.

9 Tertiò probatur: quia cauſa, quæ non præmouetur, & prædeterminatur ab alia, eſt primum mouens, & primum ſe determinans, & conſequenter primum principium: ſed repugnat, quòd cauſa ſecunda ſit primum mouens, aut primum principium, vt patet ex ipſis terminis: ergò repugnat, quod operetur, quin prius moueatur, & determinetur à prima cauſa.

Reſpondent primò Aduerſarij, creaturam non poſſe habere rationem primi principij, & mouentis: quia non poteſt agere abſquè concurſu ſimultaneo Dei. ¶ Sed contrà: quia Deus nequit efficere actionem vitalem ſine concurſu creaturæ ad illam: & nihilominus retinet rationem primi mouentis, quia non mouetur ab alio: ergo ſi creatura non præmouetur à Deo ad ſuas operationes, erit primum principium illarum; quamuis non poſſit agere ſine concurſu Dei. Hoc enim ſolùm arguit dari duo prima principia eiuſdem actionis; & ita incidere in errorem Manichæorum, ſaltem ex parte. Videantur ſupra dicta à *num.* 5.

10 Reſpondent ſecundò, quod licèt cauſa ſecunda non moueatur à Deo; adhuc tamen nequit appellari primum mouens, vel primum principium; eo quod non habet eſſe à ſe; & hoc requiritur ad denominationem primi principij. ¶ Sed contrà; nam operari ſequitur ad eſſe, & cum illo debet commenſurari: ergo ſi cauſa ſecunda habet à ſe operari, vel eſſe actuale principium operationis, erit vtique ens à ſe, & principium primum operationis, vel ſi hoc illi repugnat, pariter repugnare debet, quod habeat operari à ſe, vel independenter à præmotione diuina.

Con-

Digitized by Google

Confirmatur primò: quoniam ideò Deus habet à ſe non ſolùm virtutem operatiuam; ſed etiam eſſe actuale principium operationis, quia eſt ens à ſe: ſed cauſa ſecunda non eſt ens à ſe: ergo non ſolùm nequit habere à ſe vires operandi; ſed neque eſſe actuale principium operationis, vel hoc, quod eſt ſe determinare ad operandum: ac proindè neceſſaria eſt præmotio diuina, per quam determinetur.

Confirmatur ſecundò: quia eſſe principium actuale operationis eſt quid reale: ergo ſi cauſa ſecunda haberet à ſe eſſe principium actuale operationis, iam ſub illa ratione eſſet ens à ſe. Antecedens eſt certum: quia eſſe principium habituale operationis eſt quid reale: ergo multò magis eſſe principium actuale operationis.

11 Reſpondebis, creaturam eſſe actuale principium operationis nihil aliud importare, quam eandem cauſam ſecundam, & eius actionem; vtramque autem pendere à Deo independenter à concurſu præuio: actionem quidem per concurſum ſimultaneum; cauſam verò per concurſum conſeruantem: atque ideò ſuperfluam eſſe prædeterminationem phyſicam ad ſaluandam dependentiam, quam principium creatum actuale, & exercitum debet habere à Deo.

Sed excluditur hæc ſolutio: quoniam poſſet Deus conſeruare ignem, & calefactionem abſquè eo, quod ignis calefaceret; actio enim, quæ vitalis non eſt, poteſt conſeruari à Deo independentèr ab alio principio: ergo ignem calefacere, ſeu eſſe principium actuale, & exercitum calefactionis non dicit ſolum ignem, & calefactionem: aliàs exiſtentibus igne, & calefactione, non poſſet non ignis calefacere: ergo præter concurſum Dei conſeruantem ignem, & attingentem calefactionem, requiritur alius concurſus, per quem Deus faciat ignem calefacere, & quod calefactio ſit ab igne. Explicatur hoc: quia eſſe principium actuale, & exercitum actionis eſt eſſe id, à quo dependet actio per indiſſolubilem nexum: ſed ignis non importat ex ſe hunc nexum cum actione; nam eſt ab ea ſeparabilis, neque calefactio eſt ipſe nexus; alias penderet realiter à ſe ipſa: ergo vltrà ignem, & calefactionem addendum eſt aliquid aliud igni, ratione cuius ſit id, à quo calefactio dependet per indiſſolubilem nexum. Et idem eſt proportionabiliter in alijs cauſis ſecundis.

§. IV.

Roboratur vltimò ſententia D. Thomæ.

12 VLtimò probatur noſtra concluſio ab inconuenienti, quod declinare nequeunt Aduerſarij, quamuis in omne latus ſe vertant: quoniam ſi Deus non præmoueret cauſam ſecundam ad operandum, concurreret ſimultaneè ad eius operationem cæco, & imprudenti modo: conſequens eſt abſurdum: ergo. Sequela oſtenditur: nàm hoc ipſo, quod non determinat efficacitèr cauſam ſecundam ad operandum, ignorat quando illa incipiat operari, & an exhibitura ſit concurſum ſimultaneum, nec ne; ergo ignorat, an ſuus concurſus obtenturus ſit finem, ſiuè effectum, prò quo exhibetur, vel non: ac proindè concurrit ſimultaneè, vel parat concurſum ſimultaneum cæco, & imprudenti modo.

Occurrunt auctores contrarij dicendo, Deum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcere, quod cauſæ naturales neceſſariò operabuntur: quia natura eſt determinata ad vnum: & conſequenter non temerè, ſed ſapientiſſimè exhibere concurſum ſimultaneum, quamuis præuiè non determinet creaturam. ¶ Sed hoc facilè refellitur: quoniam licèt cauſæ naturales, ſecluſis impedimentis, ſint in ſuo ordine determinatæ ad operandum; attamen poſſunt impediri per alias cauſas liberas efficaciores: ergo niſi Deus efficacitèr applicet cauſas neceſſarias ad agendum, ignorat an influxuræ ſint, vel non: atque ideò imprudenti, & cæco modo præparat concurſum ſimultaneum ad agendum cum illis.

13 Nec refert ſi reſpondeas, Deum per ſcientiam mediam præcognoſcere, vtrum cauſæ liberæ impeditur æ ſint cauſas neceſſarias, vel non: ac proindè independenter à præmotione phyſica harum cauſarum ſcire, an ſint exhibituræ ſuum concurſum. Non, inquam hoc refert: nam ſcientia illa media (quam alias pluribus poſſemus euertere vt Diuis Auguſt. & Thomæ contrariam, maximè autem veritati) in opinione illam admittente non eſt practica, aut factiua ſui obiecti; ſed illud præſupponit; & omnes dependentias eſſentialitèr requiſitas ad exiſtentiam eius: ergo ſi non requiritur præmotio phyſica, ſupponet hæc ſcientia Deum concurrentem cæco, & imprudenti modo. Probatur conſequentia: quia ex vi huius modi concurrendi, videlicet per nudum concurſum ſimultaneum; vt præſuppoſiti ad ſcientiam mediam, non poteſt Deus ſcire, an creatura influxura ſit, vel non, vt conſtat ex dictis: ergo ſi hæc ſcientia media ſupponit Deum concurrentem hoc modo, ſupponit illum concurrentem ſine ſcientia, & prouidentia.

Quod magis explicatur: quia apud illos Auctores id, quod præſupponit ſcientiam mediam, non requiritur ad exiſtentiam actionum cauſarum ſecundarum; cum ipſa ſcientia ſupponat ſuum obiectum, & omnes dependentias ad illius exiſtentiam requiſitas; ſed apud illos concurſus ſimultaneus primæ cauſæ collatus prudenti modo, & ex determinata intentione effectus, vt infallibilitèr ponendi, ſupponit ſcientiam mediam; ille verò, qui hanc ſcientiam antecedit, & requiritur ad exiſtentiam obiecti, nequit eſſe ex prouidentia, & conſilio, ſed cæco, & ignoranti modo, vt conſtat ex dictis; ergo concurſus Dei, qui requiritur ad effectum, eſt ſine conſilio, & prudentia; ille vero, qui eſt cum ſcientia, & deliberatione, non requiritur. Quo quid abſurdius?

Confirmatur tota hæc ratio: quoniam hoc ipſo quod Deus decernat concurrere v. g. cum igne, priùs quam actu concurrat, intelligitur cum fundamento in re vnitus eidem in actu primo aliquo peculiari modo, quo non intelligeretur, ſi decreuiſſet non concurrere cum illo: ergo intelligitur ſpecialis habitudo inter Deum, & ignem, quæ non eſſet, ſi Deus oppoſitum decreuiſſet; at nequit ſuboriri noua habitudo inter duo extrema ſine mutatione vnius: ergo debet ignis in hoc caſu intrinſecè præmoueri. Probatur hæc conſequentia; quoniam imprimis repugnat Deum mutari; deindè mutatio ex parte temporis, vel alicuius extrinſeci eſt inſufficiens; cùm quia poſſet Deus conſeruare ignem, etiam ſi non eſſet tempus; cùm quia id ſolum, quod eſt intrinſecum, & inhærens, poteſt formalitèr immutare; ergo vt intelligatur ſpecialis habitudo inter Deum, & ignem paratos in actu primo proximo ad influendum, debet ignis mutari per aliquid intrinſecum, quod cùm antecedat actionem, appellatur propriſſimè præmotio.

§. V.

Conuelluntur argumenta negatiuæ opinionis.

14 COntrariam ſententiam defendunt plures Moderni; quam ſuadere conantur primò ex Ariſtot. 3. *Phyſic. text.* 18. vbi loquens de cauſis ſecundis neceſſarijs docet, quod agens, vt agens, non mutatur;

Digitized by Google

ſed ſi cauſa ſecunda egeret præmotione phyſica ad agendum; non poſſet non mutari: ergo hæc præmotio non eſt neceſſaria. ¶ Confirmatur: quia Ariſtot. frequentèr docet, cauſas neceſſarias eſſe omninò ex ſe determinatas ad operandum: ergo ex mente eius non requiritur aliqua præmotio, per quam determinentur.

Reſpondetur Ariſtot. ſolum intendere, quod agens, vt tale, non mutetur per actionem à ſe elicitam; minimè verò, quod agens creatum non moueatur à primo agente; cum id manifeſtè ſtatuat 8. Phyſic. vt vidimus §. 1. Quare eius auctoritas retorqueri debet in Aduerſarios: nam Philoſophus docet, quod creatura mouetur à Deo ad agendum; & aliàs determinat, quod non mouetur per actionem ab ea procedentem: ergo ſentit, quod mouetur per aliquid præuium ad actionem; & hoc intendimus. ¶ Ad confirmationem dicimus, cauſam ſecundam neceſſariam eſſe completam, & determinatam in ſuo ordine; indigere tamen applicatione cauſæ primæ: quia eſt agens ſecundum, & poteſt impediri per agentia libera, vt patet ex dictis.

15 Arguitur ſecundò: quia indigere motione, & applicatione facta à cauſa ſuperiori eſt proprium inſtrumentorum: ſed plures cauſæ ſecundæ ſunt principales, illæ videlicet, quæ habent virtutem eiuſdem perfectionis cum effectu producto: ergo non egent ad illius attingentiam præmoueri, & applicari per primam cauſam.

Reſpondetur proprium cauſæ inſtrumentalis eſſe moueri ad attingendum effectum perfectiorem ſe, atquè excedentem propriam virtutem. Quare cum cauſæ ſecundæ non ſemper applicentur à Deo ad producendum effectus excedentes illarum perfectionem, non amittunt conceptum cauſæ principalis: tametſi applicantur à Deo ad agendum ob generalem rationem cauſæ ſecundæ: quæ ſicut in eſſendo, ita in agendo dependet à prima. ¶ Adde, nullam cauſam creatam producere principalitèr exiſtentiam effectus: quia nequè virtus radicalis, nequè virtus proxima eſt ita actualis ſicut exiſtentia: & ideò cauſa non habet ex ſe ſufficientem actualitatem ad illam attingendam: exiſtentia enim cauſæ, quæ ſola eſt eiuſdem perfectionis cum exiſtentia effectus, non eſt actiua; ſed habet rationem termini, & actualitatis eſſentiæ. Similiter creatura non attingit per modum cauſæ principalis rationem entis, quæ imbibitur in effectu: nam hæc ratio, vtpotè quantum eſt de ſe vniuerſaliſſima, debet attribui tanquam cauſæ principali, vniuerſaliſſimo principio, nempè Deo. Vnde cauſa ſecunda ſubit rationem inſtrumenti in attingentia exiſtentiæ, & gradus entis: & ſic nil mirum, quod applicetur, & præmoueatur à Deo in omni actione, cùm in ea exiſtentia, & entitas inueniantur. Nihilominùs non eſt purum inſtrumentum: quia concurrit per modum cauſæ principalis ad effectum ſecundum ſpeciem acceptum: ad quam rationem attingendam, non eget motione eleuante, & dante virtutem; ſed ſolùm applicante, & inferente actionem.

16 Arguitur tertiò: quoniam abſquè concurſu præuio ſaluatur omnis dependentia, quam cauſa ſecunda, & eius actio, & effectus debent habere à Deo: ergo hic concurſus ſuperfluè ponitur à nobis. Suadetur antecedens: quia hoc ipſo, quod cauſa ſecunda nequeat agere ſine concurſu ſimultaneo Dei, iam dependet ab ipſo in operando: & aliàs concurſus ſimultaneus Dei attingit immediatè actionem, & effectum: ergo ſaluatur, quod hæc omnia dependeant à Deo, etiamſi remoueatur concurſus præuius.

Confirmatur: nam concurſus proprius cauſæ debet conſiſtere in aliquo, quod habeat infallibilem connexionem cum actione cauſæ ſecundæ; itaût illo poſito nequeat iſta non poni: hoc autem conuenit concurſui ſimultaneo; ſecùs autem concurſui præuio: ergo Deus non influit cum creaturis, niſi ſimultaneè. Minor quoad primam partem eſt euidens, implicat enim intelligere, quod Deus concurrit ſimul cum creatura, quin hæc concurrat ſimul cum Deo. Secunda verò pars etiam probatur, tùm quia concurſus præuius eſt priùs natura, quam actio creaturæ, & conſequentèr eſt independens ab ea: ergo poterit ab illa ſeparari. Tum etiam, quia Deus poteſt ſuſpendere omne principium agendi ab actuali actione: ſed quod præuiè imprimeretur creaturæ, eſſet principium actionis eius: ergo poſſet ſeparari ab ipſa actione, & conſequenter non habet infallibilem nexum cum illa.

Ad argumentum negatur antecedens, cuius probatio facilè eliditur ex hactenus traditis; quoniam licèt per concurſum ſimultaneum dependeat creatura in ſua operatione à Deo; non tamen dependet in ſe ipſa, prout eſt actuale, & determinatum principium agendi. Quæ ratio, cùm ſit aliquod prædicatum reale, neceſſario debet eſſe à Deo influente per aliquem concurſum. Præterquam quod actio creaturæ, *prout ab illa*, debet etiam eſſe à Deo: ſi autem Deus influeret ſolùm ſimultaneè, & in actionem; non autem præuiè, & in cauſam, attingeret quidem actionem abſolutè, ſecùs verò prout eſt à cauſa ſecunda. Vnde dixit eleganter Caiet. 1. 2 *qu.* 8, *art.* 5. quod ſi Deus non moueret ſolem ad illuminandum, non eſſet cauſa illuminationis ſolis, quamuis eſſet cauſa illius illuminationis, quæ eſſet à ſole.

Ad confirmationem reſpondetur negando minorem quoad ſecundam partem, cuius prima probatio non vrgèt: plura enim ſunt priora alijs, & *independentia* ab eis; à quibus tamen ſeparari non valent, vt videre eſt in cauſa actu cauſante, quę eſt prior ſuo effectu, & ab illo independens: & nihilominùs nequit ſeparari ab eo: alias non eſſet actu cauſans. Quod à fortiori dicendum eſt de præmotione phyſica; quia procedit ex voluntate efficaci Dei decernentis, quod cauſa ſecunda operetur; ac proindè habet infallibilem connexionem cum actione creaturæ per modum applicationis, quę reducit cauſam ad actum ſecundum. Quod ſi dicta operatio non ſequeretur, creatura redderet voluntatem *Dei* inefficacem: quod eſt impoſſibile. Per quod reſpondetur ſecundę probationi; nam licet Deus poſſit omne principium operandi creatum ſuſpendere ab actuali operatione, quando non eſt pręmotum efficaciter ad agendum; ſecus autem ſi efficaciter pręmoueatur, vel ſit ipſa pręmotio; tunc enim nequit in ſenſu compoſito poni ſuſpenſio actus.

17 Vltimò arguitur; quia explicari nequit, quid ſit iſta motio, vel ad quod prędicamentum pertineat; ergo eſt impoſſibilis.

Reſpondetur primò motionem hanc eſſe applicationem efficacem cauſę ſecundę ad operandum, & habere eſſe fluens, viale, & incompletum; ac proindè non ſpectare per ſe ad aliquod prędicamentum, ſed reduci ad prędicamentum termini, quem producit. Specialiter autem pertinet ad poſtprędicamentum motus; qua ratione D. Thom. frequenter eam motum appellat: quia iſtud poſt prędicamentum complectitur, & motum, qui non eſt principium agendi, & motum, qui applicando potentiam actiuè, concurrit ad eius operationem; vterque enim eſt quid fluens, & viale. ¶ Reſpondetur ſecundò, quod hęc motio eſt quædam qualitas fluens, & habens modum motus; & idcirco non conſtituitur in ſpecie potentię; ſed ſpectat ad ſpeciem diſpoſitionis ſaltem reductiuè. Datur quippe, vt creaturam faciat infallibiliter operari, & prò determinata operatione, ob idquè non habet eſſe permanens; ſed ſimul cum ipſa operatione tranſit.

Dices; ideò calor, & alia quęuis potentia debet pręmoueri à Deo, quia eſt principium agendi creatum; ſed

hęc

Digitized by Google

hæc motio, ſiuè ſit motus, ſiuè qualitas, eſt quid creatum: ergo vel debet præmoueri à Deo, & ſic dabitur proceſſus in infinitum, vel ſi non eget diſtincta motione, eadem ratione alia principia creata poterunt influere, quin præmoueantur.

Reſpondetur negando conſequentiam: quoniam hæc motio eſt ipſa actualis applicatio, & ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad primam, & ſic non indiget alia præmotione: ſicut quia relatio eſt id, per quod alia referuntur, non eget alia relatione, per quam ipſa referatur. Cauſæ autem ſecundæ non ſunt ipſa præmotio; ſed tantum ſunt præmobiles à Deo. Maximè cum hæc qualitas, vel motus ſit participatio efficacitatis, & actualitatis diuinæ, deferatquè imperium Dei ad creaturam: & ideò ſeipſa eſt efficax ad determinandum alia, abſquè eo quod illi aliquid ſuperaddatur ad præſtandum hunc effectum: quia per ſe ipſam eſt actualis determinatio, & in hoc eius quidditas conſiſtit.

18 Inquires, quis ſit terminus, & effectus huius motionis? ¶ Reſpondetur, quòd ſicut effectus productus à cauſa ſecunda fit ab illa vt *quod*; actio verò, per quam attingit effectum, fit, & egreditur ſolùm vt *quo*: ità effectus *qui* præmotionis in genere cauſæ efficientis eſt idem effectus creaturæ; terminus autem *quo* eſt actio eius. Quare eundem effectum habet hæc præmotio, ſiuè applicatio, ac cauſa præmota, & applicata. Diximus in *genere cauſæ efficientis*; nam in genere cauſæ formalis proprius, ac primarius eius effectus eſt reddere per ſe ipſam cauſam ſecundam efficaciter applicatam, & præmotam ad agendum. Et hæc de ſubordinatione, quam cauſa ſecunda neceſſaria habet ad primam in operando, intelligenda ſunt. Quid autem circa liberas tenendum ſit, non libet in præſenti determinare; quamuis non obſcurè colligatur ex dictis. Videatur D. Thom. 1. *p. qu.* 105. *art.* 5. *&* 1. 2. *q.* 9. *art.* 4. *&* 6. *& quæſt.* 3. *de potentia art.* 7.

DISPVTATIO XII.

De inſtrumentis.

AD perfectiorem cognitionem cauſæ efficientis, opus eſt vt circà notitiam inſtrumentorum, quæ ad illam reducuntur, aliquantiſper immoremur inueſtigantes propriam illorùm conſtitutionem. Quam in præſenti diſputatione aperire elaborabimus.

QVÆSTIO I.

An inſtrumentum debeat moueri à cauſa principali.

INſtrumentum aliud eſt naturale, nempè quod aſſumitur ad attingendum effectum naturalem excedentem eius virtutem, vt ſemen animalis ad prolem; aliud ſupernaturale, quo vtitur Deus ad producendum effectum excedentem vires naturæ, vt ſacramentum ad gratiam; aliud artificiale deſeruiens ad perficienda opera artis, vt ſerra ad ſcamnum. Præſens ergo difficultas procedit de inſtrumentis naturalibus; hæc enim pertinent ad phyſicam conſiderationem. Ob connexionem tamen doctrinæ, non nihil neceſſariò dicemus de alijs inſtrumentis, maximè ſoluendo argumenta. Nomine autem motionis intelligimus receptionem alicuius intrinſeci, quod ab agente principali deriuetur in inſtrumentum, per quod eleuetur ad attingentiam effectus, qui proprias eius vires excedit.

§. I.

Propugnatur ſententia affirmans.

1 DIcendum eſt, eſſe de ratione inſtrumenti moueri ab agente principali. Hanc concluſionem docet D. Thom. pluribus in locis, & præcipuè 3. *par. q....* *art.* 4. *in corpore*, vbi inquit; *Inſtrumentum non operatur, niſi inquantum eſt motum à principali agente, & qu.* 27. *de veritate art.* 4. dicit; *Eſt ratio inſtrumenti, inquantum eſt inſtrumentum, vt moueat motum.* Quarè hæc ſententia communis eſt inter diſcipulos S. Doctoris. Videantur Caietan. *loco citato ex* 3. *p.* Capreolus *in* 4. *diſt.* 1. *p. qu.* 1. Nazarius 1. *p. qu.* 45. *art.* 5.

Probatur ratione ſatis efficaci; quia de ratione inſtrumenti eſt eleuari ad attingendum effectum agentis principalis; ſed non valet eleuari, niſi recipiat aliquid intrinſecum à cauſa præcipua deriuatum; ergo de ratione inſtrumenti eſt agere vt motum à cauſa principali. Maior conſtat; quia effectus agentis principalis excedit vires proprias inſtrumenti; ergo repugnat, quod inſtrumentum illum producat, niſi eleuetur ad eius attingentiam. Minor etiam liquet; quia non eſt intelligibile, quod inſtrumentum eleuetur, niſi alitèr ſe habeat nunc, ac anteà: ſed implicat, quod alitèr ſe habeat, niſi recipiendo aliquid intrinſecum, per quod moueatur; quandoquidèm alitèr ſe habere, & non mutari ſunt prędicata manifeſtè repugnantia; ergo.

2 Nec refert ſi occurras primò cum aduerſarijs dicendo, inſtrumenta eleuari per coniunctionem, & ſubordinationem ad cauſam principalem, quę ſe tenet ex parte actus primi, & antecedit ſecundum; hęc autem ſubordinatio nihil ponit intrinſecum in inſtrumento; & ideò benè poteſt inſtrumentum eleuari à cauſa principali, & conſequentèr attingere effectus illius; quamuis non participet ab ea aliquid intrinſecum; per quod moueatur.

Non, inquam, hoc refert; quoniam non poſſumus intelligere, quod inſtrumentum ſpecialiter ſubordinetur agenti principali, & quod eodem prorſus modo ſe habeat ſicut antea; ergo nequit eleuari ſiuè per ſubordinationem, ſiuè alio modo, abſquè intrinſeca mutatione.

Antece-

Digitized by Google

Antecedens ſuadetur, & explicatur in inſtrumentis diuinæ virtutis: nam eo ipſo, quod aliqua creatura ſubordinetur ſpecialitèr Deo, & Deus ſpecialiter illi aſſiſtat in ordine ad productionem alicuius effectus, datur ſpecialis habitudo eius creaturæ ad Deum, quæ non inuenitur generalitèr in omni creatura, vt ex ſe liquet: ſed non poteſt dari noua habitudo inter duo extrema, eiſdem permanentibus ſicut antea; alias ſine fundamento conſurgeret: ergo cum Deus ſit immutabilis, non poterit non immutari creatura, qua vtitur ſicut inſtrumento: & conſequenter fictitia, & vana eſt ſpecialis, & noua ſubordinatio abſque intrinſeca mutatione inſtrumenti.

Confirmatur primò: quia inſtrumentum eleuatur à principali agente, & ſubordinatur illi, vt contineat aliquo modo eius effectum, & illum extra ſe emittat; hæc quippè munia ſunt de conceptu cuiuſcumque cauſæ efficientis, & ſine iis non eſt intelligibilis verus influxus: ſed implicat, quod aliquid ſine vlla ſui mutatione verè & realiter contineat id, quod prius non continebat, vel quod emittat extra ſe id, quod in ſe nullo modo habet: ergo nequit inſtrumentum eleuari ſufficienti modo per ſubordinationem, niſi per eandem recipiat aliquid intrinſecum.

Confirmatur ſecundò: quoniam inſtrumentum influit, vt cauſa diſtincta ab agente principali, licet ei ſubordinata: ſed vt duo agentia concurrant vt duo, quamuis cum ſubordinatione vnius ad alium, requiruntur duæ virtutes habentes ſimilem ſubordinationem: qua diuerſitate ſublata, nequeunt concurrere, vt duæ cauſæ, licet ſint diuerſa ſuppoſita, vt patet in perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis: ergo virtus, per quam inſtrumentum conſtituitur in eſſe talis, diſtinguitur realiter à virtute exiſtente in cauſa principali, ac proindè eſt intrinſeca inſtrumento.

3 Reſpondebis ſecundò inſtrumenta non eleuari ad eſſe; ſed ſolum ad operari: ac proindè non recipere aliquam virtutem intrinſecam, & pertinentem ad actum primum; hæc quippè pertineret ad ordinem eſſendi. ¶ Sed hoc effugium facilè præcluditur: quoniam hoc ipſo, quod inſtrumentum eleuetur ad operandum, ſiuè producendum effectum, debet eum præcontinere aliquo modo prius natura, quam illum producat, seù extra ſe emittat: ergo debet prius conſtitui in actu primo, quam in actu ſecundo, & conſequenter debet ei aliquid imprimi pertinens ad ordinem eſſendi, per quod conſtituatur in actu primo, & contineat effectum aliquo modò, hoc eſt, in ordine cauſæ inſtrumentalis.

Reſpondebis tandem, concedendo inſtrumentum eleuari per aliquid intrinſecum: hoc autem non eſſe aliquam virtutem pertinentem ad actum primum; ſed eſſe ipſam actionem inſtrumenti, provt egreditur à cauſa principali. Nam iſtius concurſu redditur illa actio vigoroſior, & virtuoſior, quam eſſet ex ſe: atque ideò non expoſtulat aliquam virtutem à ſe diſtinctam, & inſtrumento inhærentem, deriuatam à cauſa principali. ¶ Hæc tamen ſolutio non ſubſiſtit: quia id, in ordine ad quod requiritur eleuatio, nequit eſſe ipſa eleuatio, ſicut id, ad quod datur virtus, non eſt ipſa virtus; ſed terminus, vel effectus eius: atqui inſtrumentum indiget eleuatione ad eliciendam actionem inſtrumentalem, per quam attingit effectum principalem: ergo eleuatio nequit conſiſtere in ipſa actione; ſed diſtinguitur ab ea, & eſt principium illius.

4 Ex dictis à fortiori deducitur inſtrumenta diuinæ virtutis ad attingendum effectus ſupernaturales indigere aliqua virtute ordinis ſupernaturalis, per quam intrinſecè eleuentur, & conſtituantur in actu primo; repugnat enim, quod cauſa prodeat in actum ſecundum, niſi prius illum contineat in actu primo. Porrò in creaturis antecedenter ad eleuationem nihil eſt, per quod vltimatè, & cum ſufficienti proportione effectus ſupernaturales contineant. Nam licet aliqui autument ineſſe omnibus rebus potentiam obedientialem; quæ ſit proximè actiua effectuum ſupernaturalium, & per hanc, abſque alia additione, conſtitui inſtrumenta diuinæ virtutis; id tamen falſitatis conuincitur. Tum quia Diuus Thom. 2. 2. *quæſt.* 178. *artic.* 1. *ad* 1. & *quæſt.* 6. *de veritate art.* 4. docet creaturam non poſſe eleuari ad attingendá omnia opera ſupernaturalia per aliquod habituale, & permanens: conſtat autem prædictam potentiam, quam aduerſarij confingunt innatam rebus, fore permanentem: ergo. Tum etiam quia cauſa inſtrumentalis continet perfectionem effectus, & quo perfectior eſt iſte, eò proportionabiliter creſcit perfectio inſtrumenti: ſed perfectio effectuum ſupernaturalium eſt infinita, ſaltem ſyncategorematicè: ergo ſi in rebus datur potentia, quæ ſine aliqua additione poſſit omnes illos attingere, erit infinitè perfecta; quod eſt abſurdum. Tùm denique: quia cuicumque virtuti ſufficienter, & vltimò conſtitutæ in actu primo debetur concurſus Dei ad actum ſecundum, & ad attingendum effectum; ergo ſi cuilibet creaturæ ineſt potentia obedientialis proximè actiua, per quam abſque additione, & immutatione intrinſeca conſtituatur in eſſe inſtrumenti diuinæ virtutis ad effectus ſupernaturales; omni creaturæ erit debitus concurſus ſupernaturalis Dei ad patrandum opera ſupernaturalia, & miraculoſa: quod proculdubio eſt maximum abſurdum, & illi omnes Theologi reſtagantur. Stet igitur prædictam potentiam fictitiam eſſe, & à modernis quibuſdam abſque maiorum auctoritate, & rationis pondere recenter inuentam: vt Thomiſticæ, & communis ſententiæ rationes eluderent. Id quod minimè aſſequuntur; ſed dum à vero exorbitant in rebus minoris momenti, compelluntur poſtea in falſum adeò dicendi modum impingere.

§. II.

Reſpondetur argumentis opinionis contrariæ.

5 Oppoſita ſententia negat eſſe de ratione inſtrumenti, quod eleuetur per aliquam virtutem intrinſecam communicatam à cauſa principali. Ita Suarez *diſput.* 17. *Metaph. ſect.* 2. quod poſtea *tomo* 1. *in* 3. *p. diſput.* 31. *ſect.* 5. extendit etiam ad inſtrumenta diuinæ virtutis in ordine ad effectus ſupernaturales, adſtruens ineſſe cuicumque creaturæ potentiam obedientialem proximè actiuam ad cooperandum Deo in omni eo, quod non implicat contradictionem. Cuius placitum ſectatores habet iuniores eiuſdem inſtituti.

Suadetur primò: quoniam vel inſtrumentum per virtutem intrinſecam ſibi communicatam redditur omninò proportionatum ad attingendum effectum, vel non? ſi primum: amittet munus inſtrumenti, & fiet cauſa principalis: ſicut quia intellectus perfuſus lumine gloriæ habet omnimodam proportionem ad viſionem beatificam, idcircò eſt cauſa principalis illius. Si ſecundum: indigebit vlteriori eleuatione, & ſic in infinitum, vſque dum habeat debitam proportionem ad attingendum effectum. Inſtrumentum igitur non eleuatur per aliquid intrinſecum; ſed per nudam ſubordinationem ad agens extrinſecum. ¶ Confirmatur: nam ſi inſtrumentum attingit effectum per virtutem illi inæqualem, & inferiorem, ideò eſt quia ratione huius virtutis ſubordinatur agenti principali, in quo eſt virtus omninò adæquata, & proportionata: ſed vt inſtrumentum ſubordinetur agenti principali non eget aliquo ſibi ſuperaddito; ergo non eleuatur

Digitized by Google

tur per aliquid intrinſecum, & deriuatum à cauſa principali. Minor probatur: tùm in calore naturali, qui per propriam entitatem ſubordinatur animali, in quo eſt, ad producendam carnem. Tùm in colore, qui ſe ipſo ſubordinatur luci ad producendas ſpecies intentionales immaterialiores ſe.

Reſpondetur ad argumentum, quod duplex proportio diſtinguenda eſt in cauſa efficienti ad attingendum effectum. Nam alia adæquat omninò eius perfectionem, & conſequenter conſtituit cauſam principalem: quo pacto intellectus fit proportionatus per lumen gloriæ ad eliciendam viſionem beatam. Quam proportionem euidens eſt non poſſe adaptari inſtrumentis. Alia proportio eſt per modum tendentiæ, & viæ: qua ratione motus habet ſufficientem proportionem ad attingendum terminum: licèt ſit imperfectior, quam ille: & ſemen animalis eſt ſufficienter proportionatum ad generandum animal; quamvis illud non adæquat in perfectione. Nam hæc proportio non expoſtulat fieri per æqualitatem; ſed ſolùm per aliqualem imperfectam continentiam. Et hoc modo inſtrumentum proportionatur per virtutem intrinſecam ſibi ſuperadditam, quin opus ſit procedere in infinitum, quia eo ipſo, quod hæc virtus ſit inſtrumentaria, habet neceſſariò hæc duo, nimirùm eſſe minoris perfectionis, quam effectus, atquè ideò non conſtituere cauſam principalem; & ſimul non indigere alia eleuatione, cum ipſa per ſe ſit formaliter eleuatio. Inſtrumentum autem ante illam non eſt eleuatum, aut vltimò proportionatum; ſed ſolum eleuabile: & idcircò eget aliquo ſibi ſuperaddito, per quod proportionetur ad attingentiam effectus.

Per quod patet ſolutio ad confirmationem: dicimus enim ſubordinationem conſtitutiuam inſtrumenti debere eſſe talis conditionis, vt per illam contineat effectum, ſaltem imperfectè. Id autem minimè competit, ante receptionem alicuius intrinſeci denuò communicati, inſtrumentis rigoroſis; quidquid ſit de virtutibus inſtrumentarijs, qualis eſt potentia generatiua in animalibus: quæ quia ſunt ipſa virtus agentis principalis, & non conſtituunt diuerſam cauſam, fortaſſis agere poſſunt inſtrumentariè abſque aliqua additione. Per quod poterat ſolui prima inſtantia: addimus tamen hoc, quod eſt calorem eſſe virtutem animalis addere aliquam formalitatem diſtinctam ab illo ſecundum ſuam ſpeciem accepto: quæ licèt ex ſe ſit fluens, habet nihilominùs modum permanentis: & per eam manet calor habitualitèr eleuatus. Ad ſecundam dicimus, lucem non eſſe omnino extrinſecam colori; ſed hunc formalitèr, & intrinſecè aliquid lucis participare. Sed de hac difficultate plura dicemus *in lib. de Anima diſp.* 10. à quibus proindè abſtinemus in præſenti.

6 Secundò arguitur: quia plura ſunt inſtrumenta, quæ nequeunt recipere aliquid intrinſecum à cauſa principali: ergo non eſt de conceptu inſtrumenti agere vt motum. Suadetur antecedens pluribus inſtantijs: nam imprimis ſemen eſt inſtrumentum generantis: & tamen quando concurrit ad generationem, nequit ſæpè ſæpius aliquid recipere à generante; cum iſtud tunc, vel non ſit exiſtens, vel ſit abſens: ergo. Deindè phantaſmata ſunt inſtrumenta intellectus agentis ad producendas ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili: & tamen nihil intrinſecum participant ab intellectu agente; non quidem aliquid corporeum, cum id ſit ineptum ad productionem effectus ſpiritualis, qualis eſt ſpecies intelligibilis; neque etiam ſpirituale, hoc quippe inhærere non valet ſubiecto corporeo, quale eſt phantaſma: ergo. Et eadem difficultas expendi poteſt in ſacramentis, quæ elementa corporalia ſunt, & attingunt effectum ſpiritualem, nempè gratiam.

Reſpondetur negando antecedens, cuius primam probationem diſſoluit D. Thom. *qu.* 3. *de potentia art.* 11. *ad* 5. his verbis: *Inſtrumentum tandiù ab agente principali moueri intelligitur, quamdiù retinet virtutem ab illo impreſſam. Vndè ſagitta tandiù mouetur à proijciente, quamdiu manet vis impulſus proijcientis. Sicut etiam generatum, tandiù mouetur à generante in grauibus, & leuibus, quamdiù retinet formam ſibi traditam à generante. Vnde & ſemen tandiù intelligitur moueri ab anima generantis, quamdiù remanet ibi virtus impreßa ab anima, licet corporaliter ſit diuiſum.*

Circa ſecundam inſtantiam examinandum erat, an phantaſma concurrat effectiuè ad productionem ſpeciei intelligibilis: an ſolùm materialiter diſpoſitiuè. Quam difficultatem non libet verſare in præſenti, quia propriam ſedem habet *in lib. de Anima*, vbi *diſp.* 20. illam ex profeſſo extricabimus. Sufficiat dicere, quod ſi phantaſma eſt inſtrumentum rigoroſum, eleuatur per aliquod participium luminis deriuati ab intellectu agente, & in eo recepti per modum tranſeuntis, vt magis conſtabit ex dicendis.

Ad vltimam inſtantiam reſpondetur ſacramenta eleuari per aliquid ſpirituale, & ſupernaturale, receptum in eis vialitèr, ſiuè tranſeuntèr, vt elegantèr docet Angelic. Doct. 3. *p. qu.* 62. *art.* 4. *ad* 1. vbi inquit: *Dicendum, quod virtus ſpiritualis non poteſt eſſe in re corporea per modum virtutis permanentis, & completæ. Nihil tamen prohibet in corpore eße virtutem ſpiritualem inſtrumentaliter: in quantum ſcilicet corpus poteſt moueri ab aliqua ſubſtantia ſpirituali ad aliquem effectum ſpiritualem inducendum. Sicut ipſa voce ſenſibili eſt quadam vis ſpiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit à conceptione mentis. Et hoc modo vis ſpiritualis eſt in ſacramentis, inquantum ordinantur à Deo ad effectum ſpiritualem.*

7 Sed replicabis: implicat quod forma ſpiritualis dependeat in eſſe, fieri, & conſeruari à ſubiecto corporeo: ſed accidens dependet in eſſe, fieri, & conſeruari à ſubiecto, cui ineſt: ergo repugnat, quod accidens ſpirituale recipiatur in ſubiecto corporeo.

Reſpondetur, maiorem eſſe veram lóquendo de forma accidentali completa, & permanenti; ſecus verò, ſi intelligatur de forma viali, & per modum tranſeuntis. Cuius differentiæ ratio eſt: quoniam forma accidentalis completa, qua parte eſt accidens, dependet à ſubiecto, & qua parte eſt completa, & permanens commenſuratur cum ſubiecto, & recipitur ad modum recipientis. Cæterùm forma vialis, & incompleta, licèt quatenus eſt accidens dependeat à ſubiecto, attamen quatenus fluens eſt, & habet rationem viæ ad vlteriorem terminum ſpiritualem, non debet commenſurari cum ſubiecto, ſed cum forma ſpirituali, ad quam promouet illud, & ſic euadit ſpiritualis. Porrò hæc diuerſitas inter accidens permanens, & tranſiens non deſumitur ex maiori, vel minori duratione actuali: ſpiritualis quippè virtus, ſi fuerit completa, nequè per vnum inſtans poteſt eſſe in ſubiecto corporeo, incompleta autem, & vialis poteſt per accidens exiſtere in illo per multum tempus. Sed differentia deſumitur ex eo, quod forma vialis habet rationem medij, & tendentiæ ad vlteriorem terminum, cum quo proindè commenſurari ſimpliciter debet in ratione corporeæ, vel ſpiritualis: quod non competit formæ ſpirituali completæ.

Quod poteſt vlterius explicari: etenim ex ſubſtantijs ſpiritualibus quædam ſunt formæ completæ, vt Angelus, & iſtæ nequeunt dependere à corpore, nequè recipi in illo: aliæ autem ſunt incompletæ, vt anima noſtra, & his licèt repugnet dependere in ſuo eſſe à corpore, non tamen recipi in eo. Sic etiam in accidentibus ſpiritualibus datur ſua latitudo: quædam enim ſunt completa, & permanentia, quæ proindè commenſurantur cum ſubiecto, & reci-

Digitized by Google

recipiuntur ad modum recipientis, atque ideò nequeunt ineſſe corpori. Alia verò ſunt minus perfecta, incompleta, & habentia eſſe viale: & hæc ſolùm tangunt ſubiectum, quaſi in tranſitu; & vt ipſum promoueant ad altiorem ordinem, & terminum: vndè poſſunt recipi in ſubiecto corporeo: quia non attingunt illud, quatenus corporeum eſt, & diſtinctum à re ſpirituali; ſed quatenus habet potentiam obedientialem. Quæ licet intimè tranſcendat per corpus, & corporea ſit; attamèn non competit corpori, qua corpus eſt, ſed ex generali ratione entis creati, in qua conueniunt omnia entia ſpiritualia, & corporea. Quapropter deſeruire poteſt ad receptionem accidentis ſpiritualis imperfecti, incompleti, & per modum tranſeuntis. Quæ omnia illuſtrari valent exemplo ſpecierum intentionalium, quæ ſunt immaterialiores quam medium; & nihilominus queunt recipi in eo: quia habent eſſe diminutum, & per modum tranſitus, ordinanturquè ad vltimiorem formam.

8 Vltimò arguitur: quia omnibus rebus ineſt potentia obedientialis proximè actiua ad cooperandum Deo in omni eo, quod non implicat: ergo vt ſint instrumenta Dei, ſiuè ad effectus naturales, ſiue ad ſupernaturales, non indigent alia virtute, vel motione. Conſequentia conſtat, & antecedens ſuadetur primò ex D. Thom. *in 4. diſt. 8. quaſt. 2. artic. 3. ad 4* vbi inquit: *Sicut creaturæ ineſt obedientia potentia, vt in ea fiat quidquid creator diſpoſuerit: ita etiam vt ea media fiat, quod eſt de ratione inſtrumenti:* ergo ſicut in creatura datur potentia obedientialis immediatè paſſiua, ſic etiam concedenda eſt potentia obedientialis immediatè actiua. *Secundò:* quia non minus ſubordinatur Deo genus cauſæ efficientis, quam genus cauſæ materialis: ſed iſtud importat potentiam immediatè receptiuam: ergo illud ſimportat potentiam immediatè actiuam in omni, eo quod non repugnat. *Tertiò:* quia aliæ cauſæ per ſolam ſubordinationem ad Deum poſſunt præſtare immediatè, & abſquè aliquo ſibi ſuperaddito plures effectus, quos ex natura ſua ſibi relicta non valebant impertiri; vt patet in materia cœli, quæ poteſt per potentiam obedientialem recipere formam ſublunarem, & in materia ſublunari, quæ per eandem potentiam poteſt informari forma cœleſti, & in pabulo aliquo, quod valet per hanc potentiam mouere appetitum bruti, quamvis ex ſe non poſſet eum excitare.

Reſpondetur negando antecedens, & ad primam eius probationem dicendum eſt D. Thom. nequaquam docere, quod creatura habeat potentiam immediatè actiuam, & proximè continentem omnes effectus ſupernaturales; cùm hanc expreſsè excludat *locis ſupra citat. num. 4.* Sed ſolùm intendit, quod ineſt creaturæ potentia obedientialis ad recipiendam eleuationem ſupernaturalem, per quam conſtituatur in actu primo proximo ad attingendum inſtrumentaliter effectum proprium Dei. Quod ſatis exprimunt verba S. Doctoris: nam poſtquam dixit creaturam habere potentiam, vt in ea fiat quidquid creator diſpoſuerit, per quod ſignificauit potentiam paſſiuam; ſtatim ſubiunxit: *Ita etiam, vt ea media fiat, &c.* Nam ly *ea media* eſt relatiuum identitatis, & refert eandem potentiam obedientialem paſſiuam, de qua proximè loquebatur. Quare ſenſus eſt, quod licet potentia obedientialis creaturæ, immediatè ſolùm ſit ad recipiendum formam, vel motionem, quam Deus illi imprimere voluerit; mediatè tamen poteſt etiam deſeruire ad producendum effectus ſupernaturales. Sicut aqua per potentiam ad recipiendum calorem poteſt calefacere: quia ea mediante recipit formam, ſiue virtutem proximam, à qua eliciatur actio calefactiua.

Ad ſecundam conceſſa maiori, & minori neganda eſt conſequentia: & ratio diſparitatis eſt, quod potentia actiua perfectior eſt, quàm potentia paſſiua: illa enim continet in actu ſuos effectus; hæc autem ſolùm dicit capacitatem, & potentialitatem ad eos recipiendos. Vndè potentia proximè actiua infinitorum effectuum ſupernaturalium nequit non eſſe infinita, & conſequenter repugnat creaturæ. Quæ ratio non vrget in potentia paſſiua, vt ex ſe liquet. Maximè, cùm ex negatione potentiæ paſſiuæ inferatur, creaturam non eſſe plenè Deo ſubiectam in ordine ſupernaturali; ſiquidem non poſſet recipere formas ſupernaturales, mediis quibus in hoc ordine conſtituitur. Quod minimè ſequitur ex negatione potentiæ obedientialis proximè actiuæ: nàm per potentiam paſſiuam poteſt creatura recipere virtutem ſupernaturalem actiuam, per quam producat effectum ſupernaturalem, quem Deus voluerit: ac proindè ſubordinatur illi, tàm in patiendo, quàm in agendo.

Ad vltimam probationem negandum eſt antecedens: quia neque forma cœleſtis poteſt informare materiam ſublunarem; neque ſublunaris cœleſtem: cùm nulla potentia poſſit extrahi extra ſuum obiectum adæquatum. Et ſimiliter obiectum, vel finis, quod ob defectum bonitatis non mouebat appetitum, non poterit mouere illum, niſi ei ſuperaddatur noua bonitas in re, vel in apprehenſione.

QVÆSTIO II.

An ſit de ratione inſtrumenti habere virtutem ſibi propriam, & actionem præuiam.

9 Licèt ad Philoſophum non pertineat agere de inſtrumentis diuinæ virtutis, non poſſumus tamen præſentem difficultatem abſoluere, quin plura de illis inſeramus: quoniam rationes, quas pro aduerſa, & propria ſententia expendemus, generales ſunt, & vrgent in omni inſtrumento. Sed vt maiori claritate procedamus, animaduertendum eſt, quod duplex datur inſtrumentum, nimirum *quod*, & *quo*: illud eſt, quod eleuatur ad attingendum aliquid excedens proprias vires, vt ſemen animalis reſpectu fœtus; iſtud verò eſt virtus deriuata à cauſa principali, per quam inſtrumentum *quod* conſtituitur in actu primo proximo, vt virtus impreſſa ſemini. Præſens autem difficultas non procedit circa inſtrumentum *quo*, ſeu virtutem eleuantem; hæc quippè nullam in ſe habet virtutem à ſe diuerſam, & ſibimet præuiam, vt liquet ex terminis: ſed ſolùm procedit de inſtrumento *quod*. Deindè præmittendum eſt, quod inſtrumentum *quod* eſt duplex, nempe proprium, & improprium: inſtrumentum propriè dicitur id, quod ſemel eleuatum, & conſtitutum per virtutem inſtrumentariam verè agit, vti ſe habet ſerra, & ſemen animalis: inſtrumentum verò impropriè appellatur illud, quod ſuſtentat præcisè virtutem inſtrumentariam, per illam tamen non agit; atque ideò ſolùm eſt ſubiectum, vel medium, per quod virtus agentis principalis diffunditur: quo pacto ſe habet aër reſpectu ſpecierum, quæ mittuntur ab obiectis. Prætereà obſeruandum eſt, quod nomine *virtutis propriæ* non intelligimus determinatè virtutem innatam, vel ſe habentem per modum proprietatis illius rei, quæ aſſumitur in inſtrumentum: ſed illo nomine ſignificamus quancumque virtutem intrinſecam, etſi ab extrinſeco fuerit communicata, dummodò ſit diſtincta a motione, ſiuè eleuatione, per quam inſtrumentum actu eleuatur, & vltimò conſtituitur.

Deniquè nomine *actionis præuiæ* non ſignificamus actionem realitèr diſtinctam ab actione illa, ad quam eliciendam inſtrumentum eleuatur, ſed ſolùm actionem, quæ ſit diuerſa aliquo modo, nempè vel realitèr, vel modalitèr, vel virtualitèr ab actione principali, eamquè aliquo modo præcedat, vt magis conſtabit ex dicendis.

§. I.

Vera, & propria ſententia Diui Thomæ ſtatuitur.

10 DIcendum eſt, eſſe de ratione inſtrumenti *quod*, & propriè dicti, habere virtutem propriam, & actionem præuiam. Sic docet Angelicus Præceptor 3. *p. quæſt. 62. artic. 1. ad 2.* his verbis: *Inſtrumentum habet duas actiones, vnam inſtrumentalem, ſecundùm quam operatur non in virtute propria; ſed in virtute principalis agentis: alia autem habet actionem propriam, quæ competit ſibi ſecundum propriam formam. Non autem perficit inſtrumentalem actionem, niſi exercendo actionem propriam: ſicut ſecuris ſcindendo artefactum.* Et 2. *contra gentes, cap. 21.* inquit: *Omne agens inſtrumentale exequitur actionem principalis agentis per aliquam actionem propriam, & naturalem ſibi.* Idem tradit 1. *p. q. 45. art. 5. & de veritate quæſt. 27. art. 4.* & alibi ſæpè. Vndè hanc concluſionem docent communitèr S. Doctoris diſcipuli, quos proindè non referimus.

Probatur ratione: quia ſi inſtrumenta non haberent virtutem propriam, & actionem præuiam, per quas diſponerent ad effectum principalis agentis, & illi cooperarentur, fruſtra agentia naturalia vterentur inſtrumentis: conſequens eſt abſurdum; cùm natura nil fruſtra agat: ergo de ratione inſtrumenti eſt habere propriam virtutem, & actionem præuiam. Sequela oſtenditur: nàm virtus agentis principalis perfectius eſſe habet in illo, quam in inſtrumento: ergo ſi inſtrumentum non habet aliquam virtutem, & actionem, quibus aliquo modo concurrat, conducat, & cooperetur ad effectum principalitèr intentum, fruſtra aſſumitur ab agente naturali. Quid enim commodi ex vi talis inſtrumenti reportat? Ad hæc: ſi ex parte inſtrumenti, & antecedentèr ad motionem cauſæ principalis, non requireretur aliqua virtus, per quam concurreret, ſaltem initiatiuè, & diſpoſitiuè, ad effectum præcipuè intentum, poſſet cauſa principalis vti indifferentèr quolibet inſtrumento, atquè ideò valeret v. g. penicillo ſecare, & ſerra pingere: hoc autem eſt manifeſtè abſurdum: ergo dicendum eſt eſſe de ratione inſtrumenti habere propriam virtutem, & actionem præuiam.

11 Reſpondebis, hanc rationem ſolùm probare in inſtrumentis agentium naturalium, ſecus verò in inſtrumentis diuinæ virtutis: & conſequenter non conuincere vniuerſalitèr, quod ſit de ratione inſtrumenti habere virtutem, & actionem præuiam. Agentia quippè creata ob propriam indigentiam vtuntur adminiculo inſtrumentorum; & ideò mirum non eſt, ſi in inſtrumentis præſupponant aliquam virtutem, quæ ipſis ſubſidio eſſe poſſit; Deus autem non aſſumit inſtrumenta, quia eis indigeat; ſed ob dignationem, & benignitatem, quam oſtendit, dùm admittit conſortium alicuius inſtrumenti in attingentia effectus, quem ſe ſolo valet abſolutè producere. Quare opus non eſt, quod in inſtrumentis Dei aliqua virtus præſupponatur: poterunt enim eleuari per diuinam motionem, etſi nullam ex ſe habeant vim, ſed meram capacitatem paſſiuam.

Sed contra: quoniam licèt verum ſit, quod creatura vtitur inſtrumentis ex indigentia, Deus verò ex dignatione: hinc tamen ſolùm habetur, quod Deus poſſit ſine inſtrumento attingere idipſum, quod per inſtrumentum producit; imò verò, & quòd valeat indifferenter quolibet inſtrumento quemcumque effectum efficere: in quo ſatis diſtinguitur ab agētibus creatis, vt ex ſe liquet. Minimè autem ſaluatur vera ratio inſtrumenti, etiam reſpectu diuinæ virtutis, niſi aliquam habeat ex ſe virtutem, qua poſſit vtcumque Deo cooperari, & ad præcipuum effectum, ſaltem remotè diſponere: & quantum ad hoc non redditur rationabilis diſparitas inter inſtrumenta Dei, & creaturæ. Quod ſic oſtenditur: nam ideò in inſtrumentis agentis creati requiritur aliqua virtus præuia, quia ſi omni virtute propria carerent, eſſent purum, & merum ſubiectum ſuſtentans virtutem inſtrumentariam; atque ideò non daretur ibi proprium, & verum inſtrumentum *quod*, ſed ſolùm virtus inſtrumentaria, innixa tamen alteri, vt puro ſubiecto ſuſtentatiuo: atqui hæc ratio etiam militat in inſtrumentis diuinis: ergo nullum eſt verum inſtrumentum, ad cuius rationem non pertineat neceſſariò habere virtutem propriam. Minor conſtat: quia ſi id, quod recipit virtutem, & motionem Dei, nullam ex ſe habet virtutem, non comparabitur, vt agens; ſed erit purum ſubiectum illius virtutis inſtrumentariæ, quæ nomine Dei operatur.

12 Confirmatur, & explicatur: quoniam inſtrumentum ideò eget eleuatione, & motione deriuata à cauſa principali, quia eſt inſtrumentum; hoc eſt, quia eleuatur, vt agens inferius ad attingendum cauſæ principalis effectum; ergo in inſtrumento diſtinguenda eſt duplex virtus; alia improportionata, & inferioris ordinis reſpectu effectus præcipui, ratione cuius virtutis inſtrumentum dicatur eleuabile; alia proportionata, & eiuſdem ordinis, licèt non adæquans effectum, per quam inſtrumentum appellatur actu eleuatum: ſed illa prior virtus eſt propria rei, quæ aſſumitur in inſtrumentum, & præcedit virtutem communicatam ab agente principali: ergo de ratione cuiuſcumque veri inſtrumenti *quod*, vt condiſtinguitur à ſubiecto merò virtutis inſtrumentariæ, eſt habere virtutem præuiam, & ſibi propriam.

Explicatur ampliùs: nam repugnat, quod creatura ſubordinetur Deo, vt agens ſecundum ad primum, & quod præmoueatur ad operandum, niſi priùs habeat aliquam virtutem operatiuam diuerſam ab ipſa motione, eò quod prædicta ſubordinatio, & motio conuenit creaturæ, vt agenti ſecundo: ſed inſtrumentum ſubordinatur agenti principali, vt agens inferius, & indiget motione, ſiue eleuatione, quia in genere cauſæ efficientis eſt quid improportionatum reſpectu effectus: ergo repugnat, quod recipiat per modum inſtrumenti motionem, ſiue eleuationem deriuatam à cauſa principali, niſi priùs habeat in ſe aliquam virtutem operatiuam, licèt improportionatam, & inſufficientem reſpectu effectus principaliter intenti.

Itaquè agens ſecundum principale mouetur à Deo ad attingendum effectum non excedentem; & ideo talis motio non eſt eleuatio, ſed applicatio virtutis: agens verò inſtrumentale mouetur à cauſa principali ad attingendum effectum eminentiorem; vndè prædicta motio non eſt pura applicatio, ſed eſt motio eleuans, & conferēs vires inſtrumenti. Vtrobique autem requiritur aliqua virtus in agente, quod mouetur: nam ſicut non poteſt moueri ad agendum, niſi id quod habet virtutem actiuam, & præmobilem; ita non poteſt eleuari ad operandum, niſi id, quod habet virtutem operatiuam, & eleuabilem. Maneat ergo eſſe de ratione cuiuſcumque inſtrumenti, ſi verè, & propriè eſt inſtrumentum, quod habeat aliquam virtutem propriam, & præambulam reſpectu virtutis eleuantis, licet ſtet diſcrimen inter inſtrumenta, quibus vtitur Deus, & quibus vtitur creatura

tura

Digitized by Google

tura, quod illius inſtrumenta debeant ex natura ſua conducere, ſaltem inchoatiuè, ad effectum principalem, ad eumquè immediatè diſponere: inſtrumenta verò Dei id neceſſariò non petunt, ſed poteſt Deus vti qualibet virtute creata, etſi hæc ex natura ſua nullatenùs conducat ad effectum principaliter intentum.

13 Nec refert ſi iis omnibus reſpondeas, haberi quidem ex illis, quod eſt neceſſaria aliqua virtus operatiua in re, quæ aſſumitur in inſtrumentum; minimè tamen conuinci, quod debeat indiſpenſabiliter elici ab inſtrumento aliqua actio præuia, per quam diſponat, & concurrat ad effectum principalem.

Non, inquam, hoc refert: quia ſi ſemel in inſtrumento requiritur virtus propria, & diuerſa à virtute eleuatiua, nequit non requiri actio propria correſpondens propriæ virtuti, quæ aliquo modo diſtinguatur ab actione correſpondente virtuti eleuanti, illamquè præcedat. Tum quia, vt docet Diuus Thom. 3. *p. quæſt.* 19. *artic.* 1. Vbicumque mouens, & motum habent diuerſas formas, ſeu virtutes operatiuas, ibi oportet, quod ſit alia operatio mouentis, & alia operatio propria moti: at in instrumento datur duplex virtus, alia eius propria, qua mouetur, & eleuatur: alia verò propria agentis principalis, quæ mouet, & eleuat: ergo ab instrumento debent elici duæ actiones, vel eadem actio, quæ ſit formaliter, aut modaliter multiplex. Tùm etiam, quia ex ſuppoſitione, quod ad rationem veri inſtrumenti, requiratur aliqua virtus propria diuerſa à virtute eleuante, vt hactenùs oſtendimus, proculdubiò non debet eſſe otioſa, ſed debet agenti præcipuo aliquo modo cooperari: aliàs prædicta virtus non erit neceſſaria in eſſe virtutis propriæ alicuius agentis, nempè inſtrumenti; ſed ſolùm in eſſe entis, vel per modum cuiuſdam diſpoſitionis materialis: quod eſt abſurdum. Tùm denique, quia ſicut comparantur inter ſe virtus, & virtus, ſic debent comparari actio, & actio, quæ illis virtutibus correſpondent: ſed ad conſtitutionem veri inſtrumenti in actu primo proximo requiritur duplex virtus, nimirùm vna propria, & alia communicata: ergo vt in actu ſecundo agat per modum inſtrumenti, opus eſt, vt eliciat duas actiones; vnam quidem ſibi propriam, alteram verò propriam agentis præcipui: & conſequenter ſicut virtus propria inſtrumenti præcedit virtutem illi ſuperadditam, ita actio propria debet eſſe præuia ad illam actionem, pro qua elicienda inſtrumentum eleuatur.

§. II.

Proponitur opinio contraria cum ſuis fundamentis.

14 ADuerſus noſtràm concluſionem ſentiunt Scotus *in* 4. *diſt.* 1. *qu.* 1. Durandus *in* 2. *diſt.* 1. *qu.* 4. Suarez *tom.* 1. *in* 3. *p. diſp.* 31. *ſect.* 8. & alij plures. Pro qua opinione arguitur primò; nam inſtrumentum, vt inſtrumentum eſt, ſolùm poteſt elicere actionem inſtrumentaliter, & in virtute alterius: ſed ſi haberet propriam actionem præuiam, concurreret ad illam principaliter, & virtute propria: ergo non eſt de ratione inſtrumenti elicere actionem præuiam. ¶ Confirmatur: quia actio præuia v. g. ferræ, vel diſtinguitur realiter ab actione artificis, vel non: ſi dicatur hoc vltimum; ergo non eſt præuia, quia nihil poteſt precedere ſe ipſum: ſi aſſeratur primum; ergo prędicta actio non eſt propria inſtrumenti; hoc quippe mouet, vt motum à cauſa principali, & actio inſtrumenti eſt propria cauſę pręcipuę.

Reſpondetur, quod inſtrumentum poteſt comparari ad duos effectus, nempè ad eum, qui eius vires non excedit; & ad illum, quem attingit in virtute cauſæ principalis, cui in agendo ſubordinatur. Inſtrumentum autem ſolùm conſtituitur in eſſe talis per habitudinem ad hunc poſteriorem effectum: & ideò nullum eſt inconueniens, quod eliciat per modum cauſæ principalis actionem præuiam. Hæc quippè, propriè loquendo, non eſt actio inſtrumentalis, ſed prærequiritur ad hoc, quod inſtrumentum eliciat aliam altiorem actionem, per quam attingat effectum propriu n cauſę principalis. Vbi obiter nota, quod non ſemel requiritur motio agentis pręcipui; vt res, quę aſſumitur in inſtrumentum, eliciat actionem pręuiam, & ſibi propriam, vt patet in ferra, quę nullo modo ſcindit, niſi moueatur ab alio, cęterùm prędicta motio non eſt eleuatio conferens vires, ſed ſolùm eſt applicatio virtutis, quam habebat aliundè.

Ad confirmationem dicendum eſt, non requiri vniuerſaliter, quod actio præuia diſtinguatur realiter ab actione principali; ſed permiſſiuè ſe habere: aliquando enim diſtinguitur realiter, aliquando verò ſolùm diſtinguitur modaliter, vel formaliter. Et hoc poſteriori modo comparatur actio propria ferrę ad actionem artificis; non enim comparantur, vt ſciſſio, & ſciſſio; ſed vt eadem actio ſecundum ſe, & modificata, ſiue artificioſa: nam ſcindere vtcumque eſt actio propria ferrę, ſcindere verò artificioſè eſt proprium artificis. Priùs autem eſt, ſaltem ordine naturę, actio ſecundum ſe accepta, quam actio, vt modificata: quocircà benè ſaluatur, prędictam actionem eſſe pręuiam reſpectu actionis agentis principalis, etſi ab ea non diſtinguatur entitatiuè. Neque ex eo, quod virtus propria inſtrumenti diſtinguatur realiter à virtute eleuante ſibi ſuperaddita, ſequitur quod debeant neceſſariò influere per actiones eodem modo diſtinctas: quoniam virtutes ſubordinatę, licèt ſint realiter diuerſę, queunt optimè influere per eandem entitatiuè actionem: virtus autem pręuia ſubordinatur virtuti eleuanti: & ideò poſſunt ſimul concurrere per eandem realiter actionem, quę prout correſpondet virtuti proprię inſtrumenti pręcedit quodammodo ſeipſam, vt eſt propria cauſę principalis.

15 Secundò arguitur: quia plura ſunt inſtrumenta, tàm naturalia, quàm artificialia, quę nullam habent ex ſe virtutem propriam, & actionem pręuiam: ergo non eſt de ratione inſtrumenti gaudere tali virtute, & actione. Antecedens ſuadetur pluribus inſtantijs: *Primò*; quia aqua calida inſtrumentaliter calefacit: & tamen certum eſt, quod aqua nullam habet ex ſe virtutem ad calefaciendum. *Secundò*, quia aër illuminatus illuminat poſtea per modum inſtrumenti; quamvis non habeat virtutem propriam ad productionem lucis. *Tertiò*, quia ſigillum imprimit inſtrumentaliter figuram, licèt ex ſe ſit prorſus expers alicuius virtutis in ordine ad hunc effectum. *Quartò*, quia phantaſma, ſiue ſpecies expreſſa ſenſuum internorum attingit per modum inſtrumenti productionem ſpeciei intelligibilis: & nihilominùs nequit ex ſe habere virtutem ad producendum prędictum effectum; cùm phantaſma ſit corporeum, & ſpecies intelligibilis ſit ſpiritualis. *Vltimò*, quia in ferra, quę eſt verum inſtrumentum, non eſt deſignabilis aliqua virtus ſibi propria ad ſcindendum; non quidem quantitas, nec durities, nec figura, quoniam nullum ex iis accidentibus eſt actiuum: non deniquè grauitas; nam hęc ſolum eſt principium motus deorſum: ferra autem etiam ſcindit, quando mouetur ſurſum. Vndè, videtur liquidò deduci, ſaluari veram rationem inſtrumenti, quamvis expers ſit virtutis proprię & actionis pręuię.

Reſpondetur negando antecedens, quod inducte exempla minimè euincunt: nam in illis, in quibus ſalua-

Digitized by Google

tur vera ratio inſtrumenti, faciè deſignatur virtus, & actio præuia: quę verò carent omni virtute, & actione, non ſunt vera inſtrumenta, ſed nuda ſubiecta duntaxàt eius virtutis, quę illis innixa operatur: quod conſtabit reſpondendo ad ſingulas inſtantias. Ad primam dicimus, aquam calidam non eſſe inſtrumentum ignis ad calefaciendum: quod ſatis conſtat ex eo, quod calor receptus in aqua producit principaliter alterum calorem v. g. in manu, cùm vterque ſit eiuſdem ſpeciei: eſt ergo aqua ſubiectum ſuſtentans quandam virtutem, quę principaliter operatur. Et eodem modo ſoluitur ſecunda inſtantia. ¶ Ad tertiam reſpondetur, ſigillum habere ex ſe virtutem ad diuidendam materiam, & hoc modo diſponere ad figuram; quam inducit inſtrumentaliter. ¶ Ad quartam dicimus, quod non poteſt ſumi in inſtrumentum actio, vel terminus actionis, quin neceſſariò ſumatur ipſum agens, ſeu principium actionis, quod proinde habebit rationem instrumenti *quod*; actio verò, vel terminus illius ſolùm concurrent instrumentaliter, vt *quo*, & ſimul cum agente. Vnde, cùm phantaſma ſit terminus ſenſationis (ſi phantaſma est verum instrumentum) potiùs concurrit instrumentaliter ad productionem ſpeciei intelligibilis phantaſia actu phantaſians, quam phantaſma ipſum: & ideò non oportet, quod phantaſma ſit principium alicuius actionis pręuię distinctę ab illa, per quam producitur: hęc enim est actio propria phantaſię, quę aſſumitur in instrumentum. Neque obest, quod phantaſia ſit quid corporeum: nam ſufficit eſſe radicatam in anima ſpirituali, vt poſſit productionis ſpeciei ſpiritualis inchoatiuè ſeruire, ad eamque pręuiè diſponere; etſi non valeat illam directè producere. De quo plura dicemus in lib. de anima. ¶ Ad vltimam instantiam dicendum est, figuram, duritiem, & grauitatem conferre virtutem ferrę, vt poſſit applicata ab agente operari pręuiè, & diſpoſitiuè ad ſciſionem artificioſam: nam illa acuties, ſeu figura dentium diuidit continuum; durities verò frangit partes illius, grauitas autem multum conducit ad hos effectus, ſiue ferra moueatur ſurſum, ſiue deorſum, vt videre est in globo ferreo è tormento belliſco immiſſo; nam quo grauior est, eò potentiùs diruit.

16 Tertiò, & vrgentiùs arguitùr in instrumentis diuinę virtutis: quoniam Deus vtitur ſuis creaturis, vt instrumentis, non quia eis indigeat, ſed vt ſuam benignitatem ostendat, dum eas admittit ad conſortium propriæ actionis, & productionem excellentioris effectus: vnde poteſt aſſumere indifferenter quancumque creaturam in inſtrumentum: ergo nullam virtutem, vel actionem in ſuis inſtrumentis prærequirit.

Confirmatur primò: quia res corporea nullam habet ex ſe virtutem ad attingendum paſſum ſpirituale, & producendum in eo accidens ordinis diuini: atqui Deus vtitur rebus corporeis ad producendum in anima formam diuini ordinis, qualis eſt gratia, vt patet in ſacramentis: ergo in inſtrumentis diuinæ virtutis non requiritur virtus, nec actio præuia.

Confirmatur ſecundò: nam in ſacramentis, quæ conſiſtunt in vſu, ipſa actio habet rationem inſtrumenti, vt in Baptiſmo ablutio, & in pœnitentia abſolutio: conſtat autem actionem non habere virtutem, aut actionem præuiam: ergo eæ non requiruntur in inſtrumentis diuinæ virtutis. Et idem poteſt vrgeri in actibus internis Chriſti Domini, qui producunt in nobis inſtrumentaliter gratiam.

Confirmatur tertiò: quia paſſio Chriſti Domini eſt inſtrumentum attingens noſtram iuſtificationem: & nihilominus non poteſt deſignari in illa vlla virtus propria, vel actio præuia; ſiquidem iam non exiſtit realiter: ergo.

Confirmatur quartò: nam oſſa Eliſæi ſuſcitauerunt latrunculum iuxta ſe poſitum: & tamen nequit explicati; quid præuiè operata fuerint in ordine ad illam reſurrectionem: ergo non eſt de ratione inſtrumenti, quod præuiè operetur.

Confirmatur vltimò: quoniam non eſt intelligibile, quod actio præuia, & propria inſtrumenti conducat ad effectum principalem, niſi contingat paſſum in quo dictus effectus recipiendus eſt: ſed hic contactus non requiritur in inſtrumentis Dei; ſiquidem verba conſecrationis frequenter non attingunt panem aliquantulum diſtantem: ergo in inſtrumentis Dei non requiritur actio præuia.

17 Ad argumentum reſpondetur negando conſequentiam: nam quamuis poſſit Deus operari, quin vtatur creaturis, vt inſtrumentis; nihilominùs hoc ipſo, quod velit ipſas aſſumere in inſtrumenta, neceſſitatem ſibi imponit ſeruandi propriam conditionem, & leges inſtrumenti. Hoc autem non eſt purum ſubiectum virtutis operatiuæ, ſed debet miniſtrare, & ſeruire agenti principali; non quidem, vt medium, per quod virtus principalis diffunditur vſque ad effectum: quippe ratio ſolius medij conſtituit cauſam materialem, non efficientem; ſed vt agens inferius, quod inchoatiuè ſaltem, & remotè conducat ad effectum principalem. Quare in inſtrumentis etiam diuinis, quibus aliàs Deus minimè indiget, requiritur virtus, & actio præuia, ſi ſemel influunt, vt vera inſtrumenta.

Ad primam confirmationem dicendum eſt, non eſſe neceſſarium in inſtrumentis Dei, quod per actionem præuiam attingant formaliter, & immediatè paſſum, in quo inducitur effectus principalis: ſatis enim eſt, quod illud attingant per actionem principalem, ad cuius participationem eleuantur. Quare ſacramenta per actionem corporalem præuiam, & ſibi propriam attingunt corpus; ſed per aliam altiorem actionem, quam inſtrumentaliter eliciunt, attingunt animam. Adhuc tamen per actionem præuiam operantur circa paſſum principale aliquo modo, nimirùm virtualiter: quia per actionem præuiam determinant, & modificant actionem principalem, quæ prædictum paſſum attingit immediatè: hæc namquè actio, vt modificata ſapit quodammodò conditionem actionis pręuię. Quamvis enim actio Dei, vt eſt formaliter immanens nequeat in ſe modificari per actionem creaturæ; actio tamen Dei, quæ communicatur ipſi creaturæ, neceſſariò determinatur, & limitatur per aliam actionem præuiam; cùm eam neceſſariò præſupponat, vt leges inſtrumenti ſeruentur indemnes. Et hæc eſt ratio, ob quam nulla creatura poſſit eſſe inſtrumentum ad creandum: nam cùm actio principalis modificetur aliquo modo per actionem præuiam, euadit neceſſariò limitata, atque ideo nequit attingere ens in quantum ens: quod requirebatur ad creationem.

Ad ſecundam reſpondetur ex ijs, quæ ſupra diximus *num.* 15. ad quartam inſtantiam, quod cùm dicitur aliqua actio concurrere inſtrumentaliter, ſolùm concurrit vt *quo*: nam inſtrumentum *quod* eſt agens dictam actionem eliciens. Vnde in Baptiſmo inſtrumentum *quo*, ſeu actio præuia eſt ablutio; inſtrumentum verò *quod* eſt aqua abluens. Idemquè proportionabiliter de Christo Domino, & eius actibus dicendum eſt. ¶ Per quod ſoluitur tertia confirmatio: nam paſſio Christi ſolitariè accepta non eſt inſtrumentum phyſicum noſtræ ſalutis, ſed eadem, vt facit vnum cum ipſo Domino; ac proinde, vt propriùs loquamur, inſtrumentum iſtud eſt Chriſtus, vt patiens, & per actus internos acceptans, & offerens paſſionem. Vbi facilè eſt deſignare actionem præuiam. Porrò quamvis prædicti actus, & paſſio tranſierint in ſe ipſis, manent

tamen

Digitized by Google

tamen virtualiter in ſuo termino, videlicet in ſacris ſtigmatibus Christi: quod ſatis eſt, vt modò phyſicè inſtrumentaliter influant, vt dici ſolet de actione generantis reſidente virtualiter in eſſentia pro reſultantia paſſionum.

Ad quartam dicendum eſt, quod ſi ſemel illa ſacra oſſa fuerunt inſtrumentum, non ſolùm morale, ſed etiam phyſicum illius miraculi, haud arduum erit ſignate in illis virtutem aliquam actiuam, & actionem præuiam: habebant enim frigiditatem, quæ eſt principium infrigidationis. Et quamvis hæc actio non conducebat ex ſe ad patrandum illud opus; benè tamen ex ordinatione diuina, quatenùs modificabat actionem principalem, quæ hoc ipſo, quod communicetur inſtrumento, debet ei accommodari, & expectare actionem illius.

18 Ad vltimam conſtat ex ijs, quibus diſſoluimus primam: nam cùm Deus non vtatur inſtrumentis ob indigentiam, opus non eſt, quod actio præuia, & illorum propria attingat formaliter, & immediatè paſſum principale; ſed ſufficit contactus virtualis, vt ſupra expoſuimus. Vt autem eliciant actionem principalem non requiritur indiſpenſabiliter præſentia eorum ad paſſum, ſed hæc conditio (quæ aliàs requiritur in agentibus naturalibus) poteſt optimè ſuppleri à Deo, qui eſt præſens omnibus rebus, & cui inſtrumentum in agendo ſubordinatur. Sicut etiam potentia locomotiua, quæ iuxta probabilem ſententiam non diſtinguitur ab æſtimatiua reſidente in capite, cauſat motum in pede, etſi ab eo diſtet, eò, quòd eſt illi præſens anima, in cuius virtute operatur. Et quia prædicta actio principalis modificatur per actionem præuiam, quæ illi ſupponitur; ideò ſolent Thomiſtæ dicere, quod inſtrumentum per actionem præuiam defert imperium, & efficaciam motionis Dei vſque ad paſſum, delatione ſcilicet virtuali: quatenùs per actionem præuiam modificat, & determinat actionem principalem; quam Deus vult elici iuxtà naturam, & leges inſtrumenti hoc ipſo, quod velit vti creaturis, vt inſtrumentis.

DISPVTATIO XIII.

De caſu, fortuna, & fato.

VT cauſæ efficientis notitia perfectior habeatur, de fortuna, caſu, & fato tandem diſſerendum eſt: quoniam hæc inter cauſas actiuas computantur, & nonnulla ſibi vendicant peculiaria. In eis tamen explicandis parum indulgebimus calamo, eò quod non multi ponderis ſunt; maximè verò, vt ad alia maioris momenti citiùs perueniamus.

QVAESTIO I.

Quid ſint, & an ſint fortuna, & caſus.

1 NOn alia faciliori via vtrique quæſtionis difficultati poterimus reſpondere; quam fortunæ, & caſus definitionem adducendo, & explicando. Definitur autem fortunæ definitio ex Ariſtot. *in hoc lib. cap.* 5. & poteſt ad hanc formam reduci: *Fortuna eſt cauſa efficiens per accidens ex electione in his; quæ ſunt propter finem.* Per illam particulam *cauſa* denotatur, fortunæ rationem non conſiſtere in illo effectu, qui præter ſpem, aut intentionem contingit, vt inuentio theſauri; ſed potiùs in eo, quod eſt cauſa prædicti effectus. Additur ly *efficiens* ad ſignificandum fortunam non cauſare recipiendo, informando, aut fina[li]ndo, ſed illius influxum pertinere ad genus cauſę efficientis. Subſequitur ly *per accidens:* pro cuius particulę intelligentia obſeruandum eſt, quod dupliciter accipi poteſt: vno modo, quatenùs aliquid per accidens coniungitur cauſę *per ſe* alicuius effectus, quo pacto ſi ſtatuarius ſit etiam muſicus, poteſt dici; quod muſicus eſt cauſa per accidens ſtatuę: accidit enim cauſam per ſe ſtatuę, nempè ſtatuarium, eſſe etiam muſicum. Altero modo quatenùs aliquid per accidens coniungitur effectui per ſe producto, & intento: qua ratione ſi quis, effodiendo terram ad ędificium, inueniat theſaurum, dicetur cauſa per accidens huius poſterioris effectus: nam effectui per ſe intento, nempè effoſſioni, coniuncta eſt præter intentionem inuentio theſauri. Ly ergo *per accidens* poſitum in definitione fortunę, ſumitur poſteriori modo ad ſignificandum, fortunam eſſe cauſam per ſe alicuius effectus, cui alius contingenter, & pręter intentionem adiungitur. Deniquè additur *ex electione in his, quæ ſunt propter finem*, vt denotetur cauſam, quę fuerit fortuna, debere, agere liberè, & mouendo ſe in finem: non quidem intendendo effectum fortuitum: ſed alium, cui fortuitus adiungitur: nam ſi ille non eſſet pręter intentionem, iam non eſſet fortuitus, nec cauſa ſubiret determinationem fortunę per habitudinem ad illum.

2 Ex quibus etiam deprehendi poteſt, quid ſit *caſus*: ſolùm enim diſtinguitur à fortuna in eo, quod nomen fortunę duntaxàt conuenit cauſis liberis; caſus verò nomen applicatur cauſis neceſſarijs, ſiue agentibus non ex electione; ſed ex pura, & innata inclinatione naturę, quoties pręter effectum, in quem inclinant, attingunt alium, qui effectui per ſe inſpecto contingenter adiungitur. Vnde fortuna, & caſus conueniunt in omnibus illis particulis, *cauſa efficiens per accidens*: diſtinguuntur autem per ſubſequentes, *ex electione in his, quæ ſunt propter finem*: iſtę enim ſolùm adaptantur fortunę, vt conſtat ex dictis. Per quę ſatis conſtat ad primam partem quęſtionis, & gradum facimus ad ſecundam.

3 Dicendum ergo eſt dari, fortunam, & caſum. Sic

Digitized by Google

Sic docent Ariſtot. & D. Thom. in hoc lib. cap. 4. & communiter Philoſophi. Probatur ratione: quia *fortuna* dicitur cauſa libera, quæ intendens vnum effectum attingit conſequenter alium, qui contingenter, & præter intentionem coniunctus eſt effectui per ſe: & ſimiliter *caſus* appellatur cauſa neceſſaria, quæ inclinans per ſe in aliquem effectum attingit ex conſequenti aliquid aliud contingenter proprio effectui adiunctum, vt conſtat ex modo præmiſſis, & ex communi Doctorum acceptione: atqui huiuſmodi cauſæ non ſemel dantur: ergo verè dantur fortuna, & caſus. Minor quoad fortunam liquet, tùm in eo, qui effodiebat terram ad culturam, & inuenit theſaurum: accidit enim, quod effectui per ſe intento coniungeretur inuentio illa. Tùm etiam; quia ſi Deus mitteret Angelum ad deſtruendam aliquam ciuitatem ex intentione reducendi ciues ad concordiam, non reuelans tamen Angelo hanc intentionem; tunc deſtructio ciuitatis eſſet effectus per ſe intentus reſpectu Angeli; concordia verò ſubſecuta eſſet effectus fortuitus, & præter intentionem Angeli, atque ideò ſubiret iſte denominationem *fortunæ* per ordinem ad illum. Quoad *caſum* etiam conſtat eadem minor, tùm in equo verbi gratia, qui fugiens bellum, & cædem inueniſſet paſcua. Tùm in orbibus cœleſtibus; nam contingere poteſt, quod vna virtus cœleſtis humectet per ſe aërem, cui alia virtus exſiccando obuiet, & ſic ſequatur aliquis effectus tertius præter inclinationem vtriuſque cauſæ. Videatur D. Thom. 3. *contra Gent. cap.* 86.

4 Sed oppones primò: D. Auguſtinus 1. Retract. cap. 1. ſe ipſum reuocat in eo, quod vſus fuerat nominibus *fortunæ*, & *caſus*: ergo ſignum eſt per talia nomina non ſignificari aliquid, quod verè exiſtat, & detur: aliàs non eſſet, cur magnus Parens illas voces refugeret, & alibi ſcripta retexeret.

Reſpondetur S. Doctorem minimè negare, quod dentur cauſæ particulares, quæ aliquos effectus præter intentionem, vel inclinationem attingant; quas in præſenti appellamus *caſum*, & *fortunam*: ſed ſolùm intendit excludere à mentibus Chriſtianorum vſum harum vocum in ea acceptione, in qua frequentes erant apud Gentiles. Nam Ethnici obſtupeſcentes effectus aliquos, qui præter ſpem ita contingebant, ac ſi eſſent pro votis meditati, id arrogabant ſupremo, ac abdito numini, quod *fortunam* dixerunt, eique thura, & aras conſecrarunt. Hoc ergo damnat Auguſtinus, & meritò: quia licèt reſpectu cauſarum creatarum dentur aliqui effectus caſuales, & fortuiti, ſiue præter intentionem earum; nullus tamen eſt, quem Deus non præuideat, & per ſe intendat, aut ſaltem permittat: vnde prima cauſa nequit appellari *fortuna*. Quod optimè declarat D. Thom. 1. *p. quæſt.* 116. *art.* 1. exemplo domini mittentis duos ſeruos ad aliquem locum; ita vt vnus non ſciret de alio, & tamen dominus intenderet, vt ſibi ipſi mutuò obuiam irent: tunc enim talis occurſus eſſet fortuitus reſpectu vniuſcuiuſque ſerui, cùm illum non intenderet; reſpectu verò domini non eſſet fortuitus, ſed per ſe: quia illum præuidebat, & intendebat.

5 Secundò oppones: omnis effectus habet cauſam per ſe: ergo nulla eſt cauſa per accidens, & conſequenter non dabitur locus fortunæ, & caſui. Antecedens ſuadetur: quia inuentio theſauri, quæ maximè videtur effectus fortuitus, habet cauſam per ſe, videlicet foſſionem terræ in ea parte, in qua latebat theſaurus; nam ea poſita, neceſſariò, & per ſe conſequitur inuentio.

Reſpondetur negando antecedens: ad cuius probationem dicendum eſt, quod licèt poſita effoſſione in loco theſauri, ſequatur inuentio illius; nihilominùs adhuc inuentio eſt per accidens: quoniam terram fodi, & eſſe ibi theſaurum contingenter coniunguntur, poſſet enim æquè benè terram effodi: etſi nullus ibi theſaurus eſſet. Præterquam quod prædicta inuentio dicitur effectus per accidens, quia reſpectu intendentis alium finem, v.g. agriculturam, vel ædificium, omninò contingenter ſequitur inuentio theſauri: cùm non eſſet intenta, nec præuiſa.

Sed replicabis: nam effectus fortuitus, qualis eſt theſauri inuentio, non habet aliam cauſam, niſi fortunam; nec iſta, quatenùs talis, reſpicit alium effectum, niſi fortuitum: ſed vbi datur hæc mutua habitudo inter cauſam, & effectum, nequit effectus euenire per accidens: ergo fortuna reſpectu effectus fortuiti non eſt appellanda cauſa per accidens, & conſequenter nullus erit effectus, qui non vendicet cauſam per ſe.

Reſpondetur, quod vt aliquid dicatur cauſa per ſe, requiritur, quod ly *per ſe* cadat abſolutè ſupra rationem cauſæ, & non præciſè ex ſuppoſitione aliqua accidentali, ſicut ad hoc, quod actus ſit neceſſarius, requiritur, quod habeat neceſſitatem abſolutè, & non ex ſola ſuppoſitione. Vnde ſicut *amare* verbi gratia eſt actus ſimpliciter liber, & tamen ex ſuppoſitione, quod quis amet, *neceſſariò* ex ſuppoſitione amat; nec hinc ſequitur, quod amor ſit neceſſarius: ita inuentio theſauri eſt ſimpliciter fortuita, & per accidens reſpectu effodientis ad agriculturam, & tamen hoc ipſo, quod effodiat in loco theſauri, neceſſariò inuenit illum: & ideò prædicta inuentio non eſt *per ſe* abſolutè, quod requirebatur ad hoc, vt fortuna diceretur cauſa *per ſe*, ſed eſt per ſe ex ſola ſuppoſitione accidentali, atque ideò eſt ſimpliciter per accidens, & non reſpicit cauſam per ſe. Maximè, quia cùm dicitur, fortunam quatenùs talem reſpicere effectum fortuitum, fit reduplicatio ſupra ipſum conceptum cauſæ per accidens: vnde non ſequitur, quod fortuna ſit cauſa per ſe: ſed ſolùm, quod per ſe ſit cauſa per accidens.

6 Vltimò oppones: poteſt quis directus per artem magicam inueſtigare, atque inuenire theſaurum: ergo inuentio theſauri habet cauſam per ſe: cùm autem prędicta inuentio, vt potè effectus fortuitus, reſpiciat fortunam, ſequitur, quod iſta ſit cauſa cauſæ per ſe. § Sed hoc nihil eſt: quia admiſſo gratis antecedenti, prædictus effectus non foret fortuitus reſpectu Magi, vt talis, ſed reſpiceretur, & intenderetur per ſe: vnde cauſa illius non eſſet fortuna, ſed ars.

QVÆSTIO II.

Quid ſit, & an ſit fatum.

7 QVoniam prouidentia diuina, vt obſeruat D. Thom. 1. p. quæſt. 116. art. 2. exequitur ſuos effectus per cauſas intermedias, poteſt ipſa effectuum ordinatio dupliciter conſiderari: vno modo ex parte ipſius Dei, & hac ratione dicitur *prouidentia*; alio autem modo, quatenùs ſe tenet ex parte cauſarum ſecundarum, vt ſunt diſpoſitæ, & determinatę à Deo ad productionem effectus, quo pacto prædictam ordinationem *fatum* appellamus. Vnde fit, quod duo ſint neceſſaria ad conſtitutionem fati: primò enim requiritur ipſa entitas cauſarum ſecundarum, & hæc habet rationem materiæ: ſecundò requiritur ipſa coordinatio, & diſpoſitio paſſiua cauſarum per reſpectum ad eundem effectum, & hæc ſe habet, vt forma. Quare ſicut ad conſtituendum prædicamentum, non ſufficit vnum prædicabile, ſed requiritur quædam ſeries, ſiue collectio prædicabilium: ſic ad conſtitutionem *fati* non ſufficit vna, aut altera cauſa ſecunda pręordinata ad aliquem effectum, ſed re-

qui-

Digitized by Google

quiruntur plures cauſæ coordinatæ: atque ideò ſicut in prædicamentis formaliſſimum eſt ordo, ſic & in fato. Quod ſatis expreſſit Angelic. Doctor. *loco cit. ad* 3. dicens: *Fatum dicitur diſpoſitio, non quæ eſt in genere qualitatis; ſed ſecundum quod diſpoſitio deſignat ordinem, qui non eſt ſubſtantia, ſed relatio*. Ex quibus ſatis colligitur, quid ſit *fatum*: & ideò ad ſecundam quæſtionis partem tranſeundo,

8 Dicendum eſt, fatum ſincerè intellectum dari in rebus. Hæc concluſio eſt communis inter Philoſophos, & Theologos, & probatur breuiter: quia fatum eſt connexio, & ordo cauſarum ſecundarum ad producendum aliquem effectum ex ordinatione diuina, vt conſtat ex modo præmiſſis; nec aliud nomine *fati* intelligimus in præſenti: conſtat autem cauſas ſecundas eſſe diſpoſitas, & præordinatas à Deo ad productionem ſuorum effectuum: ergo datur in rebus fatum.

Vnde infertur primò, quod ſi ordo cauſarum ſecundarum conſideretur per habitudinem ad ſuum principiũ, nempè ad diuinam prouidentiam, quæ eſt realiter vna, ſic non erit, niſi vnicum fatum: ſi autem prædictus ordo concipiatur reſpectiuè ad cauſas medias, & earum effectus, ſic erunt plura fata iuxta illud Poetæ: *Te tua fata trahunt*. ¶ Infertur ſecundò, non omnia ſubdi fato. Et ratio eſt perſpicua: nam fati nomine intelligimus ordinem, & diſpoſitionem cauſarum ſecundarum: atqui plures effectus fiunt à ſolo Deo abſque interuentu aliarum cauſarum mediarum, vt creatio, iuſtificatio, glorificatio, &c. idemquè proportionabiliter contingit in actibus voluntatis, qui fiunt ab ipſa voluntate ex præmotione ſolius Dei, & non ex impulſu alicuius agentis creati, & extrinſeci: vnde ſequitur, plures effectus non ſubdi fato. Illæ ergo res habent fatum; quæ fiunt à Deo, medio interuentu cauſarum ſecundarum, v.g. cœlorum, ſicut pluvia, quæ concreſcit in regione aëris per irradiationem ſolis; frondes, & flores, quæ media virtute plantarum germinantur; ſalus, & infirmitas, fœcunditas, & ſterilitas agrorum, quæ dependent ab influxu orbium cœleſtium, & varia concurrentia, atque temperie cauſarum. Videatur D. Thom. *q. cit. art. vltimo*.

9 Neque iis, quæ hactenùs ſtatuimus, contrarius eſt D. Gregorius *homil. de Epiphan.* dicens: Abſit à fidelium cordibus, vt fatum eſſe aliquid dicant: quoniam ſolùm intendit excludere fatum eo modo, quo dari exiſtimabant Philoſophi Stoici, & hæretici Priſcillianiſtæ, qui certas cœli, & aſtrorum imagines, ac figuras ſtatuentes, talem vim illis ineſſe autumabant, vt nihil illas poſſet immutare, nihil earum poteſtatem valeret effugere, nihil deniquè poſſet accidere, niſi quod in ipſis fuerat præordinatum. Vnde ſuperſtitioſi Aſtrologi, ſiderum diſpoſitione inſpecta, futuros euentus, quos in cœli volumine legere ſe credebant, infallibiles & ineuitabiles prædicabant: quocirca terrores, imò & deſperationem afferebant inſciæ plebeculæ. Et hinc *fatum* traxit etymol. nempe à *fando*: quia ea fato fieri dicebantur, aut fatis ſubeſſe, quæ aliquis inſpiciens ſiderum vim fatus, ſiue prælocutus fuiſſet. Et *fatum* ſic acceptum meritò negat, & damnat D. Gregorius: tùm quia tollebat libertatem actibus humanis: tùm quia repugnabat prouidentiæ diuinæ, quæ operari poteſt citra, imò & contra determinationem cauſarum ſecundarum: tùm quia excludebat omnia futura contingentia: tùm deniquè quia falſo cœlis attribuebatur ineuitabilis poteſtas, cùm tamen eorum vis poſſit impediri, vel ob reſiſtentiam paſſi, vel ob concurſum alterius cauſæ, vel aliunde. Fatum ergo in prædicta acceptione nihil eſt, ſiquidem non datur: & in hoc ſenſu ſolent ſacri Doctores illud acriter impetere. Quapropter diximus in aſſertione, fatum *ſincerè intellectum* dari in rebus.

DISPVTATIO XIV.

De Cauſa finali.

HABITA ſufficienti notitia aliarum cauſarum; ad exponenda ea, quæ cauſa finalis ſibi vendicat vltimò accedimus: tùm quia huius cauſalitas obſcurior, & difficilior cæteris habetur; difficiliora autem vltimo loco tradenda ſunt: tùm quia finis, ſicut intentione primus, ita executione poſterior eſt; atque ideò non incongruè extremum ei ſeruauimus locum.

QVÆSTIO I.

An finis ſit vera cauſa realis.

DEciſio huius difficultatis expoſcit, vt priùs explicemus naturam, & diuiſionem finis: hinc enim facilè conſtabit, vtrum inter cauſas reales computandus ſit.

§. I.

Prælibantur aliqua ad dubij reſolutionem.

1 DVos fines, vel duplicem, vt propriùs loquamur, eiuſdem totalis, & adæquati finis rationem diſtinguunt communiter Philoſophi, nempè finem *cuius gratia*, & finem *cui*. Prior dicitur illud bonum, quod appetimus, & cuius ob amorem media eligimus, & aſſumimus: poſterior appellatur illud ſuppoſitum, aut ſubiectum, cui deſideramus bonum appetitum, vt ei applicandum. Sit exemplum in infirmo appetente ſibi ſanitatem: hæc enim appellatur finis *cuius gratia*, nam eſt bonum deſideratum, ob cuius amorem infirmus aſſumit media, vt puta potionem amaram; ipſe vero infirmus dicitur

Digitized by Google

dicitur finis *cui*, eò quod non reſpicit ſanitatem vtcumque, ſed tanquam bonum ſibi, vt ſuppoſito applicandum. Vnde eæ rationes non conſtituunt diuerſos fines, ſed eundem finem totalem, & adæquatum: neutra quippe ſolitariè accepta mouet efficaciter appetitum, niſi coadiuvetur ab alia: non enim reſpicit infirmus ſe ipſum, vt finem *cui*, niſi vt perficiendum per ſanitatem, quæ eſt finis *cuius gratia*; nec ſanitas terminat amorem, niſi inquantum habet rationem boni reſpectu infirmi, & apprehenditur ipſi, vt fini *cui* coniuncta, vel coniungibilis. Quamobrem etſi aliquid præciſum à fine *cui* poſſit amari ſimplici quodam amore, & inefficaci; attamen vt intendatur amore efficaci, trahenteque voluntatem ad executionem mediorum, debet applicari alicui ſubiecto, vt fini *cui*, atque ideò vnum adæquatum finem cum illo conſtituere: non ſecus ac proportione ſeruata, ſolet obiectum adæquatum ſcientiæ integrari ex obiecto *quod*, & *quo*.

2 Solent deinde aliæ rationes in fine diſtingui, nempè *obiectiua*, & *formalis*: prior dicitur finis *qui*, poſterior verò appellatur finis *quo*: deſumiturque diuiſio ex D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 1. *art.* 8. Finis *qui*, ſiue obiectivus eſt res amata, & in qua ratio boni intenti inuenitur: finis verò *quo*, ſiue formalis eſt operatio, per quam prædictum bonum aſſequimur, & poſſidemus: qua ratione Theologi dicunt, Deum viſum eſſe noſtrum finem *qui*, & obiectivum; viſionem autem eiuſdem eſſe finem *quo*, & formalem.

Sed magis celebris finis diuiſio eſt illa, qua partitur in *vltimum*, & *proximum*. Ille dicitur, qui non ordinatur ad alium; hic verò appellatur; qui ordinatur ad vlteriorem. Quemadmodum enim cauſa efficiens diuiditur in primam, & ſecundam, quin ab hac auferatur conceptus veræ cauſæ efficiẽtis; eo quod eſſe primum principium operationis non eſt de ratione agentis vt ſic, ſed tantùm ſpectat ad agens primum: ita cauſa finalis (quæ efficienti correſpondet, cùm omne agens reſpiciat aliquem finem) debet diuidi in vltimam, & proximam, quin ab iſta auferatur, vt nonnulli arbitrantur, vera ratio finis; quia mouere abſque ſubordinatione ad alium finem non eſt de conceptu finis in communi, ſed talis finalizandi modus proprius eſt ſolius vltimi finis, nempè Dei. Quod ſatis deprehenditur in actibus virtutum moralium, verbi gratia, Temperantiæ, qui terminantur ad propria obiecta ſub ratione boni honeſti, atque ideò ſub ratione finis: & tamen non attingunt illa vt vltimum finem; aliàs forent peccaminoſi, cùm prædicta obiecta ſint aliquid creatum: attingunt ergo illa tanquam finem proximum, & cum ſubordinatione ad Deum, vt ad finem vltimum.

3 Neque hinc ſequitur, rationem finis proximi confundi cum medio rigoroſo: quoniam medium, quatenus tale, habet totum ſuum esse in ordine ad finem, propter quem eligitur, ratio autem finis proximi, ſiue intermedij eſt ſimpliciter abſoluta, etſi importet ſimul reſpectum, & ſubordinationem ad vlteriorem finem. Vnde medium taliter attingitur propter finem, vt adæquata talis attingentiæ ratio ſit ipse finis, vel ordo, ſiue conducentia medij ad finem: at finis intermedius, licèt influat dependenter à fine vltimo, habet tamen in ſe bonitatem, ratione cuius poteſt terminare intentionem. Id, quod ſatis explicatur exemplo cauſæ ſecundæ: huius enim adæquata ratio non conſiſtit in ſola dependentia, & ſubordinatione ad primam; ſed etiam in influxu, atque dominio ſupra proprium effectum. Sic etiam ratio finis proximi ita non eſt in ſola ſubordinatione ad finem vltimum; ſed in hoc, quod verè alliciat per propriam bonitatem, alteri tamen ſubordinatam. Quare ſicut inter conceptum cauſæ primæ, quæ agit, & nullo modo dependet, & conceptum puri effectus, qui præcisè dependet, & nullo modo agit, datur propria ratio cauſa actiuæ ſecundæ, quæ ſimul agit effectum, & dependet à cauſa prima; ita quod vtrumque, nimirùm agere, & ſubordinari conſtituat causam ſecundam: ſic præter rationem finis vltimi, qui finalizat, & nullo modo ſubordinatur, & præter rationem puri medij, quod fini ſubordinatur, & nullatenus finalizat, debet dari proprius conceptus finis intermedij, qui habeat finalizare media, & ſimul ſubordinari vltimo fini; ita vt vtrumque pertineat ad finis intermedij adæquatam conſtitutionem. In quo amplius non immoramur; quia huius doctrinæ, quæ communis eſt, maius examen pertinet ad 1. 2. vbi tractatur à Theologis. Illam tamen omninò prætermittendam non duximus, quoniam nonnullam conciliat claritatem iis, quæ exinceps ſtatuemus.

§. II.

Reſpondetur quæſito.

4 HIs ſuppoſitis dicendum eſt, finem eſſe verè cauſam realem. Sic docent Ariſtot. 2. *Phyſic. text.* 29. D. Thom. *opuſc.* 31. & communiter interpretes. Ratio eſt perſpicua: nam cauſa re ipſa eſt id, ad quod ſequitur aliud per veram dependentiam: ſed finis ita ſe habet: ergo eſt verè, & realiter cauſa. Minor conſtat in omnibus his, quæ fiunt gratia finis: cuncta quippè conſequuntur ad finem intentum, & producuntur dependenter ab illo; cùm agens non communicet exiſtentiam effectui, niſi moueatur à fine. ¶ Confirmatur primò: quia bonum, cum quo ratio finis coincidit, abſens cauſat deſiderium, præſens verò gaudium: ſed hi ſunt effectus reales, vt experimento conſtat: ergo finis habet effectus reales, & conſequenter eſt verè, & realiter cauſa. ¶ Confirmatur ſecundò: quoniam propria cauſalitas finis eſt mouere per ſui amorem; ſed hæc motio eſt realis; ſiquidem abſque vlla fictione trahimur à bono, illudque proſequimur: ergo cauſalitas finis eſt realis, & per conſequens ipſa cauſa.

5 Sed oppones nobis Ariſtotelem 1. *de Generat. text.* 55. vbi aſſerit cauſalitatem finis eſſe motionem metaphoricam: ergo finis non eſt vera cauſa realis: hæc quippè vendicat ſibi rigoroſum influxum.

Reſpondetur, cauſalitatem finis non ideò appellari motionem metaphoricam, quia ſit cauſalitas metaphorica; ſed quia non eſt motus phyſicus, ſed attractio quædam animalis, ſiue intentionalis. Vndè quia propriè mouere eſt aliquid efficere, ideò cauſa efficiens dicitur eſſe id, à quo ſimpliciter incipit motus; & è conuerſo, quia finis non efficit, ideò non dicitur mouere abſolutè, ſed metaphoricè, & per analogiam ad cauſam efficientem. Hinc tamen non licet inferre, quod cauſalitas finis ſit causalitas metaphorica: nam aliud eſt eſſe cauſalitatem, & aliud eſſe motionem; & ſtat benè, quod ſit motio per metaphoram, & cauſalitas cùm proprietate; ſiquidem non omnis cauſalitas eſt motio, ſed poteſt conceptus veræ, & rigoroſæ cauſalitatis ſaluari per hoc, quod ſit finalizatio, informatio, vel receptio.

6 Deinde oppones: ſi finis eſſet vera, & realis cauſa deberet influere quando exiſtit, vel quando non exiſtit; inter hæc enim non datur medium: at finis nequit cauſare, quando non eſt, ſiquidem tunc eſt re ipſa nihil; nec valet influere, quando exiſtit, quandoquidem, obtento fine, ceſſat cauſalitas agentis, ac proinde, & motio finis: ergo finis non eſt vera cauſa. Ad hæc: cauſa refertur realiter ad effectum: ſed ſi finis influeret, quando non exiſtit, minimè poſſet referri realiter ad effectum;

vt ex

Digitized by Google

vt ex ſe conſtat: ergo &c.

Reſpondetur, quod finis ex proprio modo cauſandi non petit neceſſariò exiſtentiam phyſicam, & exercitam; ſed ſatis eſt, ſi habeat exiſtentiam intentionalem, & in apprehenſione appetentis illum: influit quippe, vt deſideratus, & alliciens ad ſui conſecutionem: ad quod non requiritur indiſpenſabiliter exercitium exiſtendi. Neque ex hoc ſequitur, quod finis non ſit cauſa realis: vt enim teneret illatio, oportebat quod finis nullo modo exiſteret. Id autem, quod additur, facilè diluitur: nam de conceptu cauſæ realis non eſt referri realiter ad effectum; maximè quando cauſa ſe habet, vt ſuperior, & ad effectum non ordinatur, vt videre eſt in Deo, qui non refertur ad creaturas, quas producit. Quamobrem cùm finis ex modo proprio influendi cauſet, vt ſuperior, & immotus; nec ordinetur ad effectum, ſed hunc potiùs ſubordinet ſibi, mirum non eſt, quod ad effectum realiter non referatur.

QVÆSTIO II.

Per quid finis conſtituatur in actu primo ad finalizandum.

DVo ſunt, de quibus circa hanc difficultatem ſolet communiter dubitari. Primum eſt, an finis conſtituatur per ſolam rationem boni; an verò poſſit etiam conſtitui per rationem mali, ita quod malum ſub ratione mali queat finalizare, ſiue allicere appetitum. Secundum eſt, vtrum finis moueat per illud eſſe reale, ad quod conſequendum excitatur appetitus; an verò per illud eſſe intentionale, quod habet in apprehenſione appetentis. Vtramque autem difficultatem ſub vna quæſtione coniungimus, cùm ob connexionem, quam habent; tum quia vnius deciſio viam parat ad reſolutionem alterius.

§. I.

Commune placitum ſtatuitur.

7 DIcendum eſt primò, rationem formalem conſtitutiuam finis debere eſſe aliquam bonitatem, atque ideò malum ſub ratione mali non poſſe ſubire proprium officium finis. Hæc eſt Ariſtot. *in præſenti cap.* 3. *text.* 31. D. Thom. 1. 2. *q.* 1. *art.* 1. *&* 3. *contra Gentes cap.* 2. *&* 3. D. Dionyſ. *lib.* 4. *de diuinis nominibus*, *&* D. Auguſt. *lib.* 2. *Confeſſ. cap.* 6. *&* 8. Quibus ſubſcribunt omnes ferè ſcholaſtici *in* 2. *diſtinctio n.* 46. *&* Theologi loco citato *ex* 1. 2.

Ratio fundamentalis eſt: quia finis, quatenùs talis, attingitur per amorem, & proſecutionem: cùm ſit de ratione eius allicere, atqui malum ſub ratione mali non mouet ad amorem, ſed potiùs parit odium: ergo malum ſub ratione mali non poteſt habere rationem finis, ac proinde licèt id quod proponitur vt finis, ſit re ipſa aliquod malum; ſemper tamen allicit ſub ratione, ſiue expreſſione boni, & conuenientis. Explicatur ampliùs: etenim vel malum attingitur per amorem, vel per odiū: ſi amatur, iam attingitur ſub ratione conuenientis amanti, & conſequenter ſub ratione boni; ſiquidem idem eſt bonum, ac conueniens. Si autem diſplicet, ideò eſt quia bonum illi contrarium placet, & amatur; & ita bonitas, quæ eſt, v. g. in ſanitate, mouet ad odium infirmitatis: ac proinde finis cuiuſcumque actus voluntatis, debet conſtitui per rationem boni, ſaltem apparentis.

8 Dicendum eſt ſecundò, rationem formalem conſtitutiuam finis non eſſe apprehenſionem; ſed bonitatem, quæ apprehenditur, & per apprehenſionem applicatur. Hanc aſſertionem ſtatuit D. Thom. 1. *p. qu.* 80. *art.* 1. *ad* 2. *&* 1. *contra Gentes cap.* 75. *cui ſubſcribunt Caiet.* 1. 2. *q.* 1. *art.* 1. Ferrar. 1. *contra Gentes cap.* 44. & communiter Doctores.

Probatur ratione primò: quia per id finis conſtituitur in eſſe finis, per quod allicit voluntatem: ſed allicit per bonitatem apprehenſam, non verò per apprehenſionem: ergo bonitas eſt ratio conſtitutiua finis, non verò apprehenſio. Minor liquet: quandoquidem infirmus non appetit apprehenſionem ſanitatis, ſed bonitatem, quam apprehendit. ¶ Confirmatur: nam per id finis mouet, per quod, cum poſſidetur, ſatiat: at apprehenſio boni non ſatiat, ſed potiùs acuit deſiderium; è contra verò bonum, quod apprehendebatur, ſatiat, quando poſſidetur: ergo finis non mouet per apprehenſionem tanquam per rationem formalem; ſed per ſolam bonitatem.

9 Probatur ſecundò: quia ſi finis in eſſe finis conſtitueretur formaliter per apprehenſionem, iam actus, & potentiæ tendentes in finem, atque ab eo ſpeciem accipientes variarentur ſecundum diuerſitatem apprehenſionis; quandoquidem variata ratione formali ſpecificatiui, neceſſum eſt, quod diuerſificetur ſpecies eorum, quæ ab illo ſpecificantur: conſequens eſt falſum: ergo apprehenſio non eſt ratio formalis conſtituens finem. Probatur minor: tum ex D. Thom. *quæſt.* 25. *de Veritate art.* 1. *ad* 6. vbi docet, *Quod diuerſitas apprehenſionum per accidens ſe haberet ad appetitiuas vires diſtinguendas, niſi diuerſitati apprehenſionis diuerſitas apprehenſorum coniungeretur*: ergo ex ſola variatione apprehenſionis non variantur potentiæ, aut actus tendentes in finem. Tùm etiam, quia charitas in via, & in patria eſt eiuſdem ſpeciei: & tamen cognitio, per quam attingitur finis, ſiue obiectum charitatis eſt diuerſæ rationis: ſiquidem in via, eſt cognitio obſcura, & in patria eſt cognitio clara: ergo non variatur finis in eſſe finis per ſolam diuerſitatem apprehenſionis. Quod ſatis expreſſit Angelic. Doct. 1. 2. *q.* 67. *art.* 6. *ad* 2. dicens charitatem non habere pro obiecto ipſam cognitionem; ſic enim non eſſet eadem in via, & in patria.

Et poſſumus huius doctrinæ radicem detegere obſeruando diſcrimen, quod datur inter intellectum, & voluntatem: ille enim trahit ad ſe obiectum attingendo illud, quatenùs habet eſſe intelligibiliter in anima; iſta verò fertur ad ipſas res, prout ſunt in ſe ipſis, vt ex communi ſententia Philoſophorum tradit D. Thom. *q.* 22. *de Verit. art.* 10. ergo ratio formalis, per quam res conſtituuntur in eſſe obiecti voluntatis, atque ideo in eſſe finis, eſt bonitas realis, quæ eſt in rebus, vel quæ apprehenditur eſſe; cognitio autem ſolùm eſt conditio, vel applicatio obiecti formalis ad voluntatem.

10 Dicendum eſt tertiò, apprehenſionem finis eſſe conditionem neceſſariò requiſitam, vt finis exerceat ſuam cauſalitatem. Sic docent Ariſtot. 3. *de Anima cap.* 10. vbi aſſerit appetibile non mouere, niſi mente, aut imaginatione perceptum. D. Auguſt. *lib.* 10. *de Trinitat. cap.* 2. dicens: *Rem prorſus ignotam amare omninò nullus poteſt.* D. Thom. 1. *p. q.* 82. *art.* 4. quibus paſſim conſentiunt alij Doctores.

Fundamentum eſt: quia finis mouet voluntatem ſub ratione conuenientis: ſed voluntas nequit cognoſcere hanc conuenientiam; cùm ſit potentia cœca: ergo opus eſt, quod alia potentia prædictam conuenientiam percipiat, eamque voluntati proponat: & per conſequens cognitio finis erit conditio omninò requiſita, vt hic ſuam cauſalitatem exerceat. Ad hæc: quælibet cauſa, vt

Digitized by Google

vt exerceat ſuam cauſalitatem debet aliquo eſſe gaudere: at finis; vt exerceat ſuam cauſalitatem alliciendo appetitum, non expoſcit neceſſariò eſſe phyſicum, & exercitum: ergo petit ad minus eſſe intentionale, quod habet per apprehenſionem: hæc igitur eſt conditio neceſſaria, vt exerceatur propria cauſalitas finis.

§. II.

Conuelluntur oppoſita fundamenta.

11 CОntrariam primæ concluſioni opinionem dicuntur amplecti Nominales, quos refert Rubio hic *tract.* 5. *quæſt.* 2. Et poteſt ſuaderi primò: quia cum aliquid odio habemus, non illud attingimus ſub ratione boni, ſed ſub ratione mali: ergo motiuum odij eſt malum ſub ratione mali: conſtat autem, motiuum actus habere rationem finis: ergo ratio conſtitutiua finis non eſt ſola ratio boni, ſed poteſt etiam eſſe ratio mali.

Reſpondetur, quod licèt obiectum proximum actus fugæ, qualis eſt odium, debeat eſſe malum ſub ratione mali; finis tamen prædicti actus eſt bonum ſub ratione boni. Quotieſcumquè enim voluntas recedit ab aliquo termino per actum fugæ, ideò recedit, vt accedat ad alium terminum, ad quem amore trahitur, atque afficitur; vt apparet in infirmo, qui ideo horret infirmitatem, quia amat ſalutem. Quamobrem finis, ſeu motiua ratio exercendi actum odij circa malum, vt malum, eſt bonitas finis, ſub qua attingitur bonum, vt bonum: quod ſicut allicit ad ſui proſecutionem, ita mouet ad execrationem mali ſibi oppoſiti.

12 Secundò arguitur: nam illi, qui ſe ex deſperatione occidunt; appetunt vehementer *non eſſe*: ſed nequeunt appetere *non eſſe* ſub ratione boni: ergo appetunt illud ſub ratione mali; & conſequenter iam finis conſtituetur per rationem mali. Minor oſtenditur: quia bonum eſt paſſio entis: ergo impoſſibile eſt, quod *non eſſe* habeat rationem boni: ergo ſe occidentes nequeunt appetere *non eſſe* ſub ratione boni.

Reſpondetur negando minorem; & ad probationem in contrarium, omiſſis antecedenti, & prima conſequentia, neganda eſt ſecunda: quoniam etſi *non eſſe* nullam importaret à parte rei bonitatem; poteſt tamen illam præ ſe ferre in apprehenſione appetentis: quod ſatis eſt, vt appetitum alliciat. Quamuis enim ratio conſtitutiua finis in eſſe finis ſit bonitas; nihilominùs non eſt neceſſarium, quod ſit à parte rei coniuncta obiecto apprehenſo, ſed ſatis eſt, quod illi applicetur per apprehenſionem; vt apparet in iis qui appetunt impoſſibilia, apprehenſa tamen, vt poſſibilia. Vndè licèt in *non eſſe* nulla reperiretur bonitas: quia tamen ſe interficientes apprehendunt illud ſub ratione ſibi conuenientis; vel ad vitandam infamiam, vel ad fugiendam pœnam &c. ideo poſſunt appetere *non eſſe* ſub ratione boni. Quare ex hac inſtantia nullum præiudicium infertur noſtræ aſſertioni.

Diximus, etſi *non eſſe* nullam importaret bonitatem; quoniam licèt in *non eſſe* nequeat ſaluari ratio boni poſitiui, & quaſi primarii; queit tamen ſaluari ratio boni priuatiui, & ſecundarii, quæ conſiſtit in carentia alicuius mali. Et ideo beatitudo; quæ eſt ſummum bonum, vtramque boni rationem amplectitur, videlicet bonorum poſſeſſionem, atque malorum abſentiam. Quamobrem licèt *non eſſe* ſit metaphyſicè malum; nihilominus ſub ratione excludendi miſeriam exprimit aliqualem rationem boni. & ſub hac appetitur ab iis, qui maximas miſerias patiuntur, quales ſunt damnati, & ſe occidentes. Quo ſenſu dixit Chriſtus Dominus de Iuda proditore: *Melius erat ei, ſi natus non fuiſſet*: nempè quia *non eſſe*, vt dicit carentiam mali, bonum aliquod eſt, & melius quam ipſa miſeria, licèt facta ſolùm comparatione inter *eſſe*, & *non eſſe* abſolutè accepta; iſtud ſit ſimpliciter malum.

13 Aduerſus ſecundam aſſertionem opinantur Sonzinas 5. *Metaph.* Medina 1. 2. *q.* 1. *art.* 1. & alij aſſerentes apprehenſionem eſſe rationem formalem finalizandi. Cui ſententiæ ſuffragari manifeſtè videtur D. Thom. 1. *p. q.* 80. *art.* 1. *ad.* 1. vbi hæc habet *Appetibili non accidit eſſe apprehenſum per ſenſum, vel intellectum; ſed per ſe ei conuenit. Nam appetibile non mouet appetitum, niſi in quantum eſt apprehenſum. Vnde differentiæ apprehenſi ſunt differentiæ appetibilis. Vnde potentiæ appetitiuæ diſtinguuntur ſecundum differentiam apprehenſorum, ſicut ſecundum propria obiecta.* Si enim appetibile non mouet, niſi quatenùs apprehenditur; nec diſtinguit vires appetitiuas, niſi iuxta diuerſitatem apprehenſionum; ſequitur neceſſariò, quod apprehenſio ſit ratio formalis conſtitutiua finis: quandoquidem prædicta munia propria ſunt rationis formalis.

Reſpondetur tamen animaduertendo priùs, quod cognitio applicat, & proponit appetitui bonitatem obiecti, quæ eſt ratio formalis finalizandi: vnde ſi cognitio applicet diſtinctas bonitates, neceſſariò ſequitur diuerſitas in appetitu, vel in actibus eius: non quidem, quia hæc diuerſitas ſit ab apprehenſione, tanquam à ratione formali; ſed ſolùm eſt ab illa applicatiuè. Quod poteſt declarari exemplo cauſæ efficientis: nam ſi Petrus v. g. applicet ligno ignem, ſequitur calefactio; ſi verò applicet aquam, ſequitur infrigidatio: hæc tamen diuerſitas ſpecifica effectuum non eſt reuocanda in Petrum, ſicut in principium illius; ſed debet reduci in ignem, & aquam, quæ applicantur à Petro. Ita pariter bonitas, quæ eſt ratio formalis conſtitutiua finis, mouet appetitum ad amorem, illumquè ſpecificat; & diuerſa ſpecificè bonitas in eſſe obiecti, expoſcit actus ſpecie differentes: vt autem prædicta bonitas applicetur appetitui, debet apprehendi per cognitionem: & ideo vbi dantur diuerſæ boni apprehenſiones, opus eſt, quod ſequantur diuerſi affectus. Hæc tamen differentia in appetitu, non ideo oritur formaliter quia apprehenſiones boni ſint differentes; ſed quia bona apprehenſa ſunt diſtincta in ratione obiecti, eo quod per diuerſas apprehenſiones poſſunt attingi diuerſæ eiuſdem boni conuenientiæ, atquè voluntati proponi. Vbi bonitas ſe habet formaliter, cognitio verò bonitatis ſolùm applicatiuè, vt conſtat exemplo efficientis.

Hinc ſatis liquido conſtat, quæ ſit mens D. Thom. *loco cit.* ſolùm enim intendit, quod ex diuerſitate inter ſenſum, & intellectum optimè colligitur diſtinctio inter appetitum rationalem, & ſenſitiuum: quoniam licèt cognitio ſit ſolùm conditio neceſſaria, vt applicetur appetitui proprium obiectum; nihilominùs quando cognitiones ſunt adeò diuerſæ, poteſt idem obiectum cognoſci, vt conueniens naturæ rationali, vel vt conueniens naturæ ſenſitiuæ; & conſequenter ſub ratione boni honeſti, aut boni delectabilis. Quæ bonitates ſunt ita diſtinctæ, vt neceſſariò poſtulent attingi, non ſolùm per actus diuerſos, ſed etiam per diſtinctas potentias: quia ſunt bonitates diuerſi ordinis. Cæterùm huiuſmodi potentiarum, aut actuum diſtinctio ſumitur à bono, ſicut à ratione formali; ab apprehenſione autem, ſicut à proponente, vel applicante.

14 Ex quibus fit primò, (vt ſic aliquas obiectiones præoccupemus) quod ſi quis inuincibiliter ignoret, aliquem actum eſſe peccaminoſum, illumquè exerceat ob honeſtum finem; tunc prædictus actus erit moraliter bonus: non quidem, quia apprehenſio fuerit ratio formalis

Digitized by Google

malis prædicti actus; ſed quia, mediante apprehenſione, proponitur appetenti aliqua ratio boni, quæ illum actum ſpecificat. ¶ Fit ſecundò, quod circa idem bonum, diuerſo tamen modo apprehenſum, videlicet vt abſens, vel vt præſens, poſſint diuerſi affectus exerceri, nempè deſiderium, & gaudium. Ratio tamen huius differentiæ non eſt apprehenſio; ſed variantur ſpecie affectus, quia per diuerſas apprehenſiones, eadem res proponitur ſub diuerſo modo conuenientiæ ad appetitum: atque ideò prædicta conuenientia, ſeu bonitas habet ſe formaliter, ſeu per modum motiui, apprehenſio verò, ſolùm ſe habet applicatiuè, & per modum proponentis.

15 Adhuc tamen poteſt argui in fauorem huius opinionis: quoniam non ſemel id, quod eſt ens rationis, vt mons aureus, mouet appetitum ad amorem, & deſiderium: ſed ratio formalis, quæ tunc mouet, non eſt bonitas rei, quippè quæ in illa non eſt; ergo ſolùm eſt illa vana apprehenſio, ſiue exiſtimatio talis bonitatis. ¶ Confirmatur: quia finis habet rationem cauſæ, ſecundum quod eſt prior: ſed ſolum eſt prior ſecundum quod eſt in apprehenſione; maximè vbi nullam à parte rei bonitatem habet: ergo per apprehenſionem conſtituitur formaliter in eſſe cauſæ, & per conſequens in ratione finis.

Reſpondetur ad argumentum negando minorem: nam ſemper ratio formalis, per quam finis mouet appetitum, eſt aliqua bonitas vera, & realis; licèt apprehenſa in obiecto, vbi non eſt, & illi falſo applicata. Ex quo tamen non fit, quod apprehenſio ſit ratio formalis, ſub qua finis excitat appetitum; ſed tantùm ſequitur, quod repræſentet bonitatem, & conuenientiam realem coniunctam obiecto, in quo minimè reperitur. Appetitus autem in prædicto caſu non mouetur formaliter ab apprehenſione, ſed à bonitate reali falsò applicata alicui obiecto per apprehenſionem. Quod ipſa experientia conſtat: ſi enim ab appetente montem aureum inquiratur, quare illum appetat? reſpondebit proculdubiò ſe illum appetere, quia magnas conuenientias ex illius poſſeſſione ſperat ſibi obuenturas. Vbi pro ratione formali appetendi, quæ eſt re ipſa ratio formalis finalizandi, non aſſignat apprehenſionem; ſed bonitatem, quæ apprehenditur. Neque hinc ſequitur, quod finis in prædicto caſu non ſit cauſa realis: quia ad hoc ſatis eſt, quod ratio formalis, per quam mouet, ſit bonitas realis; licèt non exiſtat in obiecto ad extra. Sufficit enim, quod exiſtat realiter in intentione: eò quod finis ad proprium influendi modum non expoſcit exiſtentiam phyſicam, ſed duntaxàt intentionalem. Et quamuis apprehenſio ſit conditio, vt finis præcedat prioritate naturæ ſuum effectum; attamen per eandem bonitatem, per quam mouet, conſtituitur formaliter in eſſe prioris. Vndè patet ad confirmationem.

QVÆSTIO III.

Quidnam ſit cauſalitas finis.

EXplicata iam virtute, per quam finis conſtituitur in actu primo ad mouendum appetitum, ſupereſt vt aperiamus, quænam ſi cauſalitas, per quam illum mouet in exercitio, & trahit ipſum ad ſe. Supponimus autem ex Ariſtot. 1. *de Generat. text.* 55. huiuſmodi cauſalitatem eſſe motionem metaphoricam: non quidem, quia realis non ſit, ſed quia non eſt effectiua, ſed attractiua. Explicandum verò eſt, in quo conſiſtat: idquè præſtare curabimus in præſenti.

§. I.

Proponitur vera ſententia.

16 DIcendum eſt, cauſalitatem finis eſſe amorem, quo appetitus tendit in ipſum finem: non quatenùs amor dependet à voluntate, ſed quatenùs dependet à fine, & eſt propter ipſum. Hæc concluſio eſt D. Thom. 1. *contra Gentes cap.* 75. vbi ait: *Cauſalitas autem finis in hoc conſiſtit, quod propter ipſum alia deſiderantur.* Quam etiam docent Auicenna, Scotus, Soncinas, Iauelus, & alij plures, quos refert, & ſequitur Maſius in præſenti *cap.* 3. *ſect.* 4. *quæſt.* 2.

Probatur ratione primò: quia per id finis mouet in actu ſecundo appetitum, per quod trahit illum ad ſe; ſiquidem motio, ſeu cauſalitas finis conſiſtit in hac attractione: ſed finis trahit appetitum ad ſe per amorem elicitum ab ipſo appetitu; cùm hic trahatur ad bonum, quatenùs illud amat: ergo cauſalitas finis conſiſtit realiter in amore, quo appetitus tendit in ipſum finem.

Confirmatur, & explicatur primò: quia ſicut eſt proprium intellectus trahere, ſeu mouere ad ſe obiectum, ita eſt proprium voluntatis trahi, & moueri ab obiecto; intellectus enim attingit obiectum, prout illud habet intra ſe intentionaliter; voluntas verò fertur ad res, prout ſunt in ſe ipſis: atqui per vnum, & eundem actum, nempè intellectionem, intellectus trahit ad ſe obiectum, & iſtud trahitur; ergo per eundem actum, videlicet amorem, debet finis trahere ad ſe voluntatem, & illa trahi: ſed finem trahere voluntatem eſt propria finis cauſalitas: ergo cauſalitas finis conſiſtit realiter in actu amoris. ¶ Confirmatur, & explicatur ſecundò: nam ſicut cauſæ intrinſecæ, nempè materia, & forma, mutuò ſibi correſpondent; ita etiam inter cauſas extrinſecas, videlicet efficientem, & finalem debet dari mutua correſpondentia: ſed materia, & forma cauſant per eandem vnionem, nam hoc ipſo quod vniantur, verificatur vnam recipere, & alteram informare: ergo finis, & efficiens debent influere per eundem amorem; quoniam etiam ſaluatur, quod per eundem amorem, & efficiens trahatur, & finis trahat.

17 Secundò probatur eadem concluſio: nam cauſalitas finis nequit in primis conſiſtere in oſtenſione, ſiue exhibitione finis, quatenùs cognitus inuitat ex ſe appetitum ad ſui amorem: ſed neque conſiſtere valet in aliquo reali deriuato ab ipſo fine, & impreſſo appetitui antecedenter ad omnem appetitus actum: ergo conſiſtit realiter in actu amoris, quo appetitus fertur in finem. Conſequentia videtur legitima: quia non apparet, quid debeat deſignari pro cauſalitate finis præter ea, quæ recenſuimus. Maior autem oſtenditur: quia repugnat dari cauſalitatem cauſæ, quin aliquid realiter cauſetur in actu ſecundo, ſicut implicat, quod aliquid ſit cauſatiuum, & quod non correſpondeat ei aliquid cauſabile: ſed illa oſtenſio bonitatis finis poteſt dari, quin ſequatur effectus proprius finis, nempè appetitum moueri; ſiquidem poſt cunctam oſtenſionem, & inuitationem illam poteſt voluntas reſpuere finem: ergo prædicta oſtenſio non eſt cauſalitas finis, ſed requiritur per modum conditionis, ad hoc, quod finis conſtituatur in actu primo. Minor etiam liquet; quoniam nequit aliquid de nouo produci abſque influxu cauſæ efficientis: ergo ſi finis imprimeret aliquid appetitui ante omnem eius actum, iam finis haberet rationem agentis reſpectu eius realitatis, aut motionis, quam imprimeret: conſequens eſt omnino abſurdum; quandoquidem cauſalitas finis non eſt efficere, ſed allicere, & ideo appellatur motio me-

tapho-

Digitized by Google

taphorica: ergo cauſalitas finis non conſiſtit in aliquo deriuato à fine in appetitum, illique impreſſo ante omnem eius actum.

§. II.

Satisfit argumentis in contrarium.

18 Oppoſita ſententia aſſerit, cauſalitatem finis conſiſtere in aliquo antecedente actum voluntatis, nempè in hoc, quod finis ſe exhibeat illi præſentem, & quaſi ſollicitet amorem eius. Ita Conimbric. *in hoc lib. cap. 7. quæſt. 21.* Quorum fundamentum eſt: quia hoc ipſo, quod finis intelligatur excitare voluntatem ad ſui amorem, intelligitur exercere propriam cauſalitatem, quæ in hac excitatione conſiſtit: ſed hoc ipſo, quod finis propriam bonitatem repræſentet voluntati, illam excitat ad ſui amorem, nam bonum ſufficienter cognitum, nequit non ad ſui amorem allicere: ergo cauſalitas finis conſiſtit in prędicta oſtenſione, ſiue exhibitione propriæ bonitatis.

Reſpondetur negando minorem: quia vt conſtat ex dictis, tota illa repræſentatio pertinet ad actum primum, & requiritur ad hoc, quod finis conſtituatur proximè potens ad mouendam voluntatem. Sed minimè ſufficit, vt finis, dicatur cauſare in actu ſecundo: quoniam poſtquam bonitas finis eſt propoſita vndequaque voluntati, queit ab ea abſolutè reijci, & frequenter reijcitur, vt patet experimento. Vbi autem finis re ipſa non mouet appetitum, nequit intelligi exercere ſuam cauſalitatem.

19 Deinde arguitur contra noſtram concluſionem: quoniam voluntas mouetur à fine, vt illum amet: ergo ante amorem elicitum à voluntate debet dari motio, & propria cauſalitas finis; & conſequenter non poterit hæc conſiſtere realiter in amore, quo appetitus fertur in finem.

Reſpondetur negando conſequentiam: quia quando dicitur, *voluntatem moueri à fine, vt illum amet*, ſenſus eſt intranſitiuus; cum idem re ipſa ſit, voluntatem moueri à fine, & voluntatem amare finem, vt patet ex ſupra dictis. Quamobrem non oportet, quod motio finis diſtinguatur realiter ab amore, quo voluntas fertur in finem, ſed ſufficit idem actus amoris, qui prout à fine eſt cauſalitas finis, & prout à voluntate eſt cauſalitas voluntatis, & effectus finis. Verum quidem eſt, quod prædicta motio, prout eſt à fine, præcedit aliquomodo ſeipſam, prout eſt à voluntate; quia prius eſt finem mouere voluntatem, quam voluntatem tendere in finem; cum ille finalizet, vt immotus, iſta vero agat, vt mota à fine. Et propterea verificatur, quod voluntas mouetur à fine, vt illum amet.

20 Sed replicabis: quia creatura mouetur à Deo ad agendum, ideò debet præmoueri per aliquid diſtinctum realiter ab actione, quam ipſa creatura elicit: ergo pariter quia voluntas mouetur à fine, vt illum amet, debet præmoueri per aliquid realiter diuerſum ab ipſo amore.

Reſpondetur negando conſequentiam: nam cauſa efficiens, & finalis ſe reſpiciunt, & mutuo ſibi correſpondent, atque idem realiter eſt finem attrahere, & voluntatem attrahi; & ideo vnus realiter amor ſufficit ad vtrumque. Cauſa autem prima, & cauſa ſecunda non ſic ſe habent; cum vtraque ſit cauſa efficiens: & ideò neceſſarium eſt, quod prœmotio, qua cauſa ſecunda prę-mouetur, & actio, per quam producit effectum, diſtinguantur realiter inter ſe: quandoquidem non eſt idem realiter recipere præmotionem, & agere effectum.

Adde primò, quod poſita præmotione; poteſt abſolutè non ſequi actio creaturæ; id quod ſatis indicat diſtinctionem realem inter vtramque: at, poſita motione finis, impoſſibile eſt, quod non detur amor; cum intelligibile ſit, finem attrahere, & voluntatem non attrahi: & hoc indicat, tùm cauſalitatem finis conſiſtere in ipſo amore, tùm diſparitatem inter cauſam finalem, & effectiuam mutuo ſe reſpicientes, & inter cauſam primam, & ſecundam motam à prima. Adde ſecundò, cauſam primam præmouere ſecundam in genere cauſæ efficientis: vnde qua parte cauſa prima eſt efficiens, debet aliquid efficere, & qua parte eſt prima, atque independens debet mouere creaturam ante actum eius: & ideò præmotio ad actionem diſtinguitur ab actione. Finis autem non mouet efficiendo, imò impoſſibile eſt, quod finis, quatenùs finis, efficiat aliquid: quocirca repugnat cauſalitatem, ſiue motionem finis dari realiter ante omnem actum efficientis. Vndè vel motio finis non eſt realis, quod eſt abſurdum; vel procedit etiam realiter à voluntate, & conſequenter eſt ipſe amor, quo voluntas fertur in finem. Illa ergo conſequentia: Quia creatura mouetur à Deo ad agendum, ideo præmotio debet diſtingui ab actione creaturæ, tenet, & eſt legitima iuxta ſubiectam materiam. Ita verò: Quia voluntas mouetur à fine ad amandum, debet motio finis diſtingui realiter ab amore, non valet iuxta ſubiectam materiam, ob manifeſtam diſparitatem, quam hactenùs fuimus proſecuti.

21 Vltimò arguitur: quoniam cauſalitas cuiuſuis cauſæ debet realiter diſtingui ab eius effectu; cùm hic dependeat realiter à cauſa actu cauſante, ac proinde à cauſalitate, per quam cauſa in eſſe cauſantis conſtituitur: at amor elicitus à voluntate eſt effectus finis: ergo diſtinguitur realiter ab eius cauſalitate, quę conſequenter non poterit conſiſtere realiter in ipſo amore. Minor liquet: nam id eſt proprius effectus finis, quod eſt propter finem, & ordinatur ad eum: hoc autem conuenit prædicto amori: ergo.

Reſpondetur negando maiorem vniuerſaliter intellectam: nullum quippe apparet inconueniens in eo, quod idem ſit realiter exercitium cauſæ, & effectus illius, vt videre eſt in actibus ſenſuum exteriorum, qui nullum terminum à ſe diuerſum producunt, ac proinde ſimul ſunt *fieri*, & *factum eſſe*, cauſalitas, & effectus. Quapropter non oportet ex vi huius, quod motio finis diſtinguatur realiter ab eius effectu; ſed ſatis erit, quod ibi interueniat aliqua diſtinctio, & prioritas, quatenùs eadem motio, vt eſt à fine, & cauſalitas illius, præcedit ſe ipſam ſub munere, quod eſt exercitium voluntatis: & hoc poſteriori modo habet rationem effectus reſpectu finis. Vndè hæc cauſalis eſt vera: quia voluntas mouetur à fine, ideo ſe mouet in finem; alias temere ſe moueret, quamuis eadem motio realis ſit, per quam voluntas mouetur, & quaſi patitur à fine, & per quam tendit actiuè in ipſum. Vt autem cauſa actu cauſans ſit prior effectu, ſatis eſt, quod virtus, per quam influit, ſit prior, quidquid ſit de ipſa cauſalitate: nam etiam cauſa actu cauſans eſt prior quam cauſalitas; cum hæc à cauſa actu cauſante dependeat: & tamen cauſalitas non diſtinguitur, nec dependet realiter à ſe ipſa; ſed à virtute cauſatiua actu cauſante.

Digitized by Google

DISPVTATIO XV.

De cauſis ad inuicem comparatis.

POſtquam conſiderauimus ſingulas cauſas abſolutè, & ſecundum ſe acceptas, oportet eaſdem ad inuicem comparare: vt earum ratio vndequaque notior fiat.

QVÆSTIO I.

De perfectione cauſarum.

SVpponimus, vt omninò certum, quod ſi fiat comparatio cauſarum quoad exiſtentiam, tunc primum locum habet efficiens: ſecundum finis totalis, ſiue compoſitum; tertium forma: & vltimum materia. Cuius ordinis ratio eſt perſpicua: nam cauſa efficiens influit prout exiſtens in actu, impertiturquè exiſtentiam alijs cauſis: ex quibus finis, ſeu compoſitum exiſtit per ſe, & ratione ſui; partes verò materiales exiſtunt ratione illius: & facta comparatione inter eas, materia exiſtit per formam: ergo omnes cauſæ ſeruant in exiſtendo ordinem à nobis deſcriptum. Quare ſolùm remanet difficultas de præcedentia, & prioritate, quoad perfectionem: quam vt aperiamus cum maiori claritate, ſingilatim cauſas omnes comparabimus, & diuerſis aſſertionibus dubium decidemus.

§. I.

Comparantur materia, & forma quoad perfectionem.

1 DIcendum eſt primò, formam eſſe perfectiorem materia: ſic docens vnanimiter Doctores, & meritò: quoniam ſicut actus excedit potentiam, ita cauſalitas per modum actus perfectior eſt, quam cauſalitas per modum potentiæ: ſed forma eſt actus, & influit actuando, materia autem eſt potentia, & cauſat recipiendo: ergo forma eſt perfectior cauſa, quam materia.

Sed obijcies: facta comparatione inter duas cauſas, illa erit perfectior, à qua alia magis dependet: ſed forma materialis magis dependet à materia, quam è contra: ergo materia eſt perfectior cauſa, quam forma. Probatur minor: quoniam forma materialis dependet à materia in ſua eſſentia, & in toto ſuo eſſe; materia verò non habet à forma ſuam eſſentiam: ſed duntaxàt determinationem ad certam ſpeciem, & actùm exiſtentiæ.

Reſpondetur, formam dependere à materia maiori dependentia extenſiua, & materiali; ſecùs autem intenſiua, & quoad perfectionem: quoniam modus ille cauſalitatis, quem forma exercet erga materiam, longè excellentior eſt eo, quo materia influit in formam. Hæc quippè reddit materiam ex informi pulchram communicando ei ſpeciem, & actualitatem: à qua ipſa viceverſa deprimitur, & materializatur. Vndè ea, quæ à forma deriuantur in materiam, perfectiora ſunt ijs, quæ forma à ſola materia cum præciſione participat. Porrò perfectio cauſæ non debet regulari ex maiori dependentia effectus extenſiua, & potentiali; ſed ex intenſiua, & quantum ad perfectionem.

§. II.

De exceſſu finis ſupra efficientem.

2 DIcendum eſt ſecundò, cauſam finalem nobiliorem eſſe efficiente. Hanc ſtatuunt Ariſtot. *in hoc lib. text.* 30. D. Auguſt. 5. *de Ciuitat. cap.* 31. D. Thom. *in præſenti lect.* 5. *& opuſc.* 31. *c.* 2. Quibus ſubſcribunt communiter Interpretes, vti teſtatur Rubio *tract.* 8. *q.* 1. Probatur breuiter: quoniam conceptus cauſæ nobilior eſt, quam conceptus effectus; ſed finis habet rationem cauſæ reſpectu cauſæ efficientis; hæc autem induit conditionem effectus reſpectu illius: ergo. Suadetur minor; quia efficiens non agit, niſi moueatur à fine; cùm influat propter aliquem finem: ergo facta collatione inter vtrumque, finis ſe habet, vt cauſa, & efficiens, vt effectus.

Reſpondebis primò, quod ſicut efficiens non cauſat, niſi finis moueat; ita neque finis mouet, niſi efficiens agat: ac proinde parem eſſe vtriuſque conditionem in modo cauſalitatis, & dependentiæ. ¶ Sed contra: nam licèt cauſalitas finis nequeat dari abſque cauſalitate efficientis; nihilominùs finis dat efficienti, quod agat, efficiens autem non dat fini, quod finalizet: agens enim mouetur à fine, cum agat propter ipſum; iſte verò non influit propter [illegible]; neque mouetur ab eo, vt ex ſe liquet. Vndè comparantur inter ſe, ſicut cauſa prima, & ſecunda: quia ſicut ſecunda mouetur à prima, illa verò non mouetur ab ea; licèt concurſus cauſæ primæ cum ſecunda nequeat inueniri ſine concurſu iſtius: ita efficiens mouetur à fine, & non è contra: quamuis influxus finis non valeat dari ſine cauſalitate efficientis. Quod docuit optimè D. Thom. *opuſc. citat. his verbis: Efficiens non facit finem eſſe finem, & ideò non eſt cauſa cauſalitatis finis: id eſt non facit finem eſſe cauſam finalem. Finis verò eſt cauſa cauſalitatis efficientis: quia facit efficientem eſſe efficiens*: Quare finis in modo cauſandi nullam aliam ſupponit cauſam, ſed influit, vt immotus, & tanquam cauſa prima; efficiens autem mouetur à fine, & ſic habet rationem cauſæ ſecundæ reſpectu illius.

Reſpondebis ſecundò, non rectè colligi maiorem perfectionem cauſæ finalis ſupra efficientem ex eo, quod hæc habeat ab illa, ſeu in ordine ad illam ſuam cauſalitatem: nam etiam forma materialis habet à materia ſuam cauſalitatem: & nihilominùs illam excedit in perfectione, vt diximus aſſertione prima. ¶ Sed contra: quia licèt cauſalitas formæ dependeat à materia, ſicut à ſubiecto; tamen forma ex ſe, et non à materia habet formalizare, & actuare materiam: finis autem non ſolùm influit in actionem, ſiue cauſalitatem cauſæ efficientis; ſed etiam eſt cauſa huius, quod eſt agens

agere · cùm efficiens agat propter finem. Vnde cauſa efficiens in ipſo munere, & exercitio cauſæ dependet à fine: atque ideò debet huic cedere in perfectione.

3 Sunt tamen aduerſus noſtram aſſertionem aliquæ obiectiones, quas oportet diluere. Oppones ergo primò: perfectio cauſę deſumitur ex perfectiori modo cauſandi; ſed cauſa efficiens cauſat per influxum realem, & naturalem, finis autem per motionem metaphoricam; ſiquidem non dat eſſe, ſed mouet, & quaſi rogat efficiens, vt illud communicet: ergo cauſa efficiens perfectior eſt, quam finalis.

Reſpondetur negando conſequentiam: quia licèt modus influendi efficiendo excedat ſecundum quid modum cauſandi alliciendo, & finalizando; non tamen ſimpliciter: perfectio quippè cauſæ debet ſimpliciter attendi ex modo cauſandi cùm maiori independentia, & minori ſubordinatione. Efficiens autem, & finis ita ſe habent, quod quamuis efficiens immediatè, & per influxum naturalem cõmunicet eſſe; nihilominùs in agendo mouetur à fine, illiquè ſubordinatur, hic autem influit immotus: ac proinde cauſa finalis efficientem in excellentia modi influendi præcellit.

4 Secundò oppones: modus cauſandi fundatur in modo eſſendi: ſed efficiens habet nobiliorem modum eſſendi, quam finis: ergo gaudet perfectiori modo cauſandi. Minor conſtat, tùm quia efficiens ſemper habet veram, & realem entitatem; finis verò frequenter habet eſſe fictum, exiſtens duntaxat in exiſtimatione. Tùm etiam, quia licèt finis habeat eſſentiam, & bonitatem realem; tamen ad exercendam propriam cauſalitatem non expoſcit exiſtentiam exercitam, & in re; ſed ſolùm intentionalem, & in apprehenſione.

Reſpondetur, cauſam, & modum cauſandi poſſe bifariam conſiderari: vno modo in eſſe entis, alio modo in eſſe cauſæ. Et quamuis conceptus cauſæ præſupponat conceptum entis; non tamen commenſuratur cum modo eſſendi materialiter ſumpto, ſed cum modo eſſendi, prout fundat habitudinem ad effectum. Vndè contingere poteſt, quod aliquid ſit perfectius in eſſe cauſæ, quamuis ſit minus perfectum in eſſe entis: quoniam licèt vna ex ijs rationibus ſupponat aliam, & fundetur in ea; ſunt tamen inter ſe ſatis diuerſæ, & per ordinem ad diuerſas regulas menſuranda eſt earum perfectio: Quod oſtendi poteſt in materia prima, & potentiis immediatè operatiuis: hæc enim ſi comparentur in eſſe entis, materia proculdubio perfectior erit; cùm ſit ſubſtantia, & potentia immediatè operatiua ſit accidens: ſi autem comparentur in ordine cauſæ, nequit potentia immediatè actiua non excedere materiam; ſiquidem illa influit per modum actus, & dando eſſe, iſta verò per modum potentiæ, & recipiendo.

Hinc ad obiectionem facilis eſt ſolutio: ſolùm enim probat, modum eſſendi cauſæ efficientis eſſe perfectiorem modo eſſendi cauſę finalis, ſi comparentur in eſſe entis, & ſumantur materialiter: minimè verò conuincit eſſe nobiliorem in ordine cauſæ, & prout fundat habitudinem ad effectum. Influere enim, vt cauſa immota, & abſque ſubordinatione ad aliam, dicit nobiliorem modum cauſandi: & hic eſt proprius cauſæ finalis, & per ipſum excedit modum influendi cæterarum cauſarum; cùm omnes dependeant à fine, & ſint propter eum. Quamuis enim efficiens vendicet ſibi exiſtentiam naturalem, finis verò duntaxat intentionalem; nihilominùs efficiens cum omni ſua perfectione ſubordinatur in influendo fini; ſiquidem agit propter finem, & mouetur ab eo. In quo perſpicuè elucet maior perfectio finis in genere cauſæ, & in modo cauſandi formaliter accepto, & prout ſpectat ad genus cauſæ.

§. III.

Vltima aſſertio ad complementum dubij.

5 DEniquè aſſerendum eſt, cauſas extrinſecas, nimirum finem, & efficientem eſſe perfectiores intrinſecis, videlicet materia, & forma. Hæc concluſio eſt æquè communis, & certa, ac præcedentes, & ſuadetur: quoniam illud genus eſt nobilius, cuius ſuprema ſpecies excedit omnes ſpecies aliorum generum: ſed ſuprema cauſa finalis, & efficiens, nempè Deus, excedit in perfectione cauſam materialem, & formalem: ergo finis, & efficiens ſunt cauſæ perfectiores, quam materia, & forma. ¶ Confirmatur: nam materia, & forma ſunt veræ partes, ordinanturquè ex natura ſua ad compoſitum; atque ideò influunt, vt quid imperfectum, & incompletum, qui modus influendi repugnat Deo: modus autem cauſandi per modum finis, & efficientis non petit hanc imperfectionem; cùm non influant componendo, & ſic poteſt Deo conuenire: ergo perfectiori modo influunt finis, & efficiens; ac proindè ſunt nobiliores cauſæ.

6 Obijcies: Illa cauſa eſt perfectior à qua effectus magis dependet: ſed compoſitum naturale magis dependet à materia, & forma, quam à fine, & efficiente: ergo materia, & forma ſunt perfectiores in eſſe cauſæ. Probatur minor: quia quælibet res magis dependet ab eo, quod eſt ſibi intrinſecum, quam ab extrinſeco: ſed materia, & forma ſunt cauſæ intrinſecæ compoſiti naturalis; finis verò, & efficiens ſolùm influunt ab extrinſeco: ergo compoſitum magis dependet à materia, & forma, quam à fine, & efficiente.

Reſpondetur negando minorem, cuius probatio nullius momenti eſt: quoniam finis, & efficiens cauſant non ſolùm compoſitum naturale, ſed etiam materiam, & formam, ex quibus illud intrinſecè conſtituitur. Maior enim dependentia attenditur ex influxu vniuerſaliori, & minus dependenti: finis autem, & efficiens cauſant compoſitum, & quidquid eſt in compoſito, abſoluunturquè ab illis dependentijs, & imperfectionibus, quibus ſubiacent partes: quare maior eſt dependentia compoſiti à fine, & efficiente, quam à materia, & forma; ſiquidem ipſæ materia, & forma ab efficiente, & fine in influendo dependent. Vndè colligitur, cauſam finalem, & efficientem dici cauſas extrinſecas, non quia dependentia effectus ab eis ſit quid extrinſecum effectui: ſed quia terminus huius dependentiæ, ſiue habitudinis eſt extrinſecus. In quo diſtinguuntur hæ cauſæ à materia, & forma: ab ijs enim dependet compoſitum ſicut ab aliquo ſibi intrinſeco, & ſe intrinſecè conſtituente. Cæterum ex hoc ipſo arguitur imperfectio harum cauſarum, quæ neceſſariò influunt, vt partes, ac proinde vt quid incompletum, & imperfectum.

QVÆSTIO II.

Vtrum vna cauſa ſit prior alia in cauſando.

EXplicuimus ordinem, quem cauſæ obſeruant, cùm in exiſtendo, cùm in perfectione. Reſtat inueſtigemus, an habeant aliquam prioritatem in cauſando: hęc enim eſt, ad quam potiſſimè in cauſis attendi debet,

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Statuitur cauſas ſibi inuicem eſſe cauſas.

7 DIcendum eſt primò, cauſas mutuò ſe cauſare; non in eodem genere, ſed in diuerſo: & conſequenter quamlibet in ſuo genere eſſe priorem alijs. Iſta aſſertio eſt commune Philoſophorum axioma firmatum auctoritate Ariſtot. *in hoc lib. text.* 31. vbi D. Thom. *lect.* 5. & 5. *Metaph.* vbi S. Doct. *lect.* 2. Vndè in præſenti potiùs oportet eam explicare, quam plures probationes inſumere: præcipuè quia *lib. de Generat. diſp.* 2. eam magis illuſtrabimus exponendo qualiter accidentia, quæ dimanant à forma, poſſint ad eius introductionem diſponere.

Igitur concluſio declaratur in hunc modum: nam vel loquimur de cauſis quoad eſſe, vel quoad cauſalitatem. Et quidem, ſi ſermo de illis ſit quoad eſſe: certum eſt, quod efficiens non recipit exiſtentiam ab alijs cauſis, ſed potiùs eam ipſis impertitur, & ſupponitur in actu independenter ab illis. At inter materiam, formam, & finem totalem, ſiue compoſitum mutua cauſalitas, & dependentia reperitur in exiſtendo. Quoniam materia dat formæ materiali eſſe ſuſtentatum in ipſa: forma verò communicat materiæ actualitatem requiſitam ad exiſtendum: vtraque autem in ſuo genere præſtat entitatem compoſito: à quo tamen in genere cauſæ finalis dependent: quia agens tribuens illis, quidquid habent, mouetur à fine, & influit ex intentione compoſiti. Quare in ſuo genere quælibet ex cauſis recenſitis eſt prior alia; quamuis in alijs generibus ſortiatur conditionem effectus: nam in genere v. g. cauſæ materialis omnia dependent à materia, ac proinde ipſa habet rationem cauſæ, & eſt prior: in genere autem cauſæ finalis materia, & forma dependent à compoſito, quod proinde ſecundum hanc rationem eſt prius: & ſic de alijs: ergo iſtæ cauſæ, ſi conferantur quoad eſſe, exercent mutuam cauſalitatem, & dependentiam, explicatam.

Si autem loquamur de dependentia quoad cauſalitatem, inter omnes reperitur mutua dependentia: quoniam in generatione ſubſtantiali non moueret finis, niſi efficiens ageret, neque iſtud flueret, niſi materia reciperet, & forma informaret, & è contra. Quapropter eadem generatio, quæ eſt omnium causarum velut causalitas, media qua reſultat effectus, & eſt propter finem, & exit ab efficiente, & educitur de materia, & ſpecificatur à forma: ac proinde omnes hæ causæ in sua causalitate mutuò connectuntur, & dependent. Si autem hæc dependentia conſideretur in vno genere, v. g. causæ finalis: tunc ſolus finis habet rationem cauſæ, & prioris: dependentia verò, quam ipſe aliàs habet ab aliis cauſis, in illo genere non concipitur: ſed præſcindit ab ea per abſtractionem præciſiuam; & efficiens, materia, & forma non concipiuntur in hoc genere, vt cauſæ, ſed ſolum, vt effectus finis. Quia licèt re ipſa cauſæ ſint, nihilominùs non influunt in genere cauſæ finalis; ſed aliàs in diuerſi generibus: in quibus ſunt priores, & finis ſortitur ſtatum effectus, exuitquè conditionem, cauſæ quam in proprio genere vendicat.

8 Sed objicies primò, hinc ſequi, quod idem reſpectu eiuſdem ſit notius, & ignotius, ſiquidem causa eſt notior effectu: atque ideò ſi poſſunt aliqua reſpectu eiuſdem habere rationem causæ, & effectus, iam erunt notum, & ignotum reſpectu illius. Hoc autem eſt abſurdum: nam dabitur circulus vitioſus in demonſtrationibus: ſi enim materia eſt causa formæ, & è contra, poterit demonſtrari materia per formam, & forma per materiam; cùm omnis effectus demonſtretur per ſuam cauſam: fietquè consequenter manifeſta circulatio.

Reſpondetur ex Diu. Thom. 1. 2. *q.* 33 *art.* 4. *ad* 2. nullum eſſe inconueniens in eo, quod aliquid ſit prius, & poſterius, notius, & ignotius, ſecundum diuerſas conſiderationes. Poteſt enim vnum eſſe ratio cognoſcendi aliud in aliquo genere, & per illudmet cognoſci in genere diuerſo: ac proinde non eſt notum, & ignotum ſecundum eandem rationem. Quare circulum difformem non eſſe vitioſum; ſed neceſſariò admittendum ſtatuimus *in Logica diſp.* 14. *quæſt.* 6.

9 Objicies ſecundò: quidquid eſt causa cauſæ eſt etiam causa causati à tali causa, vt dicitur in lib. de cauſis: ergo ſi materia v. g. eſt causa formæ, & rurſus forma eſt causa materiæ, ſequitur, quod materia, ſit causa ſui; hoc autem eſt manifeſtè inconueniens: ergo abſurdum eſt dicere, quod causæ mutuò dependent, & ſunt ſibi inuicem causæ.

Reſpondetur, axioma illud ſolùm verificari quando causa, & causatum influunt in eodem genere cauſæ; secùs verò cùm id, quod causatur, influit in diuerſo genere causæ, ac eſt illud, in quo causatum eſt. Vnde cum materia causet formam in genere causæ materialis, & dependeat ab ea; non in hoc genere; ſed in genere cauſæ formalis minimè ſequitur, quod materia ſit causa ſui. Ratio autem huius doctrinæ ſumpta ex D. Thom. 1. 2. *q.* 79. *art.* 1. *ad* 3. eſt: quoniam cum aliquid cauſatur, & cauſat in eodem genere cauſæ, influit per illudmet, eſſe, ſecundum quod cauſatum eſt; atque ideo id, quod eſt cauſa illius, cauſat etiam quidquid intra idem genus dependet ab eo. Vt ſi ignis cauſat calorem in aqua, & rurſus hic calor cauſet calorem in manu, benè ſequitur, ignem ſaltem mediatè eſſe cauſam caloris in manu: quia tam ignis, quàm calor aquæ ab eo immediatè productus influunt in eodem genere cauſæ efficientis. Cæterùm vbi genus cauſæ variatur, tunc id, quod cauſatur, non influit ſecundum illud eſſe, ſecundum quod eſt cauſatum; ſed ſecundum eſſe diuerſum, vt conſtabit diſcurrenti per vniuerſa cauſarum genera. Nam ſi comparentur efficiens, & finis, iſte mouet, & influit ſecundum ſuam bonitatem intentionaliter exiſtentem; cauſatur autem ſecundum ſuum eſſe naturale, & exercitum. Pariter ſi fiat collatio inter formam, & materiam, iſta per ſuam entitatem potentialem cauſat formam ſuſtentando per modum ſubiecti illam, à qua tamen dependet quantum ad ſpeciem poſitiuam, & exercitium exiſtendi; quare non cauſat, & cauſatur ſecundum eandem rationem, ſed ſecundum diuerſas. Ex quo non infertur, quod ſit cauſa ſui, neque aliud inconueniens.

§ II.

Declaratur ordo cauſarum in influendo.

10 DIcendum eſt ſecundò, quod licèt causæ habeant mutuam connexionem, & dependentiam in cauſando, vt conſtat ex nuper dictis; nihilominus finis eſt cauſa primò influens, deinde efficiens, poſtea materia, & vltimò forma ſic D. Thom. 1. *p. q.* 5. *art.* 2. *ad* 1. & *art.* 4. *in corpore*. Probatur: quoniam finis influit, vt immotus, & nullam aliam cauſam ſupponens, ac proinde influendo præcedit alias cauſas: deinde materia, & forma non poſſunt ſe à nihilo extrahere; ob idquè præſupponunt cauſam efficientem, quæ illas producat, & vniat: porrò agens creatum nequit formam producere, niſi ex præſuppoſito ſubiecto, ſeu materia; atque ideo hæc præſupponitur ad formam: denique compoſitum non valet reſultare abſque forma,

illud in determinata ſpecie conſtituente: ergo omnes hæ cauſæ ſeruant in influendo, ſeu cauſando compoſitum illum ordinem, quem in aſſertione deſcripſimus.

11 Obijcies: hic loquimur de cauſis, vt cauſæ ſunt: ergo impoſſibile eſt, quod ſecundum hanc conſiderationem ſeruent ordinem prioris, & poſterioris. Probatur conſequentia: nam quod concipitur, vt poſteriùs, concipitur, vt dependens: ſed repugnat, quod aliquid ſecundum munus cauſæ ſit dependens: ergo repugnat, quod cauſa in eſſe talis ſeruet ordinem poſterioris. Minor liquet: quia cauſa, vt cauſa eſt, dicit independentiam: ergo repugnat cauſæ, vt tali, quod ſit dependens.

Reſpondetur, nos loqui de cauſis non abſolutè acceptis, & ſecundum ſe, vel quatenùs vna præſcindit ab alijs; ſed ſumptis per ordinem ad effectum. Quamuis autem cauſæ præcisè, vt tali repugnet, quod ſit poſterior, quia ſub hac expreſſione ſolam independentiam importat, & influxum in proprio genere: minimè tamen repugnat, quod ſi cauſæ referantur ad effectum, influxus vnius cõcipiatur cum fundamento in re vt prior, quam influxus aliarum. Et ratio eſt ſatis aperta: nam licèt effectus dependeat ab omnibus cauſis; nihilominùs prius, hoc eſt magis, & intimius, dependet ab vna, quam ab alia: ergo cauſæ ratione dependentię effectus ab eiſdem, & per ordinem ad eum ſeruant influendo ordinem prioris, & poſterioris. Maximè quia, etſi contra rationem cauſæ ſit habere duntaxat rationem effectus, poſterioris, & dependentiæ; minimè tamen repugnat, inuoluere aliquam dependentiam, & ſubordinationem ad aliam cauſam, vt conſtat in causa ſecunda reſpectu primæ, & in fine intermedio reſpectu vltimi. Et hoc pacto se habent iſtæ causæ: nam efficiens, materia, & forma dependent in ipso influere à fine, ſiquidem influunt propter ipsum: forma autem priùs concipitur exire ab efficiente, quam actuare, vel informare materiam; & ſic de alijs. Quapropter in ipso munere causæ, licèt reſpectiuè ad effectum ſeruant ordinem prioris, & poſterioris: non quia ſub expreſſione præciſa causæ vna dependeat ab alia; ſed quia influxus vnius prius attingit effectum, quam influxus alterius, & intelligitur cum fundamento in re illum præcedere, vt patet in fine reſpectu efficientis, & ſatis liquet ex dictis.

QVÆSTIO III.

An vnus, & idem effectus poſſit ſimul produci à duabus cauſis totalibus, & eiuſdem ordinis.

CErtum eſt, duas cauſas partiales eiuſdem ordinis, vel duas totales diuerſi ordinis, & inter ſe ſubordinatas poſſe attingere eundem effectum, vt conſtat in duobus portantibus idem pondus, & in cauſa prima, & ſecunda producentibus eandem rem. Quocirca difficultas deuoluitur ad cauſas totales, & eiuſdem ordinis. Quę licèt æquè militet, & poſſet diſcuti in omni genere cauſarum; quia tamen quoad cauſas materiales, & formales ſatis apparet eius reſolutio *ex dictis diſp. 4. q. 5.* & de cauſa finali idem, ac de efficiente dicendum eſt: ideò ex profeſſo illam duntaxat verſabimus circa cauſas efficientes.

§. I.

Eligitur pars negatiua.

12 DIcendum eſt, implicare contradictionem, quod idem numero effectus producatur ſimul à duabus cauſis totalibus, & eiuſdem ordinis. Sic docet D. Thom. pluribus in locis, & præcipuè *1. p. q. 52. art. 3. & quæſt. 3. de potentia art. 7. ad 11. art. 19. ad 1.* Vnde hic modus dicendi frequentior eſt inter Thomiſtas. Videantur Capreol. *in 2. diſt. 20. quæſt. vnica art. 3. ad argumenta Scoti contra 4. concl.* Ferrar. *3. contra Gentes cap. 68.* Iauel. *5. Metaph. quæſt. 7.*

Probatur primò: quia ſi idem numero effectus ſimul produceretur à duplici cauſa totali, & eiuſdem ordinis, penderet per ſe à qualibet illarum, & non penderet per ſe: ſed in hoc clauditur implicatio contradictionis: ergo. Sequela quoad primam partem facilè oſtenditur: nam effectus pendet per ſe ab eo, à quo habet totum ſuum eſſe: ſed effectus haberet totum ſuum eſſe à qualibet ex illis cauſis, vt ſupponitur: ergo penderet per ſe à qualibet illarum. Secunda etiam pars ſuadetur: quoniam effectus non pendet per ſe ab eo, ſine cuius influxu poteſt produci: ſed effectus poſſet produci ſine qualibet ex illis duabus cauſis; ſiquidem naturaliter loquendo ſolùm fit ab vna: ergo à nulla earum per ſe dependet.

13 Reſpondet Suarez, cauſam per ſe non eſſe illam, ſine cuius influxu nequit effectus produci; ſed illam, in cuius virtute continetur effectus, & à qua producitur, ſiue poſſit procedere ab alia, ſiue non. Vnde ly *per ſe* debet ſumi duntaxat poſitiuè, non autem negatiuè; ſiue negando, & excludendo conſortium alterius cauſę.

¶ Hæc tamen expoſitio voluntaria eſt: quoniam dependere *per ſe* vnum ab alio, nihil aliud eſt, quam non poſſe, ſaltem naturaliter, eſſe ſine illo: & ſic forma materialis pendet per ſe à materia, quia non poteſt fieri, & eſſe ſine illa; & è contra anima rationalis non dependet à corpore, quia naturaliter loquendo poteſt eſſe ſine illo: ſed effectus, qui procederet à duabus cauſis totalibus eiuſdem ordinis, poſſet fieri naturaliter ſine concurſu illarum duarum cauſarum, & abſque qualibet ex illis determinatè ſumpta, vt ex se conſtat: ergo neque penderet per ſe ab illis ſimul concurrentibus, neque ab illis ſeorſim, & determinatè acceptis.

Quod poteſt amplius declarari, & vrgeri: nam effectus productus à duabus cauſis totalibus eiuſdem ordinis, vel dependet per ſe ab illis ſimul ſumptis: & hoc dici non valet; ſiquidem poteſt fieri ab vna tantùm, atque iſtud eſt illi connaturalius. Vel dependet à quauis particulari, & in ſolidum: & neque hoc poteſt dici; nam ſine concurſu eius valet produci ab alia. Vel dependet indiſtinctè ab vna, vel ab alia, vel ab vtraque, eo modo, quo viſio dependet ab oculo, ſiue ſit dexter, ſiue ſiniſter, ſiue vterque, & neque iſtud poteſt affirmari: quoniam effectus eatenùs dependet à cauſa, quatenùs ab ea accipit eſſe: ſed non acciperet eſſe ſub hac confuſione, & indiſtinctione, vt ſic dicamus, ab iſta, vel ab illa cauſa, vel ab vtraque; ſed determinatè à duabus cauſis ſimul concurrentibus: ergo nequit ab vna, vel ab alia indeterminatè pendere. Quod conſtat exemplo viſionis: quoniam licèt conſiderata viſio in actu ſignato, & præciſè quoad ſpeciem non dependeat determinatè ab iſto oculo, ſed ab vno, vel ab altero: attamen hæc numero viſio executa, & exiſtens per ſe dependet ab aliquo oculo determinatè accepto, ab eo videlicet, à quo fit. Et ratio eſt: quia effectui, vt tali eſt eſſentialis dependentia ab alio; ergo ſicut effectus executus, & exiſtens

non

Digitized by Google

non eſt incertus, & indifferens; ſed certus, & determinatus, ita importat certam, & determinatam dependentiam ab vna, vel à pluribus cauſis: atque ideo ita fiet ab illis, vt non poſſit fieri, niſi ab eiſdem: ergo non rectè dicitur, quod ad dependentiam per ſe effectus à cauſa ſufficit contineri in ea, licèt poſſit naturaliter procedere ab alia.

14 Reſpondet ſecundò idem Suarius, effectum procedentem à duabus cauſis totalibus eiuſdem ordinis fieri per duas actiones totales eiſdem cauſis correſpondentes: atque ita prout fit ab vna per vnam actionem, ita per ſe, & indiſpenſabiliter pendet ab ea, vt nequeat fieri, aut pendere ab alia cauſa: quoniam licèt ab altera etiam producatur; non tamen fit per illam, ſed per diuerſam actionem.

Sed contra arguitur primò: quia repugnat naturaliter duo accidentia ſolo numero diuerſa eſſe in eodem ſubiecto, vt docet communis ſchola Thomiſtarum: ſed illæ actiones totales, ſi darentur eſſent eiuſdem ſpeciei, vt conſtat, & reciperentur in eodem ſubiecto; cùm ſint fieri eiuſdem effectus: ergo repugnat, quod idem effectus producatur per duas actiones totales eiuſdem ordinis. ¶ Confirmatur: nam ideo nequeunt dari, ſaltem naturaliter loquendo duæ actiones totales eiuſdem ordinis, quia quælibet eſt totalis: ita vt per ſuammet entitatem ſit in actu ſecundo actuale exercitium impediendi aliam, ſicut virtus totalis eſt in actu primo virtus impeditiua alterius: quippe id ipſum præſtat actio in actu ſecundo, quod virtus in actu primo: ergo ſicut repugnat dari virtutem totalem ſine vi, & facultate impediendi aliam eiuſdem ordinis, ita repugnabit eſſe actionem totalem, & non eſſe ipſam actualem, vt ſic loquamur, impeditionem alterius: & conſequenter implicat dari ſimul duas actiones totales eiuſdem ordinis, & reſpectu eiuſdem effectus.

Secundò impugnatur eadem ſolutio: quoniam ſi idem effectus produceretur à duabus cauſis totalibus, & per duas actiones totales eiuſdem ordinis; per vnicum reſpectum, ſiue habitudinem reſpiceret vtramque cauſam, & vtramque actionem: ergo impoſſibile eſt quod dependeat ab vna cauſa ſub vna ratione, & ab altera ſub alia: & conſequenter non poteſt dici, quod effectus, prout fit per vnam actionem, dependeat ab vna cauſa; & quatenùs producitur per alteram actionem, dependeat ab altera cauſa totali, & eiuſdem ordinis. Patet conſequentia quia aliàs; effectus ille in ratione reſpiciendi non eſſet vnicus, & indiuiſibilis, ſicut ſi terminaret ſub diuerſa ratione, iam non eſſet vnus in munere terminandi. Antecedens autem ſuadetur: quia effectus reſpicit cauſas, ſicut terminat illarum influxum, & ita ſi habet vnam duntaxat rationem terminandi, etiam debet habere vnicam rationem reſpiciendi, & vnicum reſpectum: atqui illæ cauſæ, ſuppoſito, quod ſint eiuſdem ordinis, terminantur ad effectum ſub vna, & eadem ratione ſi enim vna terminaretur ſub diuerſa, vel communiori ratione, iam non eſſet cauſa eiuſdem ordinis, ſed diuerſi, & ſuperioris: ergo pariter effectus reſpicit vtramque cauſam eodem reſpectu.

15 Explicatur hoc amplius, nam ille effectus terminans duas actiones totales, vel reſpicit illas ſub diuerſa ratione, vel reſpicit ſub eadem? ſi ſub diuerſa: ergo non reſpiciuntur, vt actiones eiuſdem ordinis, & rationis. Si ſub eadem: ergo non reſpiciuntur vt totales, & adæquatæ, ſed vt partiales: ſicut quia potentia viſiua reſpicit duas viſiones ſub eadem ratione illis communi, neutram reſpicit, vt totalem, & adæquatam. Ex quibus omnibus poteſt depromi alia ratio in fauorem noſtræ aſſertionis, quam ſatis ſit attigiſſe: nam duæ cauſæ totales nequeunt producere eundem effectum per duas actiones totales, vt conſtat ex nuper dictis; neque per vnicam, & indiuiſibilem actionem totalem, tùm quia duobus agentibus totalibus debent diſtinctæ, & totales cauſalitates correſpondere: tùm quia, deficiente concurſu vnius cauſæ, poſſet adhuc effectus produci per concurſum alterius, & conſequenter non influunt per eandem actionem: ergo implicat, quod duæ cauſæ totales producant ſimul eundem numero effectum. Id quod à fortiori conſtabit ex dicendis quæſt. ſequenti.

§. II.

Occurritur argumentis aduerſis.

16 Contra noſtram aſſertionem duplex eſt opinio. Prima aſſerit naturaliter eſſe poſſibile, quod vnus effectus procedat à duabus cauſis totalibus eiuſdē ordinis, ſic docent Nominales, vt refert Maſius hìc *cap. 3. ſect. 5. q. 2.* Secunda tenet id repugnare naturaliter; non tamen ſupernaturaliter. Ita Suarez *diſp. 26. Metaph. ſect. 4.* cum alijs pluribus Iunioribus.

Probatur primò: quoniam duo luminoſa, vt quatuor poſſunt naturaliter applicari vni, & eidem ſpatio: ergo producent in eo, vt cauſæ totales proximæ eundem numero effectum v. g. lumen, vt duo. Probatur conſequentia: quia in primis ex parte medij nulla datur indiſpoſitio, aut reſiſtentia, vt ſupponitur: deindè vnum ex illis luminoſis non impedit aliud; cùm ſint eiusdem virtutis, & vnum non præueniat aliud, ſed applicentur in eodem inſtanti, & in eadem diſtantia: deniquè non poſſunt concurrere partialiter; ſiquidem quodlibet habet ex ſe virtutem ſufficientem ad producendum lumē, vt duo, & agit quantum poteſt: ergo lumen, vt duo poteſt naturaliter produci à duplici causa totali eiusdem ordinis.

Reſpondetur, impoſſibile esse naturaliter loquendo, quod idem corpus, & ſecundum eandem partem æquè diſtet à duobus luminoſis exiſtentibus in diuerſo loco: quoniam corpus eſt diuiſibile in plures partes, & conſequenter, ſecundum quaſdam eſt proximius vni luminoſo, & ſecundum alias alteri. Quare ſecundum vnam partem illuminatur ab vno, & ſecundum aliam ab alio, quin vtrumque agat in eodem corpore, & ſecundum eandem partem, ſed ſecundum diuerſas. Quia, cùm vnumquodque ex illis reſpectu partis, quæ ei magis appropinquatur, ſit agens fortius; impedit ne aliud producat lumen in eadem parte. Apparet tamen medium magis illuminatum: non quia lumen eius ſit magis intenſum; ſed quia magis extenditur, & diffunditur, quam ſi eſſet vnicum luminoſum. Cuius ratio eſt: quia luminoſum agit per lineam rectam, vt docet Ariſtot. *ſect. 15. problem. 9.* vnde ſolum emittit lumen verſus illas partes, quæ ſibi e regione opponuntur. Porrò corpus illuminabile nunquam eſt ita perpolitum, quin habeat aliquas particulas magis prominentes, quæ conſequenter cauſent vmbram in alijs, & ſic impediant, ſaltem aliquo modo, illuminationem earum. Vbi autem aliud luminoſum ponitur quaſi à tergo, illuminat illas partes: & ob id apparet medium magis illuminatum; non quia habeat lucem magis intenſam, ſed quia illam recipit in pluribus partibus, & vt ſic dicamus, verſus omne latus.

17 Sed contra (& arguitur ſecundò) poſſet Deus vtrumque luminoſum penetrare: ſed tunc æquè diſtarent à medio, & alias retinerent eandem virtutem: ergo poſſent producere eundem effectum: ac proinde poſſibile erit, quod ſaltem ſupernaturaliter, & ſuppoſito miraculo, idem effectus prodeat à duabus cauſis totalibus,

& eiuſdem ordinis.

Reſpondetur, quod cùm illa agentia ſint eiuſdem virtutis, & æquè diſtent à medio, nullum eorum aget: quia mutuo, & eiſdem viribus ſe impedient: & conſequenter à nemine eorum fiet illuminatio. Quod ſi Deus vellet, vt non obſtante penetratione, & æqualitate virtutis illuminatio ſequatur: tunc vel tantùm concurret cum vno ex illis luminoſis, quod ipſe deſignare maluerit, vel ſi voluerit cum vtroque influere, & quod ab illis producatur effectus, applicabit illa ad illuminandum partialiter, & attemperando eorum actiones. Quare nunquam fiet etiam ſupernaturaliter, quod idem effectus ſit à duabus cauſis eiuſdem ordinis, quatenùs totales ſunt; ſed vel ab vna tantùm, vel ab vna, & alia partialiter influentibus. Neque reſponſio in prædicto caſu eſt, voluntaria: quia ſatis ſuperquè oſtenſum generaliter eſt, repugnare, quod duæ cauſæ totales, & eiuſdem ordinis producant ſimul eumdem numero effectum.

18 Tertiò arguitur: quia plures ſacerdotes poſſunt conſecrare eandem numero hoſtiam, ſi ſimul proferant verba conſecrationis, vt docet D. Thom. 3. *p. q.* 82. *art.* 2. ſed ij ſunt plures cauſæ totales illius effectus: ergo idem effectus poteſt produci à pluribus cauſis totalibus eiuſdem ordinis. Minor videtur euidens: quia vnus ſacerdos non conſecrat vnam partem hoſtiæ, & alius aliam; ſed quilibet totam hoſtiam: & aliàs vnuſquiſque eſt cauſa adæquata, & ſufficiens; ſiquidem, quolibet in particulari deficiente, adhuc conſecratio, ſubſiſteret, & fieret ab alio: ergo.

Reſpondetur negando minorem, vel ſuppoſitum illius: quoniam ſacerdotes ſimul conſecrantes, licèt ſint plura ſuppoſita, non ſunt plura inſtrumenta formaliter, & propriè loquendo; ſed ſunt vnum in Chriſto, in cuius perſona, & virtute conſecrant, & cui in agendo ſubordinantur. Quoniam hoc ipſo, quod agens principale ſit vnum, & moueat ad eundem numero effectum; virtus inſtrumentaria, ſiue intentionalis eſt in hoc genere vna, & eadem formaliter in eſſe virtutis, quantumuis diffundatur per ſuppoſita materialiter diuerſa. Vnitas quippè talis virtutis, ſicut & eius eſſe, debet regulari per virtutem agentis præcipuè, à quo deriuatur, & penès effectum ex cuius intentione confertur. Quare conſecratio facta à pluribus ſacerdotibus, non reſpicit vnumquemque ex illis, vt cauſam totalem, & ſibi adæquatam; ſed hoc pacto reſpicit collectionem omnium illorum, vel omnes, quatenùs ſunt vnum in Chriſto, & influunt per modum vnius inſtrumenti. Et eſt de materiali, quod illa virtus inſtrumentaria communicetur vni, vel pluribus: quia ſiue ſit in vno, ſiue in multis, concurrit formaliter eodem modo. Vnde prouenit, quod etiam, ſubtracto quolibet ſacerdote, ſi virtus perſeueret in alio, aut alijs, ſit efficiens, ſicut antea.

19 Vltimò arguitur: quia idem actus poteſt ordinari ad duos fines totales: ergo idem effectus poterit eſſe à duobus agentibus totalibus. Conſequentia conſtat à paritate, & antecedens ſuadetur: nam poteſt quis deambulare, gratia tùm ſanitatis, cùm inuiſendi amicum; ita vt propter quemlibet horum finium exerceret deambulationem, etiam ſi alter deeſſet: ergo quilibet ex illis eſt finis totalis, & adæquatus deambulationis.

Reſpondetur negando antecedens, ad cuius probationem, dicendum eſt, fines illos eſſe partiales, & ex illis integrari vnum finem totalem. Quare ex vi illius volitionis, qua ſimul appetuntur, non ſequeretur deambulatio, ſi alter eorum deficeret. Quando verò, deficiente vno, adhuc ſequitur deambulatio, non eſt ex vi intentionis præcedentis ad vtrumque ſimul terminatæ; ſed ratione nouæ volitionis, qua vnus in ſolidum, & per modum finis totalis accipitur.

QVÆSTIO IV.

An idem effectus poſſit fieri diuiſim à pluribus cauſis totalibus.

POſtquam oſtendimus repugnare, quod idem effectus fiat ſimul à pluribus cauſis totalibus eiuſdem ordinis; diſquirendum eſt, an id ſit poſſibile ſaltem diuiſim: ita videlicet, quod effectus, qui hic, & nunc procedit ab iſta cauſa v. g. à Petro, poſſit produci à Paulo, ſi ſub eiſdem circunſtantijs influeret. Cuius difficultatis reſolutio, non obſcurè apparet ex dictis quæſt. præcedenti: nam quæ ibidem diximus ad oſtendendum, quod effectus penderet, & non penderet per ſe à quolibet ex illis cauſis, poſſunt huic difficultati adaptari, vt conſiderans deprehendet. Maluimus tamen claritatis gratia dubium illud ſingillatim diſcutere, tùm vt implicationem circa hoc in cauſis vniuocis oſtenderemus: cùm vt euerteremus peculiare fundamentum Aduerſariorum. Quidquid autem de cauſis vniuocis, & particularibus dictum fuerit, poterit æquiuocis, & vniuerſalibus cum proportione applicari.

§. I.

Defenditur ſententia D. Thomæ.

20 DIcendum eſt, repugnare, quod idem effectus fiat diuiſim à duabus cauſis totalibus, & vniuocis: v. g. quod idem numero homo poſſit diuiſim generari à Petro, & Paulo. Sic docent Capreol. Soncinas, Iauelus, Soto, & alii plures, quos adducit, & ſequitur Maſius *cap.* 3. *ſect.* 5. *quæſt.* 3.

Probatur primò auctoritate Angelici Doct. *quodlib.* 5. *art.* 8. vbi inquit: *Impoſſibile eſt, eundem filium naſci, ſiue ſit alius pater, ſiue alia mater; ſicut etiam non eſt idē numero ſigillum, ſiue ſit alia cera, ſiue ſit aliud corpus ſigilli, ex cuius impreſſione cera ſigillatur.* Conſtat autem, quod in via D. Thom. implicat eſſe eandem numero figuram ſigilli, ſi cera ſit diuerſa; cùm apud ipſum accidentia indiuiduentur à ſubiecto: ergo ex mente S. Doctoris repugnat, eundem numero effectum eſſe diuiſim à duabus cauſis totalibus, & vniuocis.

21 Deinde ſuadetur ratione: quia ſicut differentia indiuidualis limitat v. g. animam rationalem in ratione eſſentiæ, ita limitat illam in ratione naturæ, ſeu potentiæ radicalis; quia ſecundum vtramque rationem contrahit eam, & conſtituit indiuiduam: ſed hæc numero anima rationalis, quia limitata in eſſentia, nequit conſtituere eandem numero eſſentiam, quam alia anima conſtituit: ergo, quia limitata in conceptu naturæ non poterit per modum potentiæ radicalis producere eundem numero effectum, quem alia anima producit.

Confirmatur primò: quoniam licet Petrus, & Paulus ſint eiuſdem ſpeciei; nihilominùs numero diſtinguuntur, & non habent eandem realiter eſſentiam, vel potentiam generatiuam: ergo licèt poſſint producere effectus eiuſdem ſpeciei; non tamen eundem numero effectum. Patet conſequentia: quia terminus, & effectus debent reſpondere principio, & virtuti: ergo ſi potentia generatiua Petri, & Pauli non eſt eadem numero, ſed ſpecie; non poterit attingere effectum eundem numero, ſed ſpecie. § Explicatur hoc: quia potentia generatiua abſtracta, & conſiderata ſecundum ſpeciem, magis ſe extendit, quam hæc numero potentia generatiua Petri;

ſiqui-

Digitized by Google

ſiquidem iſta limitat, & contrahit gradum ſpecificum: ſed potentia generatiua humana conſiderata in communi, ſolùm ſe extendit ad omnia indiuidua ſpeciei humanæ, & non alterius ſpeciei: ergo hæc numero potentia generatiua Petri non ſe extendit ad omnia indiuidua humana; ſed ab iſta numerò determinatè, & non ad alia numero diuerſa.

22 Reſpondebis, vim noſtræ rationis fundari in conſideratione metaphyſica, & in præciſionibus graduum ſuperiorum, & inferiorum; & conſequenter parum vrgere apud Philoſophos, qui ad has præciſiones non attendunt: ſed ad vires, & intentionem naturæ. Hæc autem in productione indiuidui intendit conſeruationem ſpeciei: ad quam per accidens eſt, quod producatur iſtud, vel illud indiuiduum. Vndè terminus cuiuſcunque potentiæ generatiuæ humanæ, eſt quodcumque indiuiduum illius ſpeciei.

Sed contra: nam rationes metaphyſicæ fundantur in phyſicis: & ideò quia natura diuina non eſt partita metaphyſicè per differentias indiuiduales, rectè colligitur tres diuinas perſonas habere eandem virtutem, & modum operandi ad extra: ſi verò natura diuina eſſet diuerſa numero in illis, ſicut non eſſent idem numero Deus; ita neque haberent eandem virtutem, neque poſſent producere eoſdem numero effectus; ergo Philoſophus debet attendere ad has præciſiones, & gradus metaphyſicos. Quod ſatis ſuperque conuincitur exemplo eſſentiæ in noſtra ratione adducto: nam anima Petri, & anima Pauli nequeunt conſtituere eundem numero hominem, licèt ſint eiusdem ſpeciei: non alia ratione, niſi quia ipſæ diſtinguuntur numero: ſed etiam potentia generatiua Petri, & potentia generatiua Pauli diſtinguuntur numero, vt liquet: ergo non poſſunt producere eundem numero effectum. Sicut ergo ex limitatione metaphyſica animæ, penès gradum indiuidualem, rectè colligitur impotentia phyſica ad conſtituendum idem compoſitum, quod alia anima numero diſtincta conſtituit; ita ex limitatione metaphyſica huius numero potentiæ generatiuæ, rectè colligitur impotentia phyſica ad attingendum eundem numero effectum, quem alia potentia producit.

Id autem, quod in hac ſolutione tangitur, nullius roboris eſt, quia licèt natura humana conſiderata in communi intendat ſui conſeruationem per productionem cuiuſcumque indiuidui; ad quod per accidens eſt iſtud, vel illud produci; nihilominùs hæc numero natura determinata ad Petrum, non intendit conſeruationem ſpeciei, niſi per determinatam collectionem indiuiduorum. Et ratio eſt: quoniam potentia generatiua ſumpta ſecundum ſpeciem agit per omnes potentias illius ſpeciei; & conſequenter intendit ſui conſeruationem per productionem quorumcumque effectuum. At hæc numero potentia non operatur, niſi per determinatam virtutem diſtinctam numèro ab aliis, & ſic non intendit conſeruationem ſpeciei, niſi per determinata indiuidua, quæ intra illam virtutem continentur.

§. II.

Conuelluntur rationes opinionis contrariæ.

23 ADuerſum noſtram concluſionem ſentiunt Scotus *in 2. diſt. 20. quæſt. 2.* Suarez *diſp. 26. Metaph. ſect. 5.* & alij plures: qui aſſerunt, non ſolùm ſupernaturaliter, ſed etiam naturaliter fieri poſſe, quod idem effectus ſit diuiſim à duabus cauſis totalibus, & vniuocis. Fundamentum præcipuum illorum eſt: quoniam duo indiuidua v. g. Petrus, & Paulus ſunt eiuſdem perfectionis eſſentialis; ergo eiuſdem virtutis: ergo quidquid fit ab vno: poteſt, ſaltem diuiſim, fieri ab alio.

Sed ad hoc conſtat ex dictis: duo namque indiuidua eſſe eiuſdem eſſentiæ, non importat quod eadem numero, & indiuiſa eſſentia ſit in vtroque: hoc quippè proprium eſt naturæ diuinæ, & omni creatæ repugnat: ſed ſolùm per hanc loquutionem ſignificamus, naturam vnius indiuidui eſſe ſimilem naturæ alterius; & non diſtingui diſtinctione orta ex principijs eſſentialibus, ſed ſolùm ex materialibus. Hinc tamen ſolùm infertur, quod poſſint producere effectus ſimiles in ſpecie, & ſolo numero differentes: minimè tamen colligitur, quod poſſint ad eoſdem numero effectus ſe extendere. Virtus enim ad omnes eiuſdem ſpeciei effectus eſt propria potentiæ ſumptæ ſecundum ſpeciem; ſecùs verò huius numero potentiæ, quæ per ſuam hæcceitatem limitat ſpeciem, & determinatur ad certam collectionem indiuiduorum; quemadmodum differentia ſpecifica limitat genus, & determinat ad effectus talis ſpeciei, & non alterius.

24 Cæterùm aduerſus hanc doctrinam inſurgit Suarez: nam ex ea ſequitur, quod hæc numero virtus nequeat attingere, niſi hunc numero effectum, & nullum alium: conſequens eſt manifeſtè falſum, ſiquidem experientia conſtat plures numero effectus ab eadem numero virtute prodire, vt plures filios ab eodem patre: ergo. Sequela oſtenditur: quia nos ita philoſophamur de differentia indiuiduali contrahente ſpeciem, ſicut de differentia ſpecifica contrahente genus: ſed genus determinatum per differentiam ſpecificam, ſolum poteſt attingere quandam ſpeciem effectuum, vt animal determinatum per rationale: ſolùm valet producere homines: ergo ſpecies determinata per differentiam indiuidualem, ſolùm poterit attingere hunc numero effectum, & non alium. Quia ſic ſe habet differentia ſpecifica ad effectum ſecundum ſpeciem; ſicut differentia indiuidualis ad effectum ſecundum numerum; vel proportio, cui noſtra doctrina innititur, nullius ponderis eſt.

Reſpondetur negando ſequelam, quam Suarius minimè euincit: nam quod virtus indiuidui non ita ſe extendat, ac virtus ſpeciei, optimè colligitur ex illa proportione differentiæ ſpecificæ, per quam ita genus limitatur, vt nequeat producere quidquid poſſet attingere ſumptum in communi, & prout continet in potentia omnes ſpecies. Quod verò limitatio prouenìens à differentia indiuiduali non ſit tanta, quod determinet virtutem ſpecificam ad vnum numero effectum, experientia ipſa conuincit. Vndè licèt genus contractum per vnam differentiam ſpecificam nequeat attingere effectus alterius ſpeciei; virtus tamen ſpecifica limitata per differentiam indiuidualem poteſt attingere plures effectus numero diſtinctos. Et ratio diſcriminis eſt ſatis manifeſta: quia indiuiduum per hoc, quod produxerit aliud, non amiſit ſuam naturam, & virtutem operandi, & ideò, eo producto, poteſt aliud generare: quæuis enim virtus actiua, niſi corrumpatur, vel multum labefactetur, non tot producet, quin poſſit producere plura: atque ideò indiuidua producibilia ab vno indiuiduo non ſunt determinati numeri; ſed infinita ſincategorematicè. Cæterùm genus determinatum realiter ad vnam ſpeciem excludit poſitiuè alias; cum nullo modo contineat actu illarum differentias: quod opus erat, vt poſſet illas effectiuè attingere.

25 Vbi obſerua, intra vnam ſpeciem non ſolùm contineri infinita indiuidua, ſed etiam infinities infinita, ſiue infinitas ſeries indiuiduorum, vt patet in intellectibus damnatorum, quorum quilibet eliciet infinitas ſincategorematicè intellectiones per totam æternitatem. Quælibet ergo differentia indiuidualis determinat ſpeciem

ciem

Digitized by Google

ciem ad peculiarem ſeriem, ſeu collectionem indiuiduorum: quare ſicut natura generica determinatur per differentiam ſpecificam ad non producendum extra illam ſpeciem; ita natura ſpecifica limitatur per differentiam indiuidualem ad non efficiendum extra illam ſeriem. Et in hoc ſtat proportio, quam ſupra expendimus.

26 Secundò arguitur: quia non minor virtus requiritur ad conſeruandum effectum, quam ad illum efficiendum; cùm conſeruatio ſit continuata productio: ſed effectus, qui producitur ab vna cauſa, poteſt conſeruari ab alia, vt patet in calore aquæ, quem poteſt vnus ignis producere, & alter conſeruare: ergo effectus, qui fit ab vna cauſa, poteſt etiam ab alia produci.

Reſpondetur admittendo maiorem, ſi procedat de conſeruatione quæ eſt idem cum prima rei productione, & appellatur conſeruatio per ſe; ſecùs verò, ſi intelligatur de conſeruatione per accidens, quæ diſtinguitur à prima productione effectus, & ſolùm conſiſtit in remotione contrariorum, et inductione qualitatis congruæ rei conſeruandæ. Et hoc vltimo conſeruationis modo poſſunt plures cauſæ ad eundem effectum conſeruandum influere. Ex quo tameo minimè infertur, quod eundem indiuiſibilem effectum producant: quia quælibet inducit diſtinctas numero diſpoſitiones, medijs quibus conſeruatur effectus ab alia cauſa productus.

27 Tertiò arguitur: nam ideò effectus, qui fit ab hac cauſa, non poſſet fieri ab alia, quia connaturale eſſet effectui determinare ſibi vnam cauſam, à qua procedat: ſed hoc eſt falſum: ergo idem effectus poteſt fieri diuiſim à pluribus cauſis totalibus, & vniuocis. Probatur minor: tùm quia effectus, qui producitur à cauſa vniuoca, poſſet æquè connaturaliter produci à cauſa prima. Tùm etiam, quia idem numero calor, qui fit ab igne poſſet fieri, non ſolùm à Deo, ſed etiam à ſole; cùm ſol contineat eminenter totam ſpeciem caloris: ergo effectus non determinat ſibi aliquam cauſam, à qua procedat, ſed accidit ei fieri ab iſta, vel ab illa.

Reſpondetur, quod licèt effectui conſiderato ſecundum ſuam ſpeciem accidat produci ab iſta, vel illa cauſa, & conſequenter nullam ſibi in particulari determinet: nihilominùs effectui ſumpto ſecundum ſuam indiuiduationem per ſe conuenit contineri in hac numero virtute, & ab ea ſolùm produci: plura enim concernit ad ſui indiuiduationem, à quibus præſcindit ſecundum prædicata eſſentialia nudè accepta. Et ad primam probationem in contrarium dicendum eſt, Deum continere eminenter omnem determinationem, quæ in cauſa creata reperitur; & ideò poſſe producere ſe ſolo effectus, quos cum creatura producit. Neque hinc ſequitur, quod ille numero effectus nullam ſibi determinet cauſam; vel quod dependeat per ſe à duabus cauſis totalibus particularibus, videlicet à creatura, & à Deo, qui per modum cauſæ particularis tunc attingeret eum effectum. Hoc inquam, non ſequitur: quia effectus vnam numero virtutem actiuam determinat, & ab ea per ſe dependet: ſed huic virtuti, prout terminat habitudinem effectus ad ſe, accidit habere modum formalem eſſendi, vt in creatura, vel modum eſſendi eminentem, vt in Deo & ſic ſemper effectus fit ab eadem cauſa, ſiue fiat à creatura, ſiue à ſolo Deo.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, ſolem, & idem eſt de alijs cauſis creatis vniuerſalibus, & æquiuocis, non continere eminenter omnem determinationem cauſæ particularis: & ita ſe ſolo non poſſe efficere eundem numero effectum, v. g. calorem, quem cauſat, quando cum cauſa particulari concurrit. Fatemur tamen ſoli, vtpotè habenti perfectiorem, & vniuerſaliorem, virtutem, correſpondere maiorem collectionem indiuiduorum, quam ſit ea, quæ igni, vel alteri cauſæ particulari correſpondet. Sed non extenditur ad totam ſpeciem, tùm quia non continet, eminenter omnes virtutes particulares; hoc enim eſt proprium Dei: tùm quia ſol eſt numero multiplicabilis, & ideò nequit huic indiuiduo ſolis competere omnis virtus, quæ conuenit ſpeciei, vt conſtat ex ſupra dictis.

28 Vltimò ſuadetur hæc ſententia pluribus experientijs, quibus probari videtur, quod idem effectus productus ab vna cauſa, fiat ab alia, ſi tunc applicetur: ergo naturaliter eſt poſſibile eundem effectum prodire diuiſim à pluribus cauſis. Aſſumptum autem oſtenditur, tùm quia, ſiue bos v. g. interficiatur à Petro, ſiue à Ioanne, ſiue ab igne, ſiue à fulmine, ſequitur idem numero cadauer. Tùm etiam: quia idem eſt lumen intenſum, & remiſſum: conſtat autem idem numero lumen, quod producitur ab vno luminoſo, intendi frequenter ab alio. Tùm deniquè, quia diuerſi motus diuerſorum animalium poſſunt terminari ad eundem numero locū: & conſequenter poſſunt illa mobilia habere eandem numero exiſtentiam in loco.

Reſpondetur negando antecedens, & ad primam probationem dicimus, quod cadauer illud non producitur principaliter à iugulante, vel à fulmine; ſed à cœlo, vel ab elemento prædominante: quare identitas, vel diuerſitas illius regulari debet penès identitatem, aut diuerſitatem huius cauſæ principalis, à qua per ſe producitur. ¶ Ad ſecundam dicimus, intenſionem luminis addere aliquid ſupra lumen ſecundum ſpeciem acceptum: & conſequenter lumen intenſum diſtingui aliquo modo à ſe ipſo, vt remiſſo. Quare ex eo, quod lumen fiat ab vna cauſa, & intendatur ab alia, non ſequitur, quod idem numero effectus ſit ab vtraque; ſed quod ſit ſecundum entitatem ab vna, & ſecundum modum intenſionis ab alia. ¶ Ad tertiam dicimus, identitatem exiſtentiæ rei in loco non deſumi ex identitate loci ſed ex identitate rei locatæ: & ideò duo corpora penetrata, & exiſtentia in eodem loco habent duplex vbi: quia iſtud indiuiduatur à ſubiecto, videlicet à re locata quæ in eo caſu eſt duplex entitatiuè. Neque refert, quod duplex motus terminetur ad eundem numero locum: quoniam locus non producitur, ſaltem per ſe primò, à motu locali; ſed eſt terminus extrinſecus eius, & ſupponitur productus.

LIBER

Digitized by Google

LIBER III. PHYSICORVM.

NON poteſt haberi perfecta notitia naturæ, quæ eſt principium, & cauſa motus, niſi eiuſdem motus quidditas explicetur. Vndè poſt traditam naturæ definitionem, rectus ordo poſtulabat, vt de motu ſermo inſtitueretur: quod præſtat Ariſt. in hoc tertio libro. *Et quia actio, & paſsio comitantur motum: & hic eſt de genere continuorum, quibus conuenit eße finita, vel infinita: idcircò de actione, & paſsione, de finito, & infinito diſſerit in hoc libro Philoſophus. Quod, & nos præſtare ſtudebimus, elucidantes eius doctrinam, quæ obſcuritati obnoxia eſt, atque expoſitione indiget.*

DISPVTATIO XVI.

De eſſentia motus in communi.

MERITO circa quidditatem motus in communi præſentem diſputationem inſtituimus: cùm vt ſeruemus methodum compoſitionis, iuxta quam ab vniuerſalioribus incipiendum eſt: cùm quia Ariſtot. in hoc libro tantùm tractat de motu in communi, acturus de eius diſtinctione, & ſpeciebus in libro quinto. Cuius ordinem ſequi, ſicut & mentem conſequi optamus: & ideò notitiæ motus in communi damus præſentem diſputationem.

QVÆSTIO I.

An definitio motus tradita ab Ariſtot. ſit recta.

QVamuis motus exiſtentiam negauerit quidam Zeno Ariſtotele antiquior; ea tamen adeò manifeſta eſt, vt ſenſibus deprehendatur: & ideò, relicta queſtione *an eſt*, à queſtione *quid eſt* diſputationem ordimur. Natura autem motus non aptiùs poterit innoteſcere, quam adducendo definitionem eius traditam ab Ariſtot. quę eſt huiuſmodi: *Motus eſt actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia*: quam curabimus exponere, & ab obiectionibus vindicare.

§. I.

Defenditur, & declaratur motus definitio.

1 DIcendum eſt, prędictam definitionem eſse legitimam. Sic docent D. Thom. *in præſenti, & 1. p. q. 9. & 2. contra Gentes, cap.* 17. & communiter omnes Philoſophi, & Theologi. Probatur primò, animaduertendo priùs ex D. Thom. hic *lect.* 2. quod res ſubiecta mutationi poteſt in triplici ſtatu conſiderari. Primò in potentia tantùm: & tunc adhuc non mouetur; ſed eſt in potentia, non ſolùm ad terminum; verum etiam ad ipſum motum. Secundò in actu vltimo, ſeu perfecto: & tunc non mouetur; ſed mota eſt: quia acquiſito termino, ceſsat motus. Tertiò in ſtatu medio inter puram potentiam, & actum vltimum: & tunc propriè mouetur, quia eſt in progreſsu, & actuali via ad vltimiorem terminum. Quę poſsunt ampliùs illuſtrari verbis Angel. Doctoris *in præſenti lect.* 1. vbi inquit: *Conſiderandum eſt; quod antequam aliquid moueatur, eſt in potentia ad duos actus, ſcilicet ad actum perfectum, qui eſt terminus motus, & ad actum imperfectum, qui eſt motus. Sicut aqua antequam incipiat calefieri, eſt in potentia ad calorem, & ad calidam eſſe: cùm autem calefit reducitur in actum imperfectum, qui eſt motus; nondum in actum perfectum, qui eſt terminus motus, ſed adhuc reſpectu ipſius remanet in potentia.*

Hinc apparet veritas noſtrę aſsertionis: quoniam ea definitio eſt legitima, quę ſatis explicat naturam definiti: ſed huiuſmodi eſt definitio motus: ergo eſt legitima. Suadetur minor: quia motus ita actuat mobile, vt illud relinquat partim in actu, & partim in potentia, vt conſtat ex modo prę miſſis: ſed hoc ſatis explicatur dicendo, quod

quod eſt actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia: nam qua parte motus actuat, ſaltem imperfectè, mobile, debet else actus eius, cùm omnis actuatio proueniat ab actu: & qua parte non eſt terminus vltimus, ſed relinquit ſubiectum in potentia ad vlteriorem terminum, opus eſt, quod ſit actus exiſtentis in potentia.

2 Deinde bonitas huius definitionis poteſt ampliùs oſtendi explicando ſingulas eius particulas. Ponitur enim ly *actus* loco generis: quia in ratione actus conueniunt actus perfecti, & imperfecti. Appellatur actus perfectus, qui ex modo actuandi non relinquit ſubiectum in potentia, & fluxu ad vlteriorem actum: & huiuſmodi ſunt albedo v. g. & calor. Dicitur verò actus imperfectus, qui ex proprio actuationis modo relinquit potentiam inexpletam, & conſequenter ordinatam ad actum perfectiorem, vt ad complementum talis actus imperfecti: & huiuſmodi eſt motus, qui in præſenti definitur. ¶ Additur *entis in potentia, ſecundum quod in potentia*: per quas particulas diſtinguitur motus, ſeù actus imperfectus ab actibus perfectis. Quamuis enim commune ſit cuicunque actui recipi in ſubiecto potentiali, ſiue in ente, quod exiſtebat in potentia ad ipſum actum; nihilominùs, quando actus eſt perfectus, ſatiat, & complet potentiam mobilis, & conſequenter ex proprio actuandi modo, non relinquit illud in potentia ad vlteriorem actum. Motus autem, cùm eſſentialiter ſit fluxus, & via ab vno termino ad alium, ita conſtituit ſubiectum in actu ſui; quod tamen relinquat illud in potentia ad alium perfectiorem actum, ad quem ipſe tendit per modum viæ. Et hoc ſignificatur per ly *ſecundum quod in potentia*.

3 Vnde obſerua, quod aliud eſt habere potentiam ad aliquem actum; & aliud eſſe in potentia ad illum. Primum optimè ſtat cum actuali poſſeſſione eiuſdem actus: nam potentia per acquiſitionem actus non deſtruitur; ſed potiùs perficitur, & completur. Ad ſecundum verò requiritur, quod actus nondum habeatur: quia eſſe in potentia ad aliquem actum, ſignificat potentiam eſſe ſub priuatione illius: quam manifeſtum eſt excludi per aduentum, & poſſeſſionem actus. Quia ergo motus ex proprio modo actuationis non complet potentiam mobilis; ſed illud relinquit in potentia, & via ad actum perfectiorem; & principaliter intentum, meritò dicitur eſſe actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia.

Ex ijs probatur ſecundò noſtra concluſio: quoniam definitio, quæ explicat definitum per proprium genus, & differentiam, eſt recta: ſed talis eſt definitio motus, ſiquidem motus in ratione *actus* conuenit, ſicut in genere, cum pluribus actibus, qui non ſunt motus, à quibus ſecernitur per ſubſequentes particulas; quæ proinde gerunt munus differentiæ, vt conſtat ex dictis: ergo definitio, qua Ariſtot. explicat naturam motus, admittenda eſt, vt legitima.

§. II.

Reſpondetur aliquibus obiectionibus.

4 SEd aduerſùs communem aſſertionem à nobis ſtabilitam obijcies primò: motus eſſentialiter dicit habitudinem ad terminum *à quo, & ad quem*; cùm ſit via inter vtrumque: ſed hæc habitudo non explicatur in adducta definitione motus; ſed ſolùm reſpectus ad mobile: ergo hæc definitio eſt defectuoſa.

Reſpondetur negando minorem: quia hoc ipſo, quod dicamus, motum else actum entis in potentia, *ſecundum quod in potentia*, ſatis ſignificatur importare habitudinem ad vlteriorem actum, qui eſt terminus *ad quem*: & cùm terminus *ad quem* dicatur per habitudinem ad terminum *à quo*, ſufficienter per dictam particulam *ſecundum quod in potentia* declaratur ordo inter vtrumque terminum.

5 Obijcies ſecundò: forma ſubſtantialis imperfecta, qualis eſt forma ſeminis, & embrionis eſt actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia: & tamen non eſt motus, vt ex ſe liquet: ergo adducta definitio motus conuenit alijs à definito. Maior ſuadetur: nam in primis forma imperfecta eſt actus *entis in potentia*, nempè materiæ: & deinde *ſecundum quod in potentia*: nam prædicta forma relinquit materiam in potentia ad formam perfectam animalis, ad quam forma imperfecta ex natura ſua ordinatur.

Reſpondetur, quod motus relinquit mobile in potentia non qualicumque; ſed *proxima* ad vlteriorem actum: hoc enim denotat ly *ſecundum quod in potentia* abſolutè prolatum, & poſitum in definitione motus. Hoc autem minimè conuenit formis ſubſtantialibus, quantumuis imperfectis, & habentibus modum motus: quia materia prima, quandiu informatur forma imperfecta, eſt impotens ad habendum in ſenſu compoſito formam perfectiorem: & conſequenter ſolùm eſt in potentia remota ad illam. Quare videmus, quod vt materia ſit in potentia proximâ ad ſuſceptionem formæ animalis; debet denudari à forma imperfecta v. g. ſeminis, & diuerſis, atque nobilioribus accidentibus diſponi. ¶ Adde, motum ita eſſe viam ad vltimiorem terminum, vt ſit *fieri* illius, ac proinde eſt compoſſibilis cum termino, vel ſecundum ſe totum, vt in mutationibus inſtantaneis, qualis eſt generatio ſubſtantialis; vel ad minùs ſecundum aliquid ſui, vt contingit in mutationibus ſucceſſiuis. Quod neutiquam competit formæ ſubſtantiali imperfectæ; hæc quippè non eſt fieri formæ perfectioris, nec illi vllâ ratione coëxiſtit. Dicitur tamen via ad ipſam: eò quod tenet materiam in eſſe, vt poſſit ſufficienter diſponi ad connaturalem receptionem formæ perfectioris.

6 Denique obijcies, calor remiſſus receptus in aqua eſt actus *entis in potentia*, videlicet ipſius aquæ, & *ſecundum quod in potentia*; ſiquidem relinquit illam cum potentia ad intenſiorem, & perfectiorem calorem: & tamen non eſt motus: ergo huius definitio tradita à Philoſopho conuenit alijs à definito.

Reſpondetur, quod licèt calor remiſſus actuet aquam, quæ aliàs eſt in potentia ad maiorem calorem; nihilominùs ex ſe non promouet illam ad vlteriorem terminum; & ſic ex vi ſuæ actuationis non relinquit eam in potentia: ſed hæc potentia, & capacitas conuenit aliàs ipſi aquæ. Quapropter etſi implicaret, aquam recipere calorem magis intenſum, poſſet nihilominùs actuari per calorem vt duo: & conſequenter hic non eſt via, vel fieri vlterioris termini; via quippè non eſt poſſibilis, repugnante termino. Vnde ſatis liquet, traditam definitionem motus non poſſe adaptari calori remiſſo, vel alijs formis, quæ non ordinantur ex ſe ad productionem termini perfectioris: quamuis enim relinquant in ſubiecto capacitatem ad perfectiorem formam; hæc tamen conuenit aliàs ſubiecto, & non trahitur ad vlteriorem terminum ex vi caloris, vel formæ imperfectæ, cui ſubſternitur.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

Quid ſit definitum in definitione motus.

7 AD quæſtionis intelligentiam, & reſolutionem obſerua, motum diuidi in ſucceſsiuum, & inſtantaneum. Motus ſucceſsiuus habet partes priores, & poſteriores, ex quibus componitur: de quo diſſerit Ariſt. *in 5. lib. huius operis*, ſtatuens ad tria duntaxat prædicamenta terminari, nempè ad quantitatem, qualitatem, & vbi. Motus inſtantaneus, qui frequentiùs appellatur mutatio, caret ſucceſsione prioris, & poſterioris; & vnico inſtanti poteſt exiſtere. Porrò mutatio inſtantanea, alia eſt purè ſpiritualis, & independens à materia, quales ſunt intellectiones, & volitiones Angelorum: alia verò dependet à materia. Et hoc vltimum poteſt contingere dupliciter: nam quædam mutationes inſtantaneæ dependent ſecundum ſuam ſubſtantiam à materia, vt generatio ſubſtantialis: quædam autem dependent à materia, non ſecundum ſuum eſſe; ſed duntaxat quantum ad modum, & ex parte obiecti, vt intellectiones noſtræ pro hoc ſtatu conſideratæ.

Præſens ergo difficultas non procedit circa mutationes omninò independentes à materia, quales ſunt intellectiones Angelorum: quippè horum motuum conſideratio non pertinet ad Philoſophum naturalem, qui per ſe primò ſolùm contemplatur ea, quæ concernunt materiam ſenſibilem; ſed ſpectat ad Metaphyſicos, & Theologos, quorum eſt ad altiores gradus attendere. Neque etiam excitamus hoc dubium propter motus ſuceſsiuos: his enim propriſsimè adaptari motus definitionem apud omnes pro comperto eſt. Vnde difficultas deuoluitur ad omnes, et ſolas mutationes inſtantaneas, dependentes à materia, vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſaltem ſecundum modum: et inquirimus an omnibus his conueniat definitio motus quæſtione præced. explicata.

§. I.

Duobus aſſertionibus deciditur difficultas.

8 DIcendum eſt, Ariſtotelem in definitione motus non comprehendiſſe mutationes inſtantaneas, quæ ſunt actus rei perfectæ, quales ſunt intellectiones, volitiones, & ſenſationes. Sic docent Caiet. *1. p. qu. 18. art. 1.* Maſius *in hoc lib. cap. 3. quæſt. 2.* & alij plures Thomiſtæ. Probatur manifeſtè ex Ariſtot. *3. de Anima. textu 22.* vbi loquens de ſenſatione inquit: *Quapropter alia quadam eſt hæc ſpecies motus: nam motus eſt actus imperfecti; at actus ſimpliciter, qui quidem eſt rei perfectæ, alius eſt omninò diuerſus ab illo.* Vbi Angelicus Doctor: *Manifeſtum* (inquit) *eſt, quod ſentire, ſi dicatur motus, eſt alia ſpecies ab ea, de qua determinatum eſt in libris Phyſicorum: ille enim motus eſt actus exiſtentis in potentia; ſed iſte motus eſt actus perfecti.* Idem docet *1. p. q. 9. art. 1. ad. 1. & quæſt. 18. art. 1.*

Probatur ratione: quia motus hic definitus eſt actus exiſtentis in potentia, & ſic quantum eſt de ſe ſupponit, & relinquit ſubiectum imperfectum, & promouet illud ad vlteriorem actum: ſed hoc non conuenit mutationibus, quas in aſſertione recenſuimus: ergo non comprehenduntur ſub hac definitione motus. Minor liquet: nam intellectio v. g. eſt operatio intellectus perfecti, & exiſtentis in actu per ſpeciem intelligibilem, & continentis totam perfectionem ſpecificam intellectionis, atque ideò eſt actus entis perfecti. Rurſus intellectio eſt id, in quo vltimò ordine intentionis ſiſtit totus proceſſus intellectiuus: quamuis enim intellectio producat verbum, ſeu ſpeciem expreſſam, nihilominùs non ordinatur ad verbum; ſed potiùs hoc eſt propter perfectionem illius: ergo intellectio non relinquit ſubiectum imperfectum, & in potentia. Quæ ratio poteſt proportionabiliter applicari ſenſationi, & volitioni, & cuicumque mutationi rei perfectæ, vt conſideranti conſtabit.

Confirmatur: quia motus hic definitus petit, per ſe loquendo, quod ſubiectum præexiſtent ſub priuatione eius, & conſequenter in potentia, tùm ad motum, tùm ad terminum. ſed mutationes, qui ſunt actus rei perfectæ id non exigunt; & ideo Adam in inſtanti ſuæ conditionis elicuit intellectionem, & ſenſationem: ergo mutationes, quæ ſunt actus rei perfectæ non comprehenduntur ſub definitione motus, quam in hoc libro tradidit Ariſtoteles.

9 Dices, Philoſophus adduxit definitionem motus occaſione explicandi, qualiter natura eſt principium motus, vt in principio huius libri diximus: ergo in hac definitione continetur omnis motus, cuius natura eſt principium: ſed natura eſt principium omnium intellectionum, atque volitionum huius ſtatus, & à fortiori omnium ſenſationum: ergo omnes hæ mutationes comprehenduntur in motus definitione.

Reſpondetur negando primam conſequentiam: nam aliud eſt id, ex quo ſumitur occaſio agendi de aliqua re; & aliud res, de qua agitur. Quare licèt Ariſtot. ex definitione naturæ, in qua motus ponitur, delumpſerit occaſionem ad definiendum motum; potuit tamen citra vitium comprehendere in hac definitione aliquos motus, quorum natura nequit eſſe principium, vt ſunt motus violenti, & non amplecti omnes motus, qui poſſunt eſſe à natura, cuiuſmodi ſunt mutationes inſtantaneæ rei perfectæ. Et quod ita fecerit, conſtat, tùm ex eius verbis ſupra relatis: tùm, quia poſita definitione motus exemplificat in motu artificiali, cuius natura non eſt principium. Vnde ſatis liquet, non dari adæquationem inter motum poſitum in definitione naturæ, & motum in præſenti definitum: cùm hic partim magis ſe extendat, ſiquidem comprehendit motus violentos, & artificiales; & partim minùs ſe extendat, ſiquidem non amplectitur mutationes inſtantaneas rei perfectę, quę continentur in definitione naturę.

10 Dicendum eſt ſecundò, generationem ſubſtantialem, & quamlibet aliam mutationem, quę fit actus entis imperfecti, contineri ſub hac definitione motus. Sic docent Ferrara, Toletus, Oña, Rubio, & alij plures. Probatur ex Ariſtot. qui, tradita hac definitione, ſtatim exemplificauit in generatione, & corruptione ſubſtantiali: ergo ſenſit generationem, & mutationes inſtantaneas ei ſimiles comprehendi hac definitione; aliàs conſequenter procederet. ¶ Confirmatur ex D. Thom. *ibidem lect. 1.* vbi perſpicuè tradit noſtram ſententiam his verbis: *Accipit hic motum communiter pro mutatione, non autem ſtrictè, ſecundum quod diuiditur contra generationem, & corruptionem.* Et idem repetit *lib. 5. lect. 2.*

Deinde ſuadetur ratione: quia motus, vt explicat D. Thom dicitur actus entis in potentia, vt per hoc; quod dicitur actus, deſignetur ordo eius ad præcedentem

tem potentiam; & per hoc, quod ſit actus entis in potentia deſignetur ordo eius ad vlteriorem actum; ſed in generatione ſubſtantiali eſt habitudo ad præcedentem potentiam; nimirum materiam primam, quæ eſt ſubiectum illius, & ad ſubſequentem actum, nempè ad formam ſubſtantialem. quæ eſt eius terminus; ergo nihil deeſt generationi ſubſtantiali ex iis, quæ motus hic definitus importat.

Confirmatur primò: quia materia prima eſt in potentia ad generationem. & ad formam, ſicut lignum eſt in potentia ad calefactionem, & ad calorem; ergo ſicut calefactio conſtituit lignum in actu reſpectu ſui, relinquendo illud in potentia ad calorem, & ideò habet rationem motus; ita generatio conſtituit materiam in actu reſpectu ſui, & in potentia reſpectu formæ; & conſequenter eſt cum omni proprietate actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia. Quoniam licèt in inſtanti generationis materia prima ſit ſimpliciter in actu; eius tamen perfecta actuatio non prouenit à generatione, ſed à forma ſubſtantiali, quæ tunc adeſt: quippè generatio, cùm ſit actus imperfectus, & vialis, relinquit, quantum eſt de ſe, materiam primam actuatam imperfectè; vel, quod idem eſt, partim in actu, & partim in potentia.

§. II.

Refertur contraria ſententia.

11 Aduerſus ſecundam concluſionem opinantur Soto in præſenti *quæſt.* 1. Pereira *lib.* 13. *cap.* 5. & alij, quos refert Rubio *in hoc lib. tract.* 1. Et probatur hæc ſententia ratione primò: quia motus hic definitus debet habere partes, vt ſic poſſit conſtituere ſubiectum partim in actu, & partim in potentia, quatenùs informat ſecundum aliquas, & relinquit illud in potentia ad alias: ſed hoc non conuenit mutationi inſtantaneæ, vt ex ſe liquet: ergo hæc non comprehenditur in definitione motus. ¶ Et confirmatur, quia generatio ſubſtantialis in eo inſtanti, in quo eſt, ſubitò inducit formam ſubſtantialem: ergo conſtituit materiam primam in actu perfecto: & ſubinde non relinquet eam in potentia ad formam, neque erit actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia.

Reſpondetur negando maiorem: quia vt motus relinquat mobile partim in actu, et partim in potentia, opus non eſt, vt partes habeat: ſufficit enim, quod diſtinguatur à termino, et quod ex natura ſua ordinetur ad illum. Nam hoc ipſo, non excludet formaliter per ſeipſum priuationem termini à ſubiecto; ſed relinquet illud ex vi propriæ actuationis imperfectè actuatum, et quantum eſt de ſe in potentia ad actum perfectum, et ſub priuatione illius. Quod ſatis eſt ad motum propriè dictum, et conuenit generationi ſubſtantiali, et alijs mutationibus inſtantaneis, quæ ex natura ſua ordinantur ad vlteriorem terminum, ſicut ad perfectiorem actum, & vltimum ſubiecti complementum. Per quod ſatis conſtat ad confirmationem.

12 Sed replicabis: de ratione motus eſt, quod relinquat ſubiectum ſub priuatione formæ, ad quam eſt motus, & via: ſed hoc non conuenit generationi; ſiquidem in inſtanti eius eſt etiam realiter forma ſubſtantialis, quæ incompoſſibilis eſt cum priuatione ſui: ergo in generatione ſubſtantiali non ſaluatur eſſentia motus in præſenti definiti.

Reſpondetur, quod licèt in inſtanti generationis non ſit realiter priuatio exercita formæ; nihilominus cum fundamento in re, priùs intelligimus priuationem formæ ſubſtantialis, quam ipſam formam; ſiquidem priùs eſt forma in *fieri*, quam in *facto eſſe*, & pro illo priori intelligitur, quantum eſt ex ſolis meritis generationis, priuatio formæ: & hoc ſatis eſt, vt generatio conditionem motus ſortiatur. Quoniam ad huius quidditatem ſufficit, quod per ſui actuationem non excludat à proprio ſubiecto priuationem vlterioris actus, ad quem eſt via, ſed illud ſub priuatione, quantum eſt de ſe, relinquat: licèt aliundè hæc priuatio à prædicto ſubiecto in eodem inſtanti excludatur. Nam hoc ipſo erit tranſitus, ſeu via ſubiecti ab vno termino ad alium; in quo eſſentia motus hic definiti conſiſtit. Et ſic ſatis eſt, quod tempore antecedenti fuerit priuatio formæ, & non requiritur, quod in eodem inſtanti exerceatur; ſed ſufficit, quod illam adhuc durare intelligamus, quantum eſt ex meritis generationis, licèt abſolutè ibi non ſit propter præſentiam formæ, tunc exiſtentis.

13 Secundò arguitur: quia ex noſtra ſententia ſequitur, creationem fuiſſe definitam ab Ariſtot. ſiquidem eſt mutatio inſtantanea, per quam creatura tranſit de non eſſe ad eſſe: conſequens eſt contra D. Thom. 1. *p.* *q.* 45. *art.* 2. vbi docet Philoſophum non comprehendiſſe creationem ſub definitione motus: ergo &c. ¶ Reſpondetur negando ſequelam: quia vt docet S. Doct. *q.* 3. *de potentia art.* 7. creatio deficit à ratione mutationis ex eo, quod non habet ſubiectum commune, quod maneat ſub vtroque termino, videlicet ſub *eſſe*, & *non eſſe*: quod tamen requiritur ad omnem veram, & realem mutationem. Vnde quando aliquid producitur per creationem, fieri illius non addit aliquid abſolutum, & diſtinctum ab ipſa creatura; cum creatio non ſit aliqua actio tranſiens: ſed ad ſummum addit, & importat aliquam relationem prædicamentalem, per quam effectus nouiter productus refertur ad Deum.

QVÆSTIO III.

An motus diſtinguatur realiter à termino ad quem.

Diſtinctio realis motus à termino *à quo* eſt ſatis manifeſta; cùm ille incipiat ad deſitionem illius: quare ſolùm vocamus in dubium, an eadem diſtinctio reperiatur inter motum, & terminum *ad quem*.

§. I.

Expeditur difficultas.

14 Dicendum eſt, motum diſtingui realiter à termino ad quem. Hæc concluſio ſtatuitur communiter à Thomiſtis, & probatur primò: quoniam ſi actio identificaretur cum termino, ſequeretur, actionem generatiuam Lazari, & actionem ſuſcitatiuam eiuſdem eſſe realiter idem: conſequens eſt abſurdum: ergo actio, ſiue motus diſtinguitur realiter à termino. Sequela eſt legitima: quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe: ergo ſi illæ duæ mutationes identificantur cum termino; non poterunt inter ſe diſtingui. Falſitas verò conſequentis ſatis nota eſt; quoniam illæ duæ actiones eliciuntur à diuerſis cauſis particularibus, & diſtinctis temporibus: ergo diſtinguuntur realiter.

Secundò probatur: quoniam id, quod eſt priùs natura, quam aliud, diſtinguitur realiter ab eo: ſed motus eſt prior natura, quam terminus; ergo diſtinguitur realiter

Digitized by Google

realiter ab illo. Suadetur minor: nam via ad aliquem terminum, præcedit illum prioritate naturæ: ſed motus eſt via realis ad terminum: ergo. ¶ Confirmatur primò: quia implicat eandem rem eſſe ſimul permanentem, & ſucceſſiuam: ſed terminus eſt permanens, & motus eſt ſucceſſiuus; ergo hic diſtinguitur realiter à termino. ¶ Confirmatur ſecundò: quia motus ſucceſſiuus non habet ſimul omnes ſuas partes; ſed terminus illas habet; ergo motus ſucceſſiuus, & terminus nequeunt eſſe realiter idem. ¶ Confirmatur tertiò; quia impoſſibile, eſt, quod eadem res ſimul perſiſtat, & non perſiſtat: ſed perſiſtente termino, ceſſat motus; ſiquidem finita via, manet illius terminus: ergo impoſſibile eſt, quod motus, & terminus ſint realiter idem.

Reſpondebis, quod adueniente termino, ceſſat motus, non quidem quantum ad realitatem; ſed ſolùm quoad formalitatem, & ſtatum viæ. ¶ Sed contra: vel illa formalitas, quæ periјt, eſt aliquid reale, vel non? Si primum: ergo motus, vt motus eſt, importat aliquam formalitatem, quæ diſtinguitur realiter à termino. Secundum autem non poteſt dici: quia inde ſequeretur, formalitatem motus eſſe purum nihil: quod ſatis conſtat eſſe falſum.

15 Inquires, qualis ſit hæc diſtinctio, quæ datur inter motum, & terminum? Reſpondent aliqui, quos referunt Conimbr. *lib.* 3. *cap.* 2. *q.* 3. eſse realem entitatiuam; ſed aſserendum eſt cum D. Thom. *lib.* 5. huius operis *ad textum* 9. cui ſubſcribunt communiter Doctores, diſtinctionem iſtam ſolùm, eſse modalem. Fundamentum eſt: quia motus, cùm ſit actus vialis, & imperfectus, nequit eſse ens, & res; ſed ſolùm habet rationem modi: ergo non diſtinguitur à termino, ſicut res à re: ſed ſolùm diſtinctione modali.

Neque refert ſi dicas, motum poſse exiſtere abſque termino, ſiquidem quando res ſucceſſiuè mouetur, adhuc non eſt terminus: conſtat autem, quod modus eſt inſeparabilis à re, quam modificat: ergo motus non habet conditionem modi, ſed rei: & conſequenter diſtinguetur à termino diſtinctione reali entitatiua. Non, inquam, hoc refert: quia licèt terminus vltimus motùs ſucceſſiui non ſit, quando incipit iſte motus: ſemper tamen eſt cum motu aliquis terminus intermedius, à quo nequit ſeparari: & hoc ſatis eſt, vt non diſtinguatur à termino, ſicut res à re: cùm aliàs ſit quid vialo, & maximè imperfectum, vt conſtat ex dictis.

§. II.

Satisfit fundamentis aduerſis.

16 MOtum diſtingui à termino ſola ratione ratiocinata tradunt aliqui Doctores, quos refert, & ſequitur Maſius in præſenti *ſect.* 1. *cap.* 3. *quæſt.* 4. Pro qua opinione arguitur primò: quia forma, prout in *fieri*, non diſtinguitur realiter ab ipſo *fieri*, ſeu motu; ſed forma in fieri eſt idem realiter cum forma in facto eſſe; ſiquidem idem eſt quod fit, & poſtea eſt factum: ergo motus non diſtinguitur à forma, ad quam terminatur.

Reſpondetur ex D. Thom. 11. *Metaph. lect.* 9. negando maiorem: quia motus non eſt forma, quæ eſt in fieri, ſed eſt ipſum fieri formæ: nam fieri rei non eſt ipſa res, quæ fit, ſed eſt via, & fluxus ad illam.

17 Secundò arguitur: quia ex noſtra ſententia ſequitur aquam, dum calefit, moueri duplici motu, vel mutatione; ſiquidem recipit duas realitates, nimirùm motum, & terminum: conſequens eſt abſurdum: ergo motus non diſtinguitur à termino. Minor conſtat: quia ibi non eſt, niſi vna actio: ergo non interuenit duplex motus.

Reſpondetur ex eodem D. Thom. *in præſenti lect.* 2. negando ſequelam, quam probatio non euincit: quia licèt ibi detur duplex realitas, vna ſolùm eſt formaliter motus: quia ad exiſtentiam iſtius requiritur duplex actus: alius imperfectus, & immutans vt *quo*, & in hoc conſiſtit eſſentia motus, alius verò perfectus, & immutans vt *quod*, ad quem motus ordinatur, & in hoc ſita eſt eſſentia termini. Quoniam motus eſt tranſitus *ecce actum imperfectum*, ab vno termino in alium, *ecce actum perfectum*: & ſic definitur, quod ſit actus entis in potentia ſecundum quod in potentia, videlicet ad nobiliorem actum, qui eſt terminus.

18 Deniquè arguitur: nam hoc ipſo, quod intelligamus calorem recipi in aqua: intelligimus hanc moueri: cum alitèr ſe habeat nunc ac antea: ergo fruſtrà ponitur formalitas motus diſtincti realitèr ab ipſo calore, vt aqua moueatur ad terminum.

Reſpondetur negando conſequentiam: quia non poteſt intelligi acquiſitio termini, quin ibi intelligatur via, per quam de nouo ille terminus acquiritur: & in hac via conſiſtit motus, quæ proindè debet à termino ante intellectum diſcerni, vt ex ſupra dictis conſtat. Quod ſi calor induceretur in aqua abſquè illa via, ſeu acquiſitione ſui, non interueniret ibi motus phyſicus, de quo in præſenti tractamus; ſed ſolam daretur mutatio Metaphyſica quæ ſaluatur in receptione cuiuſcumque realitatis, tametſi per ſolam reſultantiam fiat.

QVÆSTIO IV.

Vtrum omnis motus ſubiectetur in mobili.

MOtus alterationis, & augmentationis recipi intrinſecè in ſubiecto, quod mouetur, citrà omnem controuerſiam admittitur à Doctoribus. Non eſt autem ità exploratum, & certum, quod motus localis in mobili ſubiectetur; quarè circa illum ſpecialitèr ventilabimus hanc difficultatem, cuius reſolutio ex hactenus dictis, non obſcurè, apparet.

§. Vnicus.

Proponitur ſententia D. Thomæ, & ad obiectionibus vindicatur.

19 DIcendum eſt, motum localem, & conſequenter omnem motum eſſe ſubiectiuè, & intrinſecè in mobili. Sic docent Soto, Maſius, & Rubio in præſenti, Ferrara 4. *contra gentes*, *cap.* 81. & communitèr Doctores. Probatur auctoritate ſimul & ratione Angelici Doctoris hic *lect.* 4. *Quia enim* (inquit) *motus eſt actus exiſtentis in potentia, in quantum huiuſmodi; exiſtens autem in potentia, in quantum huiuſmodi, eſt mobile, ſequitur, quod motus eſt actus mobilis, in quantum huiuſmodi.* Quam rationem in eadem lectione ſic elucidat, & confirmat: *Manifeſtum eſt, quod actus cuiuslibet eſt in eo, cuius eſt actus: & ſic manifeſtum eſt, quod motus eſt in mobili, cum ſit actus mobilis.*

Ex quibus poſſumus argumentum formare: quoniam ibi eſt motus ſubiectiuè, vbi eſt eius effectus formalis: ſed effectus formalis, & proprius motus localis eſt in mobili: ergo motus localis in eodem mobili ſubiectatur. Minor conſtat: quia effectus proprius motus localis eſt loca-

Digitized by Google

localitèr moueri: ſed mobile eſt, quod localitèr mouetur: & non ipſe locus, qui eſt terminus motus, vt ex ſe liquet: ergo effectus motus localis recipitur in mobili.

Deindè ſuadetur noſtra ſententia alia ratione: nam ibi eſt ſubiectiuè motus localis, vbi eſt terminus primarius illius: ſed iſte recipitur in mobili: ergo & motus. Probatur minor: quia terminus primarius motus localis eſt *vbi*, ſeu præſentia, & habitudo locati ad locum: ſed hæc præſentia recipitur in corpore locato, quod eſt mobile ad locum: ergo &c.

20 Sed quamuis veritas noſtræ aſſertionis ſit adeò manifeſta, aduerſus eam opinantur Soncinas 5. *Metaph. quæſt.* 40 Fonſeca *ibidem cap.* 15. *quæſt.* 10. *ſect.* 5. & alij. Qui probant ſuam ſententiam ex Ariſtot. 8. *Phyſic. text.* 9. vbi probat, motum localem eſſe omnium perfectiſſimum, quia mobile ex vi illius nullam formam ſibi inhærentem acquirit: ergo motus localis non ſubiectatur in mobili: aliàs forma, quæ eſt eius terminus in mobili reciperetur: quod negat Philoſophus. ¶ Confirmatur ex Diu. Thom. 1. *p. q.* 110. *art.* 3. *in corp.* vbi inquit: *Inter omnes motus corporeos perfectior eſt motus localis, vt probatur* 8. *Phyſicor. Cuius ratio eſt: quia mobile ſecundum locum non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum, in quantum huiuſmodi; ſed ſolùm ad aliquid extrinſecum, ſcilicet locum*. Idem docet 4. *contra Gentes cap.* 82. *ratione* 6. & alijs in locis.

Reſpondetur, mentem Philoſophi eſſe, quod terminus motus localis, nempè *vbi* non eſt forma ita abſoluta, ſicut quantitas, & qualitas, quæ terminant augmentationem, & alterationem, quibus ibi comparat motum localem. Nam *vbi* non tribuit ſubiecto aliquem effectũ omnino abſolutum; ſed ſolùm ſpecialem modum ſe habendi ad locum, qui minoris entitatis eſt, quam effectus prouenientes à quantitate, & qualitate. Quarè mobile præciſè ſecundum locum non habet tantam potentialitatem, quantam importat mobile ad alias formas. Vndè potuit Ariſtot. aſſerere, quod mobile ſecundum locum non eſt in potentia ad formam intrinſecam: non quidem quia purè extrinſeca ſit; ſed quia eſt extrinſeca comparatiuè ad quantitatem, & qualitatem.

Per quod ſatis conſtat ad auctoritatem D. Thom. continet enim eundem ſenſum, & exponitur eadem ſolutione. Quæ ſatis confirmatur ex eodem Angelico Doct. *lib.* 1. *de Cælo lect.* 6. vbi docet, motum ſecundum locum cauſare minimam variationem in mobili: ergo ſentit, tam motum localem, quam eius terminum in eo intrinſecè ſubiectari; aliàs nullam variationem inducerent. Addimus loquutionem D. Thom. in ſenſu formali eſſe veriſſimam; nobis tamen neutiquàm refragari: dicit enim mobile ad locum *in quantum huiuſmodi*, hoc eſt, ſecundum quod exprimit præciſè ordinem ad locum, eſſe in potentia ad aliquid extrinſecum: quod eſt euidens; cum locus ſit quid extrinſecum. Sed per hoc non excludit motum localem, per quem mobile acquirat locum, & qui ſubindè debet in eodem mobili intrinſecè reperiri.

21 Deindè arguitur pro hac opinione: quia ibi eſt motus localis, vbi proprius eius terminus conſtituitur: ſed proprius terminus motus localis eſt locus, quem ſatis conſtat non ſubiectari in corpore mobili: ergo neque motus localis recipitur in eo. Minor probatur: tum quia terminus eſt id, à quo motus denominatur: ſed motus denominatur localis à loco, ergo: Tum etiam, quia quod acquiritur per motum localem, eſt terminus eius: ſed locus acquiritur per motum localem: ergo locus eſt terminus huius motus. Tum denique, quia id, quod producitur per motum localem, eſt eius terminus: ſed motus localis producit locum, ſiquidem ſcindit corpus locans, & conſequenter cauſat ſuperficiem ambientem, in qua locum conſiſtere infra conſtabit: ergo locus eſt terminus proprius motus localis.

Reſpondetur, quod terminus per ſe primò intentus in motu locali, & ſpecificatiuus illius non eſt locus; ſed vbicatio, ſiuè præſentia corporis locati ad locum: quam eſſe in mobili ſatis conſtat ex dictis. Et probationes in contrarium non vrgent: nam ad primam reſpondetur, quod motus localis denominatur, ſicut à termino intrinſeco, à præſentia locali; à loco autem ſolùm ſumit denominationem, ſicut à termino extrinſeco, qui coniungitur cum termino per ſe primò intento. ¶ Ad ſecundam dicimus, quod quando per motum localem acquiritur terminus extrinſecus, nempè locus; tunc ſimul acquiritur *vbi*, quod per modum termini intrinſeci recipitur in mobili: vndè motus localis, qui ad hoc *vbi* per ſe primò ordinatur, debet in eodem mobili intrinſecè ſubiectari. ¶ Ad tertiam dicendum eſt, quod licet dum corpus localiter mouetur, frequenter producatur locus: hic tamen non fit per ipſum motum localem, ſed per aliam diuerſam actionem, quæ motui accidentalitèr tūc coniungitur. Vndè videmus abſquè motu locali corporis locati aliquando produci locum, vt apparet in ſaxo poſito in medio fluminis, & diuidente aquam: quod ſatis oſtendit diſtinctionem inter motum localem, & actionem loci productiuam. Quarè licet locus, & actio illum producens ſint in corpore locante, minimè conuincitur motum localem in eo collocandum fore; ſed oppoſitum conuincitur ex ijs, quæ hactenus tradidimus.

DISPVTATIO XVII.

De actione, & paſſione, tàm inter ſe, quam cum motu comparatis.

QVIA actio, & paſſio annectuntur motui, ideò ad perfectam iſtius intelligentiam opus eſt, vt de illis diſſeramus: pro quo præſentem diſputationem inſtituimus.

QVÆ

Digitized by Google

QVÆSTIO I.

An motus ſit gradus ſuperior ad actionem, & paſſionem, an verò illarum ſubiectum quo.

1 DIfficultatem hanc in limine huius diſputationis excitamus: quia ex eius reſolutione dependet, cùm perfecta notitia motus, cùm recta intelligentia eorum, quæ infra tractanda ſunt. Ad illius autem diſcuſſionem recolenda ſunt ea, quæ ſtatuimus in Logica *diſp. 16. à num. 2.* vbi docuimus, actionem prædicamentalem, (de qua procedit quæſtio) formaliter, & metaphyſicè acceptam conſiſtere in reſpectu tranſcendentali ad potentiam operatiuam, à qua procedit, & ad effectum, quem in paſso inducit. Quod facilè ſuadetur, tùm quia hæc actio eſt cauſalitas agentis: conſtat autem cauſalitatem importare eſſentialiter habitudinem ad principium, quod conſtituit in actu, & ad terminum, quem originat. Tùm etiam: quia ratio propria actionis prædicamentalis eſt habitudo originis ad effectum; ſiquidem effectus egreditur ab agente media actione: ſed origo nequit intelligi abſque principio originante, & termino originato: ergo actio conſiſtit eſſentialiter in reſpectu tranſcendentali ad vtrumque.

Porrò quidditatem paſſionis prædicamentalis ex dictis in Logica loco cit. etiam conſtat conſtituendam fore in habitudine actualis ſubiectionis, quam mobile dicit ad agens, vi cuius ſuperatur, & trahitur ad recipiendam nouam formam. Quod ſuadetur, tùm quia non apparet aliud, in quo prædicamentum paſſionis poſſit conſtitui, vt ibidem ponderauimus. Tum etiam, quia actio, & paſſio ſunt duæ habitudines inter ſe oppoſitæ, vt conſtat ex communi modo concipiendi: ſed actio prædicamentalis eſt habitudo agentis ad paſsum, ſiue ad effectum, quem paſſio imprimit: ergo paſſio prædicamentalis eſt habitudo mobilis, ſeu corporis patientis ad agens, à quo vincitur.

Natura autem motus ſatis poteſt deprehendi ex dictis tota *diſput. præced.* conſtat enim eſſe quendam actum imperfectum, & vialem, medio quo, tranſit mobile à termino a *quo* ad terminum *ad quem*. His ſuppoſitis non erit ita arduum difficultatem præſentem legitimè reſoluere.

§. I.

Stabilitur communis, & vera ſententia.

2 DIcendum eſt primò, motum non eſſe gradum eſſentialiter ſuperiorem ad actionem, & paſſionem. Ita Ariſtot. & D. Thom. *in præſenti cap. 3. text. 22.* Themiſtius, Simplicius, Philoponus, Alexander, Auerroës, quibus etiam alij Doctores communiter conſentiunt. Probatur ratione: quoniam multiplicatis inferioribus, debent etiam gradus ſuperiores multiplicari; & ideo quia Petrus, & Paulus diſtinguuntur numero, nequeunt eſſe vnus numero homo, quia ratio hominis eſt illis eſſentialiter ſuperior: ſed motus non multiplicatur in actione, & paſſione; ſiquidem eæ ſunt vnus numero motus, vt docet Philoſophus *hic cap. 2. & 3.* ergo motus non eſt aliquis gradus eſſentialiter ſuperior ad actionem, & paſſionem.

Reſpondebis primò, quod quando vna ſpecies incipit immediatè ad deſitionem alterius eiuſdem generis, tunc gradus genericus non mutatur; ſed perſiſtit idem: quamuis ratio ſpecifica varietur: vt ſi ex circulo fit ſemicirculus, variabitur ratio ſpecifica figuræ; ſecùs verò generica. Vnde cùm ad deſitionem actionis ſubſequatur paſſio, nil mirum eſt, quod eadem ratio numerica motus ſaluetur in illis, licèt ſit eſſentialiter ſuperior reſpectu earum.

Sed hæc ſolutio aliena prorſus eſt à veritate: tùm quia, vt docet Ariſtot. *cap.* de ſubſtantia corruptis indiuiduis, impoſſibile eſt aliquid illorum permanere: ergo impoſſibile eſt, quod corruptis illis, perſeueret idem gradus genericus, qui reperiebatur in eis. Tum etiam, quia omnes gradus eſſentiales prouenirunt ab eadem numero forma; vt ab eadem anima rationali prouenit eſſe corpus, animal, hominem, &c. ergo deſtructa, vel ſeparata forma, repugnat, quod perſiſtat aliquis ex gradibus, quos ipſa communicabat.

Reſpondebis ſecundò, quod licèt actio, & paſſio ſint entitatiuè idem numero motus, nihilominus formaliter ſunt duo: quod ſatis eſt, vt verificetur, quod multiplicatis inferioribus, multiplicentur etiam gradus ſuperiores. ¶ Sed contra: quia hinc fieret, quod mobile moueretur duobus numero motibus ad eundem numero terminum; ſiquidem actio, & paſſio ſunt in eodem ſubiecto, in ordine ad productionem eiuſdem termini: conſequens eſt manifeſtè contra Ariſtot. *in hoc lib. textu 19.* ergo hæc ſolutio nequit in via Philoſophi ſuſtineri.

3 Dicendum eſt ſecundò, motum ſe habere per modum ſubiecti *quo* reſpectu actionis, & paſſionis: ita quod, cum hæc tria ſimul concurrunt, actio, & paſſio non inhæreant ſubſtantiæ, niſi mediante motu. Ita Ariſtot. & Diu. Thomas. *in hoc lib. cap. 3.* quos ſequuntur communiter Thomiſtæ, & Suarez *diſp. 46. Metaph. ſect. 2.* Probatur ex Philoſopho loco citato, vbi inquit: *Omnino autem dicere eſt, quod nec actio cum paſſione, nec doctio cum diſciplina idem omninò eſt; ſed cui inſunt hæc, motus.*

Probatur ratione deſumpta ex D. Thom. *hic lect. 4.* quoniam motus ſecundum ſe abſtrahit ab actione, & paſſione; cùm in ſuo formali conceptu non dicat ordinem ad agens, neque ad paſſum, ſed ſolùm ſit quidam actus imperfectus tendens ad actum, & terminum perfectiorem: ergo formalitates actionis, & paſſionis accidunt motui; ergo hic comparatur ad illas per modum ſubiecti. Sicut, quia eſſe in intellectu, & eſſe à parte rei ſunt modi, à quibus natura ſecundum ſua prædicata eſſentialia præſcindit, ideo natura habet rationem ſubiecti reſpectu eorum. ¶ Confirmatur: quia in motu verè reperiuntur formalitates actionis, & paſſionis, vt tradunt communiter Doctores: ſed eæ formalitates nequeunt comparari ad motum, vt gradus illi eſſentialiter ſuperiores, aut inferiores, vt conſtat ex dictis in prima aſſertione: ergo ſunt quædam rationes motui accidentaliter conuenientes, & conſequenter motus habebit rationem ſubiecti reſpectu earum; non vt *quod*, & per modum ſuppoſiti, vt ex ſe liquet; ergo vt *quo*.

§. II.

Referuntur opiniones aduerſæ.

4 SOto in præſenti *quæſt. 2. concluſ. 3. §. Quæritur*, aſſerit, motum eſſe eſſentialiter ſuperiorem ad actionem, & paſſionem. Fundamentum huius opinionis eſt: quia motus eſt actus entis in potentia; ſed actio, & paſſio ſunt eſſentialiter actus entis in potentia; ergo conueniunt eſſentialiter in propria ratione motus; qui proinde erit gradus eſſentialis, & ſuperior reſpectu illarum. Suadetur minor; nam actio, & paſſio

ſunt quidam fluxus, & fieri effectus; ergo vtraque conſtituit ſubiectum partim in actu, & partim in potentia, & ſubinde vtraque erit actus entis in potentia. ¶ Confirmatur primò: quia moueri nihil aliud eſt, quam aliter ſe habere nunc, quam prius, ergo id, quo ſubiectum aliter ſe habet, eſt motus; vel mutatio; ſed per actionem aliter ſe habet agens; ſiquidem ignis tranſit per calefactionem de calefactiuo in calefacientem: & idem eſt de paſſione; cùm per illam tranſeat aqua v. g. de calefactibili in calidam: ergo vtraque importat eſſentialiter conceptum motus.

Reſpondetur negando minorem, nam cùm actio, & paſſio conſtituant per ſe prædicamenta, nequeunt conſiſtere eſſentialiter in motu, vel in eſſe fluido ita imperfecto, quod nequit in prædicamentis conſtitui; ſed eſt poſtprædicamentum. Et ad probationem in contrarium dicendum, quod etſi actio, & paſſio, & motus recipiantur in ſubiecto, quod re ipſa eſt in potentia ad vlteriorem terminum, nempè effectum; nihilominùs reſpiciunt illud aliter, & aliter. Quoniam motus afficit mobile formaliter, quatenùs mobile eſt ad perfectiorem terminum: vnde taliter per ſuam entitatem conſtituit illud in actu, vt tamen ex ipſo modo actuationis relinquat illud in potentia proxima ad vltimiorem actum: & conſequenter actuat per modum actus vialis, & imperfecti. Cæterum actio, & paſſio, quamuis ex cōi conceptu accidentis, reſpiciat ſubiectum, vt ſubiectum eſt, non tamen vt mobile eſt ad actum perfectiorem, & quatenùs exiſtit in potentia ad illum: præſcindunt enim in ſuis conceptibus ab hac formalitate. Et ſimiliter licèt reſpiciant effectum, non tamen attingunt illum ſub formali ratione complendi potentiam mobilis, quo pacto reſpicitur à motu: ſed reſpiciunt illum ſub alia ratione, nimirum quatenùs egreditur ab agente, & quatenùs imprimitur paſſo; ſiue aliàs ſit actus perfectus complens potentialitatem mobilis, ſiue non. Vnde licèt eadem entitas ſit terminus motus, & paſſionis; ſub diuerſa tamen ratione terminat has formalitates: nam vt terminat motum non importat dimanationem ab agente, ſed ſolùm eſſe actum perfectum, in quem mobile tendit per motum, & quo acquiſito quieſcit. At ſub ratione termini actionis, & paſſionis importat per ſe rationem effectus, & dependentiam ab agente: præſcindendo ab hoc, quod eſt eſſe complementum mobilis.

Per quod ſatis conſtat ad confirmationem; ſolùm enim probat, quod per actionem, & paſſionem immutatur ſubiectum mutatione metaphyſica, ſeu largè, & propriè; ſecùs verò mutatione phyſica, ſeu motu proprie dicto. Ad primum quippè ſufficit quælibet realitas de nouo impreſſa ſubiecto; ad ſecundum autem requiritur, quod illa realitas ſit formaliter ipſe fluxus, & tranſitus mobilis ab vno termino ad alium: quod non conuenire actioni, & paſſioni ſatis conſtat ex nuper dictis. Vndè ſicut materia aliter ſe habet per formam, quam de nouo recipit, & tamen forma non eſt motus: ſic ſubiectum immutatur vtcumque recipiendo actionem, & paſſionem, quin eę propriam conditionem motus ſortiantur.

5 Secundò arguitur: quia motus prædicatur de actione, & paſſione, & ita Ariſtot. & D. Thom. frequenter repetunt, actionem eſse motum, prout ab agente, & paſſionem motum, prout in paſſo: ſed non prædicatur accidentaliter de illis: ſiquidem implicat actio, & paſſio phyſica ſine motu: ergo dicitur dę illis eſſentialiter, & per modum gradus ſuperioris.

Reſpondetur, motum prædicari de actione, & paſſione prædicatione materiali, & identica: quia eſt commune ſubiectum earum, & poſtea magis declarabimus. Quare ex eo, quod hæ formalitates nequeunt eſſe, aut concipi abſque motu, minimè conuincitur eſſe formaliter, aut eſſentialiter motum, vel quod hic ſit gradus ſuperior ad illas: ſufficit enim, quod per modum ſubiecti cum eis connectatur. Sicut etiam figura non valet dari, vel concipi ſine quantitate, quæ tamen non eſt prædicatum eſſentiale reſpectu illius; ſed duntaxat ſubiectum *quo*.

6 Contra ſecundam concluſionem ſentit Murcia in præſenti, negans motum eſſe ſubiectum quo actionis, & paſſionis. Pro qua opinione arguitur primò: quia ſubiectum non prædicatur de accidenti ſumpto in abſtracto, & ideò hæc eſt falſa: Albedo eſt quantitas: ſed motus prædicatur de actione, & paſſione, vt paſſim in Ariſtot. & D. Thom. lector offendit: ergo actio, & paſſio non comparantur ad motum, ſicut ad ſubiectum. ¶ Confirmatur: quia quodlibet accidens denominat ſubiectum, & de eo prædicatur in concreto, vt cùm dicimus: *quantum eſt album*: ſed hoc non conuenit actioni, & paſſioni reſpectu motus, aliàs poſſemus dicere: Motus eſt agens, Motus eſt paſſum, quod eſt, abſurdum: ergo &c.

Reſpondetur, motum prædicari de actione, & paſſione prædicatione materiali, & identica, propter identitatem, ſaltem impropriam, quæ inter has formalitates, & motum intercedit, de qua in quæſtione ſequenti tractabimus. Hic autem obſeruandum eſt, quod nec Ariſtot. nec D. Thom. aut alij graues Auctores prædicant de actione, & paſſione motum abſolutè, dicendo v. g. *Actio eſt motus*, *Paſſio eſt motus*; ſed loquuntur cum addito, & reduplicatione: *Actio eſt motus, prout ab agente*, *Paſſio eſt motus in paſſo*. In his autem prædicationibus, quod in recto enunciatur, non tàm eſt motus, quàm egreſſus ab agente, in quo conſiſtit actio; & ſubiectio paſſi ad agens, in qua paſſionis quidditas ſita eſt. Motus autem ſolùm collocatur ad deſignandum proprium ſubiectum *quo* vtriuſque formalitatis. Vndè nihil concluditur contra nos. ¶ Ad confirmationem dicimus, denominationes agentis, & paſſi, eſſe proprias ſuppoſiti, à quo egreditur actio, & ſubiecti *quod*, in quo recipitur paſſio: vndè nequeunt communicari motui; cum hic non ſit agens, neque paſſum. Quare motus denominatur ab actione, & paſſione alijs denominationibus, de quibus non multum curandum eſt.

7 Probatur ſecundò hæc ſententia: quia ſubiectum eſt prius, quam forma in eo recepta: ſed motus non eſt prior actione, & paſſione; ſed inducitur per eas: ergo non eſt ſubiectum earum. ¶ Reſpondetur, motum eſſe poſteriorem in genere cauſæ efficientis, quam actio, & paſſio; præcedere tamen illas in genere cauſæ materialis: quæ duntaxat prioritas eſt indiſpenſabiliter de ratione ſubiecti. Vndè in opinione probabili generatio ſubſtantialis recipitur in genito, quod producit: & conſequenter eſt prior illo in genere cauſæ efficientis, & poſterior in genere cauſæ materialis. Et ſimiliter tranſubſtantiatio ſubiectatur in corpore Chriſti Domini, vt facto ex pane: ac proinde ſubſequitur in genere cauſæ materialis ad id, quod ipſa præcedit in genere cauſæ efficientis.

8 Alij denique docent, actionem eſſe eſſentialiter ſuperiorem ad motum, & paſſionem. Quæ ſententia, quantum ad comparationem actionis ad paſſionem eſt euidenter falſa: tum quia hæ conſtituunt diuerſa prædicamenta, & conſequenter neutra eſt ſuperior reſpectu alterius: tum quia iſtæ formalitates important habitudines oppoſitas, vt liquet ex ſupra traditis. Quoad id autem, quod aſſerit de actione reſpectu motus, etiam exorbitat à vero: cùm actio ſit prædicamentum, motus autem

Digitized by Google

autem poſtprædicamentum. Sed nihilominùs quoad hanc partem ſuadetur ſic: nam mouere in ſenſu formali eſt agere: ergo motus formaliter eſt actio, ac proinde actio prædicatur eſſentialiter de motu. Patet conſequentia: quia ſicut ſe habent concreta inter ſe collata, ita & eorum abſtracta: at mouere eſt proprium concretum motus: ergo. ¶ Sed hoc fundamentum nullius roboris eſt: quoniam concretum motus formaliter ſumpti, non eſt mouere, ſed moueri: moueri autem non eſt agere, vt ex ſe liquet.

QVÆSTIO II.

Qualis diſtinctio ſit inter Actionem, & Paſſionem, & motum.

RESolutio præſentis difficultatis non obſcurè apparet ex dictis quæſtione præcedenti: & ideò rectus ordo poſtulat, vt hanc immediatè poſt illam excitemus.

§. I.

Deciditur difficultas.

9 DIcendum eſt, has tres formalitates actionis, paſſionis, & motus diſtingui realiter inter ſe. Hæc aſſertio eſt omninò conformis his, quæ ſtatuimus *in Logica diſp.* 14. *quæſt.* 5. & ſatis frequens inter Thomiſtas, & deducitur ex Ariſtot. *in hoc lib. cap.* 3. *& textu.* 22. vbi hæc habet: *Omninò verò alterum eſt, quod nec doctio cum diſciplina, nec actio cum paſſione idem propriè eſt; ſed, cui inſunt hæc, motus; nam huius in hoc actu eſſe, & huius ab hoc ratione diuerſum eſt.* Confirmatur ex D. Thom. *quæſt.* 8. *de potentia art.* 2. *ad.* 1. vbi probat, relationem creatam diſtingui realiter à ſubſtantia; ſecùs verò diuinam his verbis: *Ad primum ergo dicendum, quod nulla ſubſtantia, quæ eſt in genere, poteſt eſſe relatio: quia eſt definita ad vnum genus, & per conſequens excluditur ab alio genere; ſed eſſentia diuina non eſt in genere, ſed eſt ſupra omne genus.* Conſtat autem, quod actio, & paſſio pertinent ad diuerſa genera, ſeu prædicamenta: ergo ex mente D. Thom. nequeunt non realiter diſtingui. Quod etiam viget in motu; ſiquidem iſte ob ſui imperfectionem excluditur à prædicamentis, & conſtituit poſtprædicamentum.

10 Suadetur concluſio ratione ex verbis D. Thom. deſumpta: nam quæ pertinent ad diuerſa prædicamenta, diſtinguuntur realiter: ſed actio, & paſſio ſunt prædicamenta diuerſa: ergo diſtinguuntur realiter. Maior conſtat ex his, quæ tradidimus in Logica loco citato, ex quibus poteſt breuiter oſtendi: nam ea, quæ à parte rei habent eſſentias adæquatè diuerſas, diſtinguuntur realiter; diſtinctio enim conſequitur vnitatem, & vnitas entitatem, ſiue eſſentiam rei: ſed quæ collocantur in diuerſis prædicamentis, gaudent eſſentijs adæquatè diſtinctis; cum ſint primò diuerſa: ergo diſtinguuntur realiter. ¶ Confirmatur: quoniam ea, quæ habent diuerſas definitiones adæquatas, non poſſunt eſſe realiter idem; ſiquidem definitio manifeſtat eſſentiam rei: ſed actio, & paſſio habent diuerſas definitiones adæquatas; cum ſint prædicamenta diſtincta, & conſequenter nequeant in vlla ratione vniuocè conuenire: ergo diſtinguuntur realiter. ¶ Adde, actionem, & paſſionem eſſe duas habitudines inter ſe oppoſitas, vt ſupra obſeruauimus *num.* 1. conſtat autem, quod realis oppoſitio petit diſtinctionem realem: ergo hæc datur inter actionem, & paſſionem.

Ex quibus ſatis colligitur diſtinctio realis inter has formalitates, & motum: nam actio, & paſſio ſunt prædicamenta, & entitates completæ; motus autem eſt poſtprædicamentum, & modus quidam: ergo nequit non dari diſtinctio realis inter has formalitates, & motum. ¶ Confirmatur: quia omnis forma diſtinguitur à ſubiecto, cui accidit, & inhæret: ſed motus eſt ſubiectum *quo* actionis, & paſsionis: ergo diſtinguitur realiter ab illis.

11 Inquires, qualis ſit hæc diſtinctio realis, quæ inter iſtas formalitates interuenit? Reſpondetur, diſtinctionem motus ab actione, & paſsione ſolum eſſe realem modalem; diſtinctionem verò inter actionem, & paſsionem eſſe realem entitatiuam. Prima pars huius reſolutionis facilè oſtenditur: quoniam motus ob ſuam imperfectionem nequit eſſe entitas; ſed ſolùm eſt quidam modus: ergo diſtinguitur ab actione, & paſſione, non realiter entitatiuè; ſed realiter modaliter. Secunda etiam pars liquido colligitur ex dictis in Logica loco citato: nam prædicamenta ſunt entitates adæquatè diſtinctæ, & conſequenter debent realiter entitatiuè diſtingui: conſtat autem actionem, & paſſionem eſſe diuerſa prædicamēta: ergo diſtinguuntur realiter entitatiuè.

Sed obſerua, diſtinctionem entitatiuam eſſe duplicem, aliam videlicet ſtrictiſſimam, aliam verò minùs rigoroſam; licèt vtraque ſit propriè diſtinctio entitatiua. Illa eſt, quæ verſatur inter extrema habentia tantam entitatem, & modum eſſendi adeò firmum, vt quantum eſt ex vi illius poſſent diuinitùs ſeparari; quamuis aliàs ob aliquam ſpecialem connexionem nequeat ſeparatio exerceri. Poſterior autem eſt, quæ verſatur inter extrema habētia quidem eſſentias completas; ſed tenuis adeo entitatis, vt propter hanc tenuitatem nequeant ſeparata conſiſtere. Diſtinctio ergo entitatiua, quam inter prædicamenta ſtatuimus, non eſt determinatè ſtrictiſſima; ſed poteſt eſſe minus rigoroſa: & hæc interuenit inter actionem, & paſſionem: eæ namque propter ſuam tenuitatem nequeunt ſeparari, ſed mutuò connectuntur. ¶ Secundò obſerua, identitatem etiam eſſe duplicem, nempè propriam, & impropriam. Illa eſt, quæ remouet omnem diſtinctionem realem ab extremis, quæ connectit. Hæc verò ſolum attenditur penes identitatem ſubiecti, ſeu penes conuenientiam aliquorum in ſubiecto ſibi communi, à quo nequeunt ſeparari. Quoniam hoc nomen *idem* importat vnitatem in ſubſtantia: ſubiectum autem, etiam *quo*, induit modum ſubſtantiæ reſpectu formæ, cui ſubijcitur.

Ex quibus infertur, quod licèt actio, & paſſio diſtinguantur entitatiuè, vt conſtat ex ſupra præmiſſis; nihilominùs poſſunt dici idem, identitate impropriè, & largè accepta: quia conueniunt in eodem numero motu, vt in ſubiecto quo, & non valent ab illo ſeparari. Et ſimiliter poteſt dici, quod non diſtinguuntur entitatiuè, videlicet diſtinctione entitatiua ſtrictiſſima: quoniam ſunt adeò tenuis entitatis, vt ob hanc tenuitatem ab inuicem ſeparari nequeant. Quare diſtinctio, quæ inter actionem, & paſſionem intercedit, ſolet appellari formalis: non quia nomine diſtinctionis formalis intelligatur diſtinctio media inter diſtinctionem realem, & rationis; quam aliqui attribuunt Scoto, & in Logica oſtendimus eſſe impoſſibilem: ſed quia diſtinctio inter actionem, & paſſionem ex vno capite eſt maior, quam diſtinctio rationis; cùm ponat diſtinctionem realem, & excludat identitatem propriè ſumptam: & ex alio capite eſt minor, quam diſtinctio entitatiua ſtrictiſſimè accepta; ſiquidem non verſatur inter extrema ſeparabilia, ſed inter entitates adeò tenues, vt meritò

Digitized by Google

appellentur formalitates, & conueniunt in vno ſubiecto *quo*, in eoque identificentur identificatione impropria. Vndè licèt talis diſtinctio ſit entitatiua in vero ſenſu, quia verſatur inter entitates; poteſt tamen in alio vero ſenſu dici non entitatiua, ſed formalis, quoniam verſatur inter entitates debiles, & inſeparabiles.

§. II.

Soluuntur argumenta contraria.

12 Prima ſententia ijs, quæ hactenus diximus, aduerſa tenet, actionem, & paſſionem omninò inter ſe diſtingui, & nullo modo identificari. In plures Doctores aſſerentes, vt quæſt. ſequenti videbimus, actionem prædicamentalem ſubiectari in agente, & non in paſſo: qui ex hoc principio mouentur ad ſic ſentiendum. Quia tamen falſo nituntur fundamento; & aliàs eorum argumenta ſolùm probant diſtinctionem realem inter actionem, & paſſionem, & nequeunt identitatem impropriam earum cum motu remouere: idcircò in eis enodandis non immoramur.

13 Secunda ſententia aſſerit, motum, actionem, & paſſionem non diſtingui realiter: ſed ſolùm diſtinctione rationis ratiocinatæ. Hanc defendunt Maſius *in hoc lib. cap. 3. ſect. 2. quæſt. 1.* Rubio *hic tract. 1. quæſt. 7.* & alij. Probatur primò ex Ariſtot. & D. Thom. *in hoc lib. cap. 3.* vbi ſatis inſinuant, diſtinctionem harum formalitatum eſſe ſecundum rationem: nam Angelic. Doctor inquit, eundem actum ſecundum rem, ſcilicet motum eſſe duorum, agentis quidem, ſecundum quod eſt ab eo; paſſi verò ſecundum quod eſt in ipſo. Ex quibus ſic arguitur: quoniam actio eſt motus; prout egreditur ab agente, & paſſio eſt motus, prout recipitur in paſſo: ſed idem motus egreditur à principio, & recipitur in ſubiecto: ergo actio, & paſſio ſunt idem motus: ergo ſunt idem inter ſe. Patet hæc vltima conſequentia: nam quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.

Reſpondetur, quod quando Ariſtot. & D. Thom. aſſerunt actionem, paſſionem, & motum diſtingui ſecundum diuerſam rationem, vſurpant rationem, & quidem propriſſimè, pro eſſentia, quæ ſatis frequenter appellatur ratio: conſtat autem ea, quæ habent diuerſas eſſentias, & inter ſe non ſubordinatas per modum ſuperioris, & inferioris (qualiter ſe habere his formalitates apertè à nobis oſtenſum eſt) diſtingui realiter, ſiue illa diſtinctio ſit entitatiua, qualis datur inter actionem, & paſſionem; ſiue modalis, quo pacto motus ab actione, & paſſione diſtinguitur. Vnde dixit Ariſtot. *Hæc enim vnum quidem ſunt*: quia videlicet habent identitatem impropriam, tùm propter mutuam connexionem, tùm propter negationem diſtinctionis entitatiuæ ſtrictiſſimæ. Sed addit, *ratio tamen non vna eſt*. Si autem non diſtinguerentur realiter, ratio, id eſt, eſſentia eorum eſſet vna ante intellectum.

Ex quibus denuò occurritur argumento: nam cùm dicitur actionem eſſe motum prout egreditur ab agente; licet grammaticaliter, & ſuperficie tenus videatur motus prædicari de actione; quod tamen re ipſa, & formaliter prædicatur non eſt ipſe motus, ſed egreſſus, vel origo motus, & effectus ab agente: in quo conſiſtit eſſentia actionis, quam circumloquimur per ly *prout egreditur ab agente*: motus enim ſolùm ponitur ad explicandum hunc egreſſum. Quod etiam proportionabiliter dicendum eſt de paſſione. Vnde ad argumentum in forma, concedendo in hoc ſenſu maiorem, & minorem, diſtinguendum eſt conſequens. *Ergo actio, & paſſio ſunt idem motus*: ſunt *idem* identitate propria, & excludente diſtinctionem realem, nego conſequentiam: ſunt *idem* identitate impropria, importante vnitatem ſubiecti, & quod actio, & paſſio non recipiantur in diuerſis motibus, ſed in eodem concedo conſequentiam. Et termini diſtinctionis ſatis conſtant ex dictis.

Secundò arguitur: quoniam ſi actio, paſſio, & motus diſtinguerentur realiter, ſequeretur, idem mobile moueri tribus motibus in ordine ad eundem terminum; ſiquidem reciperet tres realitates diſtinctas: conſequens eſt abſurdum, & contra Ariſtot. cap. 3. huius libri: ergo. ¶ Reſpondetur negando ſequelam: quia omnes illæ formalitates, ſeu realitates requiruntur, licèt diuerſo modo, ad eundem numero motum: qui non conſiſtit formaliter in actione, & paſſione, ſed in tranſitu, quo mobile tranſit ad terminum ad quem. Videantur ſupra dicta *num.* 4.

14 Tertia ſententia tantam identitatē agnoſcit inter paſſionem, & motum, vt aſſerat non diſtingui ratione ratiocinata; ſed ſola nominis appellatione. Ita Suarez *diſp. 46. Metaph. ſect. 1.* Probatur: quoniam motus eſt actus mobilis, vt mobile eſt, ex Ariſtot. *hic textu* 15. & paſſio eſt actus patientis, vt patiens eſt ex eodem Philoſoph. *textu 22. & 23.* ſed eadem omninò eſt potentia corporis, vt mobilis, & vt patientis: ergo paſſio, & motus ſunt idem omninò actus. Patet conſequentia: quoniam ſi eſſent actus diſtincti, reſpicerent potentias diuerſas.

Ad hoc fundamentum conſtat ex ſupra traditis *num.* 4. quia potentia, per quam corpus dicitur mobile; ſolùm importat habitudinem ad terminum, vt ad proprium complementum, & nihil exprimit ſubiectionis ad agens. Cæterùm potentia, qua corpus habet eſſe patiens, importat explicitè ordinem ad agens, & ad effectum eius; non quidem ſicut ad complementum mobilis, ſed qua ratione eſt terminus egrediens ab agente. Quæ diſtinctio ſufficiens eſt, vt ex potentiæ correſpondeant actibus realiter diſtinctis.

QVÆSTIO III.

Quod ſit ſubiectum actionis tranſeuntis.

Supponimus, actionem formaliter immanentem, quales ſunt intellectio, & volitio, recipi intrinſecè in agente, vt ex ipſis terminis liquet. Vndè ſolùm vertimus in dubium, an actio tranſiens, v. g. calefactio, ſubiectetur in agente, an potiùs in paſſo: hoc enim non ita exploratum eſt; ſed hinc, & inde acriter controuertitur etiam inter alumnos D. Thomæ.

§. I.

Vera ſententia auctoritate, atque ratione fulcitur.

15 Dicendum eſt, actionem tranſeuntem non ſubiectari in agente, ſed in paſſo. Hæc proculdubio eſt mens Ariſtot. & D. Thom. vt ſtatim expendemus: quam proinde ſequuntur vetuſtiores interpretes Philoſophi Alexander, Thimiſtius, Simplicius, & Philoponus, & quam plures Thomiſtæ Capreolus *in 2. diſt. 1. q. 2. art. 3.* Ferrar. *hic quæſt. 4.* Heruæus *quodlibet. 4. quæſt. 4.* Soncinas, Iauel. Soto, Tolet, quos refert, & ſequitur Maſius in præſenti *quæſt. 3.* Quibus etiam con-

conſentiunt Suarez *diſp.* 48. *Metaph. ſect.* 4. & alii plures Moderni.

Probatur primò auctoritate Philoſophi 9. *Metaph. tex.* 16. vbi ait: *Ædificatio namque in ædificato ſimul, & ſit, & eſt cum domo, &* 3. *de Anima textu.* 138. inquit: *Quod ſi motus, & actio, atque paſſio in eo eſt, quod patitur, atque mouetur, neceſſe eſt, & ſonum, & auditum actu in auditu, qui eſt potentia, eſſe. Agentis namque, mouentiſque operatio in ipſo patiente ſuſcipitur, atque ineſt, &c.* Quem locum ſic exponit D. Thom. ibidem: *Probat: quod ſuppoſuerat ex his, quæ ſunt oſtenſa in* 3. *Phyſic. Ibi enim oſtenſum eſt, quod tam motus, quam actio, vel paſſio ſunt in eo, quod agitur, id eſt in mobili, & patiente. Manifeſtum eſt autem, quod auditus patitur à ſono. Vndè neceſſe eſt, quod tam ſonus ſecundum actum, qui dicitur ſonatio, quàm auditus ſecundum actũ, qui dicitur auditio, ſit in eo, quod eſt ſecundum potentiam, ſcilicet in organo auditus: & hoc ideò, quia actus actiui, & motiui ſit in patiente.*

Idem docet Ariſtot. *in hoc lib. text.* 20. vt exponit D Thom. his verbis: *Dicit ergo primò, quod non eſt inconueniens, actum vnius eſſe in altero: quia doctio eſt actus docentis, ab eo tamen in alterum tendens continuè, & ſine aliqua interruptione. Vndè: idem actus eſt huiuſmodi, id eſt, agentis, vt à quo, & tamen eſt in patiente, vt receptus in eo: eſſet tamen inconueniens, ſi actus vnius eo modo, quo eſt actus eius, eſſet in alio.* Quæ teſtimonia, & alia, quæ breuitatis gratia omittimus, ita perſpicuè militant pro noſtra ſententia, vt meritò dixerit Rubio *in hoc lib. quæſt.* 6. oppoſitam in via Ariſtot. non eſſe probabilem.

Hoc ipſum tradit Angelicus Doct. 9. *Metaph. lect.* 9. & 1. 2. *q.* 3. *art.* 2. & *q.* 31. *art.* 5. & 1. *contra Gentes cap.* 100. & *quæſt.* 14. *de veritate art.* 3. & *quæſt.* 10. *de potentia art.* 1. & alijs pluribus in locis. Vndè ſatis erit in præſenti vnicam eius auctoritatem expendere, adeò tamen perſpicuam, vt pro mille ſufficiat, & cui nullo modo, niſi violenter poſſunt Aduerſarij occurrere. Igitur 1. *p. q.* 14. *ad* 1. hæc habet: *ſicut dicitur in* 9. *Metaph. duplex eſt actio, vna, quæ tranſit in exteriorem materiam, vt calefacere, & ſecare; alia, quæ manet in agente, vt intelligere, ſentire, & velle. Quarum hæc eſt differentia: quia prima actio non eſt perfectio agentis, quod mouet, ſed ipſius moti: ſecunda autem actio eſt perfectio agentis.* Quid clariùs.

16 Secundò probatur noſtra concluſio ratione: quoniam actio formaliter tranſiens diſtinguitur contra omnem actionem formaliter immanentem, quantumuis ſit virtualiter tranſiens, & producat effectum ad extra: ergo actio formaliter tranſiens recipitur intrinſecè in paſſo. Patet conſequentia: quia ſi eſſet ſubiectiuè, & formaliter in agente, eſſet formaliter immanens, & ſolùm virtualiter tranſiens, quatenùs importaret efficaciam agendi ad extra: ergo, vel dicendum eſt, actionem formaliter tranſeuntem non diſtingui eſſentialiter ab actione formaliter immanenti, & tranſeunti virtualiter, quod eſt abſurdum, & contra D. Thom. loc. proximè expenſo; vel aſſerendum eſt, quod recipitur in paſſo. ¶ Confirmatur quia actio dicitur formaliter tranſiens, eo, quod recipitur in ſubiecto, in quo proprium effectum inducit: nulla quippè alia ratio eſt aſſignabilis, ob quam tranſiens formaliter appelletur: ergo repugnat eſſe formaliter tranſeuntem, & non ſubiectari in paſſo, cùm ibi ſuum effectum producat.

Reſpondebis, actionem formaliter tranſeuntem ordinari per ſe primò ad perfectionem alterius ſuppoſiti; actionem autem formaliter immanentem ordinari per ſe primò ad perfectionem ſuppoſiti, in quo eſt: vndè apparet ſufficiens diſtinctio inter illas, quamuis vtraque ſit ſubiectiuè in agente. ¶ Sed hæc ſolutio non eneruat vim noſtræ rationis: quoniam quiuis actus ordinatur per ſe primò ad perfectionem ſui perfectibilis: ſed, ſi actio formaliter tranſitus reciperetur in agente, proprium, & immediatum eius perfectibile eſſet ipſum agens, vt conſtat ex terminis: ergo ordinaretur per ſe primò ad perficiendum agens, & ſecundariò, ac mediatè ad perfectionem paſſi: ac ſubinde minimè diſtingueretur ab actione formaliter immanenti, & virtualiter tranſeunti. Quæ ratio præcipuè debet vrgere Aduerſarios: quandoquidem ideò ponunt actionem tranſeuntem in agente, vt illud compleat, conſtituat in actu ſecundo, & reducat de potentia ad actum: & hæc ſunt munera, quæ primariò attribuunt actioni; ergo inconſequenter aſſerunt eam non ordinari per ſe primò ad perfectionem agentis, ſed ad perficiendum paſſum. Cæteras eorum euaſiones, & ſolutiones non expendimus; quia minoris momenti ſunt, & quiſque facilè diluet.

17 Tertiò probatur aſſertio; quoniam actionem tranſeuntem identificari, ſaltem impropriè, cum motu, & in eo recipi, ſicut in ſubiecto quo, ſatis expreſſè docent Ariſtot. & D. Thom. vt vidimus in duabus quæſtionibus præcedentibus: ſed motus eſt intrinſecè in mobili, ſeu paſſo, & non in agente; ergo, & actio formaliter tranſiens. ¶ Confirmatur; quoniam per actionem formaliter tranſeuntem non immutatur agens; ergo hæc actio non eſt intrinſecè in agente, ſed in paſſo. Conſequentia eſt euidens, et antecedens traditur à Philoſopho 3. *de Anima, textu* 138. his verbis; *Agentis namque, mouentiſque operatio in ipſo patiente ſuſcipitur, atque ineſt; quocirca neceſſe non eſt id; quod motu mouet, moueri.* Vndè D. Thom. exponens hunc textum, et docens quod actio non eſt in agente, ſed in paſſo, concludit; *Et iſta eſt ratio, quare non eſt neceſſarium, quod omne mouens moueatur.*

§. II.

Diluuntur argumenta partis aduerſæ.

18 Contrariam ſententiam defendunt Caietanus 1. *p. q.* 25. *art.* 1. Nazarius ibidem controuerſia vnica, Torres *ibidem quæſt.* 27. *dub.* 4. et alij. Et quamuis hæc opinio poſſet ſuaderi pluribus auctoritatibus Philoſophi, et D. Thom. nihilominus, vt prolixitatem vitemus, eas ſubijciemus duntaxat, quæ noſtræ ſententiæ apertiùs refragari videntur; ex quarum proinde enodatione conſtabit ſolutio ad alias, quæ minoris ponderis ſunt, et faciliùs poſſunt exponi.

Probatur ergo ex Ariſtot. 2. *de Anima text.* 26. vbi docet, actum eſſe in eo, cuius eſt actus; ſed actio eſt actus agentis, vt tradit idem Philoſophus 3. *Phyſic. text.* 18. & 20. ergo ſentit actionem eſſe in agente. ¶ Confirmatur Primò ex D. Thom. *in* 2. *diſt.* 40. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 1. vbi ait; *Cum actio ſit in agente, & paſſio in patiente, non poteſt eſſe idem numero accidens, quod eſt paſſio; cùm vnum accidens non poſſit eſſe in diuerſis ſubiectis.* Et loquitur de actione tranſeunti, qua Iudæi crucifixerunt Chriſtum. ¶ Confirmatur ſecundò ex eodem S. Doctore 2. *contra Gentes, cap.* 9. vbi inquit; *Actio, quæ non eſt ſubſtantia agentis, ineſt ei, ſicut accidens ſubiecto; & ideò inter nouem genera computatur.* ¶ Confirmatur tertiò ex eodem Angelico Magiſtro; *nam quæſt.* 8. *de potentia art.* 2. ſic concludit. *Nihil prohibet aliquid eſſe inhærens, quod tamen non ſignificatur, vt inhærens; ſicut etiam actio non ſignificatur, vt in agente, ſed vt ab agente; & tamen conſtat actionem eſſe in agente.* Ex quibus omnibus manifeſtè colligi videtur, quod ex mente D. Th.

omnis

Digitized by Google

omnis actio ſit in agente, ſicut in proprio ſubiecto.

Ad argumentum deſumptum ex diuerſis auctoritatibus Ariſtot. reſpondetur cum D. Thom. *loco citato ex 3. Phyſic.* quod actio eſt actus agentis, vt principij, à quo fluit, non verò vt principij, in quo recipiatur. Actus autem in eo eſt inhæſiuè, cuius eſt actus per informationem; non autem in eo, cuius eſt actus, vt principij tantum, à quo egreditur: quo pacto comparatur actio ad agens.

Ad primum teſtimonium D. Thom. reſpondetur, quod loquitur de actione ſumpta ſecundum eſſe morale, hoc eſt, ſecundum bonitatem, vel malitiam; cùm agat de peccato crucifigentium Chriſtum: actio autem ſecundum moralitatem accepta eſt in agente: quia eſſe bonitatis, & malitiæ fundatur in actu libero voluntatis, qui eſt formaliter immanens.

Ad ſecundum reſpondetur, procedere de actione formaliter immanenti, & virtualiter, ſeu quoad efficaciam tranſeunti: hæc enim, ſi non eſt ſubſtantia agentis, ineſt illi, ſicut accidens ſubiecto. Et quod S. Doct. loquatur de hac actione conſtat, tùm quia loquitur de actione Dei ad extra, quæ non poteſt eſſe formaliter tranſiens. Tùm quia docet, talem actionem inter nouem genera computari: eſſe autem per computationem in prædicamento actionis, eſt eſſe in illo reductiuè: quod non conuenit actioni formaliter tranſeuntis; ſed ſolùm actioni immanenti quæ virtualiter tranſit: hæc enim reducitur ad prædicamentum actionis, vt dicemus *in lib.* de Anima.

Ad tertium dicendum eſt, quod procedit de actione formaliter immanenti: quoniam intendit D. Thom. explicare, qualiter relatio ſit inhæſiuè in fundamento, quamuis ſignificetur, vt ad terminum: ad quod aptiſſimum eſt exemplum actionis immanentis formaliter, & tranſeuntis virtualiter, quæ in omnium ſententia eſt in agente, licèt ſignificetur, vt procedens ab eo: & non eſſet ita opportuna inſtantia actionis formaliter tranſeuntis, cùm hæc in probabiliſſima, & communiori ſententia, cui frequenter S. Doctor ſubſcripſit, non ſit in agente, ſed in paſſo. Eſto tamen, quod loquatur de actione formaliter immanenti, non loquitur ex propria ſententia; ſed vtitur eo exemplo deſumpto ex opinione probabili aliorum: quod in exemplificando frequenter contingit. Et hæc doctrina poteſt applicari alijs auctoritatibus: quoniam in eis non verſat hanc difficultatem ex profeſſo; ſed occaſione explicandi alias difficultates: quod vt præſtet ſe ſe accommodat, & quidem rationabiliter opinioni aliorum. Vbi autem ex profeſſo difficultatem hanc tractat, & propriam mentem reuelat, vt *in 3. Phyſic.* tunc ſententiam noſtram ſtatuit, elucidat, & confirmat; cui proinde ſtandum eſt.

19 Secundò arguitur ratione: quoniam ibi eſt forma, ſicut in ſubiecto, vbi realem, & intrinſecam denominationem communicat: ſed actio principium, à quo egreditur, denominat intrinſecè agens: ergo eſt in illo, ſicut in ſubiecto. Minor ſuadetur: tùm quia actio non denominat paſſum; ergo ſolum denominat intrinſecè agens. Tùm quia agens eſt quoddam concretum per ſe pertinens ad prædicamentum actionis; in prædicamentis autem non collocantur denominationes extrinſecæ: ergo agens denominatur intrinſecè ab actione.

Reſpondetur negando minorem: nam principium actiuum non denominatur intrinſecè agens ab actione formaliter tranſeunti; ſed à relatione, quæ talem actionem conſequitur, & ipſi principio ineſt. Et ad primam probationem dicimus, quod licèt actio non impertiatur paſſo denominationem agentis: cùm hæc ſit propria principij actiui, cui illam ab extrinſeco communicat: denominat tamen paſſum affectum actione, & hæc eſt denominatio, quæ intrinſecè, & primariò ab actione deriuatur. Secunda probatio nullius roboris eſt: quoniam quod directè in genere actionis conſtituitur, eſt ipſa actio, non verò agens: hoc enim ſolùm ſpectat ad prædicamentum reductiuè, & ratione denominationis extrinſecæ.

20 Tertiò arguitur: quia perfectio; debet eſſe in re, cuius eſt perfectio; cum vnumquodque in tantum ſit perfectum, in quantum est in actu, vt docet D.Thom. *1. p. q. 5. art.* 1. ſed actio tranſiens eſt perfectio agentis, cùm reducat ipſum de potentia ad actum, & conſtituat in vltima actualitate: ergo actio tranſiens est ſubiectiuè in agente.

Reſpondetur ex D. Thom. 2. *contra Gentes cap.* 1. quod actio tranſiens non est perfectio intrinſeca agentis, etſi compleat eius potentiam actiuam: quoniam potentia actiua per actionem formaliter tranſeuntem est potentia ad perficiendum alia, non verò, vt in ſe intrinſecè perficiatur: hoc enim est proprium potentiæ paſsiuæ. Vndè dixit D. Thom. loco ſupra citato ex prima parte, quod actio tranſiens *non eſt perfectio agentis, quod mouet; ſed ipſius moti*. Concedi tamen poteſt, quod actio tranſiens ſit perfectio agentis extrinſecè, & extenſiuè: nam per illam diffundit ſuam perfectionem, ſubijcit ſibi alia, & propriam ſpeciem conſeruat. Quare *agere* eo modo est perfectio agentis, quo *amari* est perfectio finis: cauſa quippè efficiens, & finalis mutuo ſibi correſpondent. Quamuis autem finis per *amari*, quæ est eius cauſalitas, vel finalizatio, tranſeat de actu primo ad actum ſecundum, & in ſua appetibilitate compleatur; nihilominùs hæc cauſalitas non est perfectio intrinſeca finis, ſed eorum, quæ ſunt ad finem, & quibus propriam bonitatem transfundit. Quod proportionabiliter de agente, & actione dicendum est.

21 Quartò arguitur: nam agens per actionem tranſeuntem reducitur de potentia ad actum, & intrinſecè mutatur, cùm aliter ſe habeat nunc, ac antea: ſed id, quo ſuppoſitum mutatur, & reducitur de potentia ad actum, nequit eſſe extrinſecum illi: ergo actio tranſiens non est in paſſo; ſed in agente. ¶ Confirmatur quia actio, vt actio, est in aliquo ſubiecto: ſed vt actio non est in paſſo: ergo vt actio est, recipitur in agente.

Reſpondetur, quòd agens per actionem tranſeuntem reducitur ex vi illius de potentia actiua, & communicatiua ad actum ſe communicandi: quæ reductio fieri optimè poteſt abſque actu, qui inhæreat ipſi potentiæ: quoniam, vt conſtat ex dictis actus potentiæ actiuæ est illius, vt *à quo*; non verò, vt *in quo*. Quapropter agens ex vi actionis tranſeuntis non mutatur intrinſecè, quod tradit expreſsè Ariſtot. *loc. citato num.* 15. ſed immutatur, & aliter ſe habet ratione præmotionis, qua applicatur ad agendum, & per relationem, quæ actionem ipſam conſequitur. Et quamuis nihil poſsit tranſire de vno contradictorio dicente carentiam entitatis intrinſecæ in aliud contradictorium v. g. de non quanto in quantum, abſque immutatione intrinſeca; potest tamen tranſire abſque iſta mutatione de contradictorio, importante duntaxat carentiam formæ extrinſecæ; quo pacto paries tranſit de non viſo ad actu viſum; & principium actiuum de non agente in actu, ad eſſe agens in actu. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, quod licèt actio non habeat ſpeciem à ſubiecto, ſed per ordinem ad agens; nihilominus actio; vt actio est, & quidquid in ea intrinſecè reperitur, inest paſſo. Quod potest declarari exemplo potentiæ, quę vt talis reſpicit obiectum; & tamen ipſemet reſpectus est formaliter non in obiecto, ſed in ſubiecto.

22 Vltimò arguitur: quia ibi est ratio fundandi, vbi est relatio fundata; ſed relatio agentis ad paſſum est in agente; ergo actio illam fundans debet in eodem intrinſecè ſubiectari. ¶ Reſpondetur negando maiorem vni-

uerſa-

Digitized by Google

uerſaliter acceptam; quoniam, vt obſeruauimus *in Logica diſp.* 14. *quæſt.* 4. rationes fundandi relationes ſecundi generis important motum, & tranſitum & huiuſmodi eſt actio, quę importat formaliter egreſſum ab agente in paſſum. Quare opus non eſt, quod actio exiſtat in agente, in quo eſt relatio, quam fundet; ſed ſufficit, quod fluxerit ab eo.

DISPVTATIO XVIII.

De Infinito.

EXPLICATIS alijs, quæ pertinent ad motum, par eſt, vt differamus de infinito, quod cadere ſolet in definitione continuorum, inter quæ motus etiam computatur.

QVAESTIO I.

Vtrum poſſit naturaliter dari infinitum in actu.

1 AD intelligentiam tituli, & eorum, quæ in hac diſput. dicemus, obſerua, infinitum eſſe duplex: aliud in genere entis, ſiue in omni genere; aliud autem in genere entis creati, ſiue in genere determinato. Primum eſt, quod nullius generis clauditur terminis, ſed omnem excogitabilem perfectionem ſupergreditur: & hoc pacto Deus O.M. infinitatem vendicat ſibi, vt lumine naturali eſt notum, & tradit D. Thom. 1. *p.q.*7. Infinitum autem in determinato genere eſt, quod excedit terminos proprios illius generis: & iſtud infinitum poteſt excogitari in genere ſubſtantiæ, in genere quantitatis, in genere qualitatis &c. In præſenti ergo ſpecialiter loquimur de infinito in genere quantitatis: & præcipuè permanentis: quia Ariſtot. hic de illo ex profeſſo diſputat: ob connexionem tamen doctrinæ de alijs etiam infinitis diſputationem texemus.

Porrò infinitum in genere quantitatis definitur ab Ariſtot. *in præſenti cap.7. eſſe id cuius ſemper eſt aliquid extra.* Quoniam licèt plures, & plures partes aliquotas, ſiue certæ magnitudinis accipiamus, ſemper reſtat vlterior accipienda ſine termino; qua ratione dicitur impertranſibile. Et hoc infinitum bipartitur: aliud enim eſt infinitum in actu, ſiue categorematicè, & ſimpliciter: quod nimirùm ſecundum id, quod habet in actu, nullis clauditur terminis. Aliud verò eſt infinitum in potentia, ſiue ſyncategorematicè, & ſecundum quid: & hoc ratione eius, quod importat in actu, eſt finitum; ſed id, quod poteſt habere, nullum habet terminum aut finem: qua ratione quantitas dicitur diuiſibilis in infinitum, quia data qualibet diuiſione, poteſt vlterius diuidi. Præſens igitur dubium procedit de infinito in actu, & ſimpliciter: & inueſtigamus vtrum ſit poſſibile, iuxta prouidentiam Dei ordinariam, & ſeruato ordine rerum.

§. I.

Præfertur pars negatiua.

2 DIcendum eſt, non poſſe dari naturaliter infinitum in actu. Hæc concluſio deſumitur ſatis perſpicuè ex illo Sapien. 11. *Omnia feciſti in numero, pondere, & menſura*: nam hęc omnia repugnant infinito. Illam etiam tuetur, & validiſsimis rationibus confirmat Ariſtot. *in præſent. cap.* 5. *&* 6. quem ſequuntur omnes eius interpretes, nec non Scholaſtici *in* 1. *diſt.* 32. *& Theologi* 1. *p. q.* 7. *art.* 2. 3. *&* 4.

Probatur ratione deſumpta ex D. Thom. loco cit. quoniam eſſentia finita naturaliter petit accidentia finita; ſiquidem accidentia cùm ſint affectiones eſſentiæ debent ei commenſurari: ſed quælibet creatura habet naturaliter eſſentiam finitam: ergo omnis creatura eſt naturaliter finita, & in eſſentia, & in accidentibus, & conſequenter non poteſt dari naturaliter infinitum in actu. Minor latè probabitur quæſt. ſequent. & nunc breuiter ſuadetur: nam termini eſſentiæ ſunt genus, et differentia: ſed quælibet creatura conſtat genere, et differentia; ergo habet eſſentiam terminatam, ſiue finitam proprijs terminis.

3 Sed obijcies, quod ſecundum D. Thom. loco cit. licèt corpus eſſet infinitum ſecundum magnitudinem, non ideò foret infinitum ſecundum eſſentiam; quia adhuc eius quidditas eſſet limitata per formam, et materiam; ergo ex limitatione in eſſentia non rectè colligitur finitas in accidentibus.

Reſpondetur, D. Thom. ſolùm intendere, vel admittere, quod dato corpore infinito in quantitate ſupernaturaliter, et per diuinam potentiam; adhuc non eſſet infinitum in eſſentia; id autem minimè infringit vim noſtræ rationis; quoniam procedit ſecundum exigentiam, et coaptationem naturalem rerum; qua attenta, certum eſt, quod eſſentia finita vendicat accidentia limitata; cùm hæc ſint affectiones, et effectus illius, cui proinde proportionati debent ſicut ſubiecto, et radici.

Replicabis: nam ex finitate ſubſtantiæ in eſſentia, ſolùm colligitur ſimilis limitatio in accidentibus, nempè in eſſentia; ſed magnitudo v.g. eſt extra eſſentiam quantitatis: ergo poteſt ad ſubſtantiam finitam ſecundum eſſentiam, ſequi naturaliter quantitas finita quidem ſecundum prædicata eſſentialia; infinita verò ſecundum magnitudinem.

Reſpondetur negando conſequentiam; nam hoc ipſo, quod accidentia ſint finita ſecundum eſſentiam, expoſcunt naturaliter modum eſſendi ſibi proportionatum, atque ideò finitum, et limitatum; et conſequenter eſſentia finita quantitatis vendicat ſecundum ordinem naturæ, et exigentiam rerum extenſionem certam, et finitam. Quare ex limitatione ſubſtantiæ ſecundum eſſentiam rectè colligitur de primo ad vltimum, omnia accidentia fore finita, naturaliter loquendo, tùm ſecundum eſſentiam, quàm ſecundum modos.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Occurritur argumentis Antiquorum.

4 ANaximander, Anaxagoras, & alij antiqui Philoſophi, quos citat. Ariſtot. *in hoc libro*, tenuere, infinitum in actu eſſe naturaliter poſſibile, & de facto exiſtere. Pro quorum placito arguitur primò: quoniam quælibet potentia naturalis poteſt naturaliter reduci ad proprium actum; aliàs eſſet fruſtra: ſed infinitum in potentia datur naturaliter: ergo poteſt dari naturaliter infinitum in actu, quo illa potentia expleatur §. Et confirmatur; quia Deus, vt agens cum natura, habet potentiam actiuam infinitam; ergo eſt dabile naturaliter infinitum in actu; per quod illa potentia reducatur ad proprium exercitium.

Reſpondetur ex Ariſtot. *in hoc. lib. c. 6.* & D. Thom. *ibidem lect. 9.* potentiam eſſe duplicem; nam alia reſpicit ſuum actum adæquatum, vt ſimul, & perfectè poſſidendum; quo pacto metallum eſt in potentia ad ſtatuam. Alia autem reſpicit ſuum actum adæquatum, non vt ſimul habendum; ſed vt ſucceſſiuè comparandum; qua ratione quantitas habet potentiam ad diuiſionem; quoniam nunquam pertingit ad diuiſionem adæquatam; ſed qualibet data, poteſt vlteriùs diuidi ſine termino. Vndè licèt hæc potentia ſit in *compleri, & ſatiari*, nunquam tamen eſt in *completo, & ſatiato eſſe*: nam reſpicit actum admixtum potentialitate: qui proinde non habetur adæquatè. Nec ob id eſt fruſtra talis potentia: quoniam iam reducitur ad actum, iuxta modum proprium ipſius, qui eſt non habere totum eſſe ſimul. Infinitum ergo in potentia, ſeu ſincategorematicè, quod concedimus, reſpicit hoc poſteriori modo ſuum actum: & ideò non rectè colligitur, quod poſſit dari infinitum in actu; ſed potiùs infertur oppoſitum.

Ad confirmationem negatur conſequentia; quoniam virtus infinita Dei non eſt ad producendum ſimul effectum infinitum: hic enim repugnat ex parte rei faciendæ, quæ ſolum poteſt eſſe infinita ſyncategorematicè, & in potentia; ſed eſt ad producendum infinitum ſucceſsiuè; quatenus, data qualibet creatura, poteſt aliam, & aliam perfectiorem producere abſque termino: ad quod requiritur virtus infinita.

5 Secundò arguitur: nam in quolibet continuo dantur partes infinitæ in actu, & ab inuicem ſeparabiles: ſiquidem continuum eſt diuiſibile in infinitum: ergo in quolibet, continuo datur in actu infinitus numerus partium. Quod poteſt magis explicari, & vrgeri: quia quod eſt actu pars eſt actu ens: ſed in continuo ſunt infinitæ partes in actu: ergo ſunt entia infinita in actu.

Reſpondetur, quod ex infinitis partibus proportionalibus continui, non poteſt inferri infinitum in actu, vel ſimpliciter: quia ly *partes proportionales* eſt additum diminuens, & ſignificans infinitum ſecundum quid, & in potentia. Et ratio eſt: quia partes proportionales, cum ſint minores minoribus, & partes partium, omnes continentur ſub certa, & determinata magnitudine, vt experientia liquet: & ſubinde non conſtituunt quantitatem continuam infinitam in actu. Porrò neque conſtituere poſſunt infinitam quantitatem diſcretam, ſiue numerum; quoniam hic eſt collectio plurium vnitatum: vnitas autem conſequitur actum eſſendi, & importat diuiſionem vnius ab alio: vndè ad numerum requiritur multitudo actu diuiſa. Cùm ergo partes proportionales continui exiſtant per vnum eſſe, et actu non ſint diuiſæ, non valent conſtituere numerum in actu, ſed ſolùm in potentia. Quare ex infinita diuiſibilitate partium, ſolùm colligitur numerus ſyncategorematicè infinitus. Et deſumitur hæc ſolutio ex D. Thom. *in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. ad 1.* vbi hæc habet: *Vnitas rei conſequitur eſſe ipſius: partes autem alicuius homogenei continui ante diuiſionem non habent eſſe actu, ſed potentia tantùm: & ideò nulla illarum habet vnitatem propriè in actu. Vndè actu non eſt ipſarum numerum accipere, ſed potentia tantùm.*

Per quod patet ad illam explicationem argumenti: nam licèt ens vtcumque et in potentia prædicetur de partibus proportionalibus; ſecùs verò ens in actu, et ſimpliciter: quia ſic dicit principium eſſendi; quod non conuenit partibus proportionalibus, quatenùs tales ſunt. Ob quam rationem licèt Theologi concedant in Deo tres res, non tamen tria entia ſubſtantiuè, vt docet D. Thom. *in 1. d. 25. quæſt. 1. art. 4. in corp.* Vndè ex infinitis partibus proportionalibus ſolùm colligitur, quod ſint in continuo infinita entia in potentia; quæ nunquam poteſt ad actum perfectum reduci, ſed ſemper eſt in ſatiari.

6 Replicabis: nam ſi in continuo darentur infinitæ partes aliquotæ, ſiuè certæ magnitudinis, verbi gratia infiniti palmi, daretur multitudo infinita in actu, et ſimpliciter: et tamen omnes illæ partes exiſterent vnica exiſtentia, nempè exiſtentia compoſiti: ergo ex eo, quod partes proportionales non habeant *eſſe* diuiſum, non rectè denegatur eis, eſse infinitas ſimpliciter, & conſtituere numerum infinitum in actu.

Reſpondetur negando conſequentiam: tùm quia partes aliquotæ, licèt exiſtant per vnam exiſtentiam; tamen exiſtunt diſtinctè, ſignatè, & actualiter, et ſic conſtituerent infinitum ſimpliciter non ſolùm in multitudine; ſed etiam in magnitudine. At partes proportionales exiſtunt per exiſtentiam totius confuſo, et indiſtincto modo: quia non ſunt ſignabiles, et æquales vni parti certæ, et ſignatæ: vndè ſicut non conſtituunt magnitudinem infinitam, ita neque numerum infinitum ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid. Tùm etiam, et præcipuè, quia licèt partes aliquotæ de facto non exiſtant diſtinctis exiſtentijs; nihilominùs habent potentiam proximam ad ſic exiſtendum; cùm poſſint omnes, tàm ſimul, quàm diuiſim adinuicem ſeparari: et hoc ſatis eſt ad conſtituendum numerum ſimpliciter infinitum. Partes autem proportionales non habent infinitas exiſtentias, neque in actu, vt conſtat; neque in potentia proxima: quia licèt quęlibet diuiſim accepta poſſit ſeparari ab alijs; repugnat tamen, quod omnes collectiuè, et ſimul diuidantur: nam quælibet eſt in infinitum diuiſibilis, vt ſuo loco dicemus. Et idcircò non poſsunt conſtituere numerum ſimpliciter infinitum.

7 Vltimò arguitur: nam in continuo poſsunt naturaliter dari infinitæ partes aliquotæ: ergo infinitum in actu eſt naturaliter poſſibile. Conſequentia conſtat ex proximè dictis. Antecedens autem ſuadetur: nam in columna, cuius longitudo, et latitudo ſit vnius palmi, neceſsè eſt dari lineam habentem infinitos palmos; cum enim dicta linea deſcendat girans omnes columnæ partes, quæ ſunt infinitæ, et habent extenſionem certam, nempè vnius palmi, nequit non illa linea infinitos palmos habere, et conſequenter infinitas partes aliquotas.

Reſpondetur negando antecedens, ad cuius probationem dicendum eſt, partes illas lineæ ſolum eſse aliquotas impropriè, et ſecundum quid: quia non habent ſufficientem entitatem, et actualitatem, vt poſſint ſeparatæ exiſtere: ideò carent potentia proxima ad exiſtendum, quod eſt de ratione partis aliquotæ ſimpliciter dictæ. Hæc quippè appellatur, quæ conſtat tribus dimenſionibus certæ magnitudinis, atquè ideò habet

Digitized by Google

rationem partis phyſicæ, et ſeparabilis. Illi autem palmi, quos diſtinguimus in linea ſunt indiuiſibilia continuatiua partium proportionalium, quibus proinde commenſurantur. Quare ſicut multitudo partium proportionalium infinitarum non conſtituit infinitum in actu; ita neque multitudo infinitarum linearum, quibus partes proportionales nectuntur, valet conſtituere infinitum ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundum quid. Et ratio eſt proportionabiliter eadem vtrobique, vt conſideranti conſtabit.

QVÆSTIO II.

An poſſit dari per potentiam Dei abſolutam creatura infinita ſecundum eſſentiam.

IN qualibet ſerie eſſentia eſt omnium primum; & ideò infinitas creaturæ ſecundum, eſſentiam ſi eſſet poſſibilis, anteiret alia genera infinitatum. Propter quod ab hoc genere infinitatis diſceptationem ordimur.

§. I.

Legitima deciſio dubij.

8 Dicendum eſt, implicare contradictionem, quod detur creatura infinita ſecundum eſſentiam. Hanc aſſertionem ſtatuit D. Thom. 1. *p. q.* 7. *art.* 2. & alibi frequenter, cui communiter ſubſcribunt omnes Theologi, & Philoſophi. Fundamentum eſt: quoniam termini proprij eſſentiæ, quibus ipſa finitur, ſunt genus, & differentia: ſed implicat creatura completa, quæ non conſtet genere, & differentia: ergo, repugnat dari creaturam infinitam ſecundum eſsentiam. Maior eſt certa: quia reſpectu eſsentiæ metaphyſicè conſideratæ, non ſunt deſignabiles alij termini, niſi genus, & differentia: vnde ſicut linea terminata terminis proprijs, nempè punctis eſt finita ſecundum extenſionem; ſic eſsentia conſtans genere, & differentia habet intrinſecam finitatem. Minor etiam conſtat: nam in qualibet creatura completa eſt abſtrahibilis aliqua ratio communis, in qua conueniat vniuocè cum alijs creaturis; à quibus tamen differt eſſentialiter per propriam differentiam ſpecificam: ac proinde omnis creatura completa conſtat genere, & differentia. Conſequentia verò eſt legitima, & extenditur ad eſsentiam incompletam: quia tanta perfectio, quanta eſt infinitas, nequit attribui eſsentiæ incompletæ, ſi ſemel completæ repugnat.

9 Reſpondet Vaſquez 1. *part. diſp.* 22. & 25. rationem hanc eſſe infirmam: quoniam etiam Deus conſtat genere, & differentia, nihilominùs eſt infinitus ſecundum eſſentiam. Et mouetur ex eo, quod compoſitio generis, & differentiæ fabricetur per rationem noſtram, & ſic non opponitur infinitæ perfectioni.

Cæterùm huius doctrinæ falſitas, vel ex eo duntaxat apparet, quia malè audit apud S. Patres, D. Thom. *loco cit.* D. Dionyſ. *cap.* 1. de diuinis nominibus. Auguſt. 1. *de Trinit. cap.* 1. & 4. & *lib.* 7. *cap.* 5. Anſelmum in Monologio *cap.* 7. qui conſtanter negant Deo compoſitionem ex genere, & differentia: idemquè propugnant cõmuniter omnes Theologi cum Magiſtro *in* 1. *diſt.* 8. Et meritò: quoniam differentia limitat genus; ſiquidem coarctat, & trahit illud ad determinatam ſpeciem diſtinctam ab omnibus alijs: ergo implicat, quod eſſentia cõſtans genere, & differentia contineat omnem perfectionem, quam genus ſecundum ſe acceptum importat: ſed eſſentia, quæ non dicit totam perfectionem ſui generis, nequit eſſe infinita in illo, & multo minus in omni genere; vt ſatis ex ſe conſtat: ergo ſi Deus conſtaret genere, & differentia, non eſſet ſimpliciter infinitus. Accedit, vltimas differentias non includere formaliter genus, vt ſtatuimus *in Logic. diſp.* 6. *quæſt.* 3. ergo ſi Deus componeretur ex genere, & differentia, hæc non imbiberet ex ſuo conceptu formali conceptum genericum: ergo talis ratio non eſſet ens per eſſentiam, ſiue includens omnem excogitabilem perfectionem.

Porrò fundamentum. Vaſquez nullius roboris eſt: quoniam licèt hæc compoſitio ſit formaliter per rationem, prærequirit, vt fundamentum, vel ſaltem, vt conditionem, quod detur in re aliqua compoſitio, realis ſaltem ex eſſentia, & exiſtentia, vt docet D. Thom. *cap.* 6. de ente, & eſsentia his verbis: *Omne quod eſt in genere, oportet, quod habeat quidditatem præter eſſe ſuum.* Aliàs hæc compoſitio eſſet prorſus abſque fundamento, & conſequenter chimærica. Conſtat autem, quod in Deo nulla datur compoſitio ex eſsentia, & exiſtentia; nam eſt ſuum eſse per ſe ſubſiſtens: ergo in eo non datur cõpoſitio ex genere, & differentia: niſi fortè attribuatur ei pro libito noſtro, & ſine vllo fundamento.

10 Deinde poteſt ſuaderi noſtra concluſio alia ratione deſumpta ex D. Thom. *loco cit.* ex prima parte, quæ poteſt ad hanc formam reduci: nam ſi creatura poſset habere eſsentiam infinitam, poſset etiam habere exiſtentiam infinitam, vt conſtat à paritate: ſed nequit habere exiſtentiam infinitam: ergo neque eſsentiam. Probatur minor, quia forma limitatur à ſubiecto: in quo recipitur: ſed exiſtentia cuiuſcumque creaturæ eſt actus receptus in eius eſsentia; ſiquidem implicat, quod creatura ſit ſuum eſseirreceptum, aut quod illud habeat à ſe, et non recipiat à Deo per actionem productiuam, vt ſatis ex ſe liquet: ergo omnis exiſtentia creata eſt finita.

Reſpondebis, quod eſsentia infinita eſt capax exiſtentiæ etiam infinitæ: ac proinde quamuis exiſtentia recipiatur in eſsentia, non ideò contrahet limitationem à ſubiecto; cùm hoc etiam ſupponatur infinitum. Vnde ſicut datis duabus lineis infinitis, quælibet careret terminis; etſi neutra haberet omnem excogitabilem longitudinem: ita poterit dari eſsentia infinita, & exiſtentia infinita, licèt neutra ſit infinita in linea entis, ſed in ſuo genere, & ordine.

Sed hæc ſolutio nequit ſubſiſtere; tùm quia, quando actus, & potentia diſtinguuntur, actus limitatur per potentiam, & potentia per actum: ergo ſi actus exiſtentiæ recipitur in eſsentia, neutra illarum poteſt infinitate gaudere. Tùm etiam, quia hoc ipſo, quod eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia, nequit includere per modum tranſcendentis omnem rationem entis, & omnem gradum ſuperiorem, & communem; ſed præſtabit fundamentum ad compoſitionem ex genere, & differentia, & per conſequens his finibus continebitur: at eſsentia conſtans genere, & differentia, & his terminis circumſcripta nequit eſse infinita, vt ſatis conſtat ex dictis: ergo repugnat quod eſsentia recipiens realiter exiſtentiam ſit infinita in linea eſsentiæ, et recipiat exiſtentiam infinitam.

§. II.

Diluuntur rationes oppoſitæ.

11 Qvamuis contraria noſtræ aſsertioni ſententia non probetur Auctoribus; poſsunt tamen in eius fauorem formari aliqua argumenta, quæ oportet diluere. Ergo arguitur primò: nam potentia, quo per-

perfectior eſt, eò poteſt producere effectum perfectiorem; ergo ſi fuerit infinita, poterit attingere effectum infinitè perfectum; ſed virtus actiua Dei eſt infinita, ergo poteſt producere effectum infinitæ perfectionis.

Reſpondetur negando primam conſequentiam; nam vt potentia ſit infinita, non requiritur, quod poſſit producere vnum effectum, qui ſit actu, et ſimpliciter infinitus; ſed ſatis eſt, quod poſſit producere effectus infinitos, et ſe excedentes in perfectione. Nam potentia, quę abſque aliqua additione, et variatione ſui poteſt tot effectus producere, nequit non eſſe ſimpliciter infinita; cùm actu eminenter contineat ſimul, & ſemel omnem perfectionem illorum. Et ita ſe habet virtus actiua Dei: quare ad eius infinitatem non exigitur, quod producat creaturam infinitam: hæc quippè repugnat ex parte facti, & nequit eſſe obiectum diuinæ omnipotentiæ, quæ reſpicit abſolutè poſſibile. Vnde licèt virtus agentis vniuoci debeat manifeſtari in vnico effectu; virtus tamen agentis æquiuoci non valet in vno effectu oſtendi adæquatè, ſed ſplendet, & quaſi regulatur per collectionem omnium effectuum, quos continet. Videatur D. Thom. 1. *part. quæſt.* 25. *art.* 2. *ad* 2. ¶ Adde, infinitatem virtutis diuinæ ſatis oſtendi in modo producendi, & cauſandi; ſiquidem producit res per creationem, & extrahit eas à nihilo: ad quod requiri infinitam virtutem docet, & oſtendit D. Thom. 1. *part. quæſt.* 32. *art.* 1. *&* *quæſt.* 45. *art.* 5.

12 Secundò arguitur: quoniam ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ, influeret ſecundum vltimum ſuæ potentiæ: ergo produceret effectum infinitum, & adæquantem potentiam: ſed Deus agens liberè non eſt minoris virtutis, quam tunc eſſet: ergo poteſt nunc producere effectum infinitæ perfectionis.

Reſpondetur negando primam conſequentiam: nam ſi Deus ageret ad extra ex neceſſitate naturæ, non eſſet Deus, nec haberet virtutem infinitam; cum operari ex neceſſitate dicat defectum libertatis, & prouidentiæ in operando: quæ imperfectio repugnat infinitati diuinæ perfectionis. Dato tamen, quod ſic operaretur, ſequeretur vtrumque; nimirùm, & poſſe, & non poſſe producere effectum infinitum, nam caſus, ſub quo procedit obiectio, eſt impoſſibilis; & ex impoſſibili ſequitur quodlibet.

13 Tertiò arguitur: nam poteſt Deus dicere: *Fiat perfectiſſimus effectus, quem poſſum producere:* ſed hic haberet infinitam perfectionem: ergo Suadetur minor: quia aliàs daretur creatura finitè perfecta, quæ eſſet terminus, vltra quem diuina virtus non poſſet progredi: quod eſt abſurdum.

Reſpondetur negando maiorem: quia non eſſet aliqua creatura, quæ illi obediret imperio; ſiquidem nulla datur ſub eſſe poſſibili, quæ ſit omnium perfectiſſima, ſiue quæ omnes alias excedat in perfectione: nam, data qualibet creatura, poteſt produci alia, & alia perfectior abſque termino; aliàs poſſet exhauriri diuina virtus, quod eſt impoſſibile. Vndè ſicut repugnat, Deum imperare, quod fiat prima pars continui, quia non datur talis pars: ita implicat, quod intendat productionem creaturæ perfectiſſimæ, quoniam repugnat huiuſmodi effectus.

14 Vltimò arguitur: quoniam intra collectionem creaturarum poſſibilium datur vna infinitæ perfectionis: ergo cognoſcitur à Deo, & poteſt ab eo produci. Suadetur antecedens: nam ſi omnes creaturæ poſſibiles ponerentur ſub exercitio exiſtendi, neceſſario vna illarum eſſet infinitè perfecta; tùm quia excederet omnes alias, quæ, vt ſupponitur, ſunt infinitæ: tùm quia, ſi non daretur vna infinitè perfecta, in qua ſiſteret progreſſus perfectionis; non exiſteret tota collectio creaturarum. quod repugnat ſuppoſitioni factæ: ergo pariter ſub eſſe poſſibili datur determinatè vna, quæ omnes alias excedit, ac proinde eſt infinita.

Reſpondetur negando antecedens: Deus enim non cognoſcit creaturam excedentem in perfectione omnes alias, quæ ab ipſo fieri poſſunt: nulla quippè excellit cæteras collectiuè, ſed qualibet deſignata quantumuis perfecta, poteſt perfectior produci. Et ad probationem in contrarium, quæ continet ſuppoſitionem impoſſibilem (ex qua proinde ſequitur vtrumque) idem reſpondendum eſt, quia non eſſet tunc aliqua creatura ſuperans omnes in perfectione; aliàs hæc eſſet vltima, quod eſt contra rationem collectionis, & multitudinis infinitæ: hæc quippè caret fine. Sed vt hæc ſolutio pleniùs, ac perfectiùs intelligatur, ſit.

QVÆSTIO III.

An data quacumque creatura, poſſit Deus aliam, & aliam perfectiorem ſecundum ſpecie producere.

§. I.

Stabilitur commune placitum.

15 Dicendum eſt, eſſe poſſibiles infinitas creaturas ſe excedentes in perfectione ſpecifica, atque ideò poſſe Deum, quacumque data, producere aliam perfectiorem ſecundum ſpeciem. Sic docet D. Thom. 2. *contra Gentes cap.* 26. 1. *p. quæſt.* 45. *art.* & in aliis pluribus locis: quem ſequuntur omnes Thomiſtæ, & communiter Doctores.

Fundamentum deſumitur ex D. Thom. *loco cit. ex* 2. *contra Gentes:* quoniam creatura eſt quædam participatio diuinæ perfectionis: ſed eſſentia diuina eſt participabilis infinitis modis eſſentialiter diſtinctis: ergo ſunt poſſibiles infinitæ creaturæ ſe excedentes in perfectione eſſentiali; & conſequenter, qualibet producta, poterit fieri alia ſpecificè perfectior.

Confirmatur, & explicatur primò: quoniam eſſentia diuina importat infinitos conceptus, ſub quibus inæqualiter eſt imitabilis à creaturis: ſed infinitum non valet exhauriri: ergo poſita quacumque creatura, eſt producibilis alia, quæ perfectionem diuinam diuerſo, atque excellentiori modo imitetur. ¶ Quod poteſt confirmari, & explicari, ſecundo exemplo imaginum, & exemplaris: quoniam ſi daretur exemplar infinitæ perfectionis, & imitabilitatis, nulla imago finitè perfecta poſſet ipſum perfectè, & adæquatè repræſentare: nam imitabilitas infinita nequit per imitationem finitam exhauriri, & adæquari; ſed quantumuis ſub perfecto modo finito ſupponatur expreſſum, ſupereſt in eo alia perfectior imitabilitatis ratio, ſub qua proindè poteſt repræſentari perfectiùs: et ſic data qualibet imagine, poſſet alia perfectior effotmari; conſtat autem, quod eſſentia diuina, et creaturæ hac proportione ſe habent; ſiquidem illa eſt exemplar infinitum, iſtæ verò ſunt quædam finitæ, & defectiuæ imagines. Data igitur qualibet creatura, eſt poſſibilis alia, et alia ſine termino, quę perfectionem diuini exemplaris excellentiùs repræſentet, et participet.

16 Sed obijcies primò: de facto in rerum natura exiſtit ſubſtantia adeò imperfecta, vt Deus nequeat producere aliam imperfectiorem, aut quæ inferiori modo repræſentet, et participet diuinam perfectionem: ergo pariter

Digitized by Google

pariter erit producibilis alia creatura, quæ imitetur Deum omni perfectione poſſibili, & qua nequeat dari alia perfectior. Conſequentia videtur legitima à paritate, & antecedens ſuadetur in materia prima ſublunari, quæ eſt omnium ſubſtantiarum imperfectiſſima, vt docet D. Auguſt. 12. *Confeſſ. cap.* 7.

Reſpondetur negando conſequentiam: quoniam creatura eò creſcit in perfectione, quo magis accedit ad Deum: & quia dato quocumque acceſſu, ſemper reſtat alius maior, cùm Deus infinitè diſtet à qualibet creatura; ideò poſita creatura quantumcumquè perfecta, eſt poſsibilis alia perfectior. Creatura autem eò magis decreſcit in perfectione, quo amplius à Deo recedit, & diſtat: & quia eſt poſsibilis totalis receſſus à Deo, vt conſtat in diſtantia, qua nihil elongatur ab illo; idcircò eſt poſsibilis creatura, quæ ſaltem intra latitudinem ſubſtantiæ creatæ, minimo receſſu diſtet à nihilo, & maximè recedat à Deo, quæ proinde ſit imperfectiſsima: & huiuſmodi eſt materia prima ſublunaris.

§. II.

Refertur negatiua ſententia.

17 DVrandus *in* 1. *d.* 44. *q* 8. & Henricus *quodlib.* 2. *quæſt.* 8. defendunt partem negatiuam, quæ poteſt ſuaderi primò: quoniam non poteſt Deus producere vniuerſum perfectius, aut pulchrius iſto, quod conditum eſt, vt docere videntur D. Aug. *cap.* 10. *Enchirid.* D. Nazianz. *homil. de Natiuit.* ſed perfectio huius vniuerſi conſurgit ex ſpeciebus ipſum componentibus: ergo non valent produci ſpecies perfectiores.

Reſpondetur ex D. Thom. 1. *p. q.* 26. *art.* 6. *ad* 3. vniuerſum iſtud poſſe conſiderari, vel quoad ſpecies, vel quoad ordinem illarum. Et quidem ſecundum primam conſiderationem, poſset produci aliud vniuerſum perfectius: nam poſſet Deus perfectiores ſpecies producere, ex quibus conſequenter reſultaret excellentior vniuerſitas. At ſecundum poſteriorem acceptionem, & ſuppoſitis his ſpeciebus, non poteſt melius produci; quia ordo illarum rerum eſt decentiſsimus, & illis mutatis, corrumperetur ordinis proportio: ſicut ſi vna chorda plus debito intenderetur, ceſsaret citharæ melodia. Et in hoc vltimo ſenſu intelligendi ſunt SS. Patres.

18 Secundo arguitur fundamento ſupra tacto, cuius non eſt leuis difficultas: quoniam ſi exiſterent infiniti v. g. Angeli ſe excedentes in perfectione ſpecifica, neceſsario vnus ex illis eſset infinitus ſecundum ſpeciem, ille nimirum, qui contineret omnes perfectiones aliorum, & qui infinitè diſtaret à creatura imperfectiſsima: ſed quod facit actu, facit potentia poſsibiliter: ergo ſi ſunt poſsibiles infiniti Angeli ſe excedentes in perfectione ſpecifica, neceſsario concedendus eſt ſub eſse poſsibili quidam Angelicus infinitè perfectus: conſequens eſt abſurdum. ergo non ſunt poſsibiles infinitæ creaturæ ſe excedentes in perfectione ſecundum ſpeciem; ſed poterit fieri aliqua adeò perfecta, vt nequeat perfectior produci.

Reſpondetur, vt ſupra *num.* 14. negando maiorem: quia nullus illorum Angelorum contineret perfecte, & adæquatè differentias, & perfectiones ſpecificas, quæ reperiuntur in alijs. *Quælibet enim creatura* (inquit Angelic. Doct. 1. *p. q.* 84. *art.* 2. *ad* 3.) *habet eſſe finitum, & determinatum. Vnde eſſentia ſuperioris creaturæ, etſi habeat quamdam ſimilitudinem inferioris creaturæ, prout communicant in aliquo genere, non tamen completè habet ſimilitudinem illius: quia determinatur ad aliquam ſpeciem, præter quam eſt ſpecies inferioris creaturæ.* Id autem, quod non habet omnem perfectionem ſui generis, ſed intra ipſum intrinſecè terminatur, quo pacto quælibet ſpecies limitatur per differentiam, nequit infinitate gaudere; cum habeat genus contractum, & poſitiuè excludat alias differentias, & perfectiones ſpecificas. Neque enim imaginandum eſt, quod Angelus ſuperior contineat ipſiſsimam perfectionem inferioris, & aliquid amplius: hoc enim falſum eſt, vt docet D. Thom. ſed ſolùm ex maiori eius perfectione ſequitur, habere perfectionem ſpecificam ſuperiorem, ad quam infinitæ inferiores nequeunt pertingere. Ad hoc autem non requiritur exceſsus infinitus, ſiue in perfectione infinita: ſed ſufficit exceſsus eſſentialis, ſiue in differentia ſpecifica nobiliori. Quod conſtat, tùm in homine, qui eſt perfectior infinitis animalibus poſsibilibus, quin ſit infinitè perfectus, vel habens infinitas perfectiones; ſed ſolùm formaliter habet differentiam ſatis nobilem, quam infinitæ imperfectiores non valent attingere. Tùm in numero binario, qui propter immediatum acceſsum ad vnitatem excedit infinitos numeros poſsibiles, & tamen non habet infinitam perfectionem; ſed duntaxat differentiam finitam, & perfectiorem. Vnde ſicut ex exceſsu hominis, & binarij ſupra infinita animalia, & numeros non colligitur infinitas harum duarum ſpecierum: ſic ex exceſsu vnius Angeli ſupra omnes alios, neutiquam infertur, quod ſit infinitus ſimpliciter.

19 Poſſemus etiam huic argumento occurrere, omiſſis maiori, & minori, negando conſequentiam: quia arguitur ab infinito in actu (quo pacto collectio omnium Angelorum, ſi actu exiſterent, eſſet infinita) ad infinitum in potentia, & ſyncategorematicè, qua ratione aſſerimus eſſe poſsibiles creaturas infinitas, & ſpecie diuerſas: quia nulla eſt deſignabilis, qua non poſsit alia aſsignari perfectior. Porrò hic tranſitus vitioſus eſt: nec ſequitur, quod in infinito ſyncategorematico detur poſſibiliter id, quod actu daretur in infinito categorematico. Quod inſtatur, & declaratur exemplis: nam ſi continuum diuideretur actu infinitis diuiſionibus, daretur vna pars actu minima, & vlteriùs non diuiſibilis; quod eſt impoſsibile: & tamen ex hoc non rectè infertur, quod ſi quantitas eſt diuiſibilis in potentia infinitis diuiſionibus, poſsit dari vna pars minima; & quæ vlterius nequeat diuidi. Similiter ſi materia prima reciperet actu infinitas formas poſsibiles, eſſet actu ſatiata: & nihilominus ex eo, quod poſsit illas ſuſcipere, non ſequitur, quod poſsit ſatiari. Ita ergo, etſi admitteremus, quod datis infinitis Angelis in actu, vnus eſſet actu infinitus, minimè colligitur, quod ſi poſſunt eſſe infiniti Angeli, poſsit vnus eſſe infinitus. Et ratio eſt eadem vbilibet: quia nimirum dicta potentia non eſt ad terminum infinitum actu, ſed ad terminum ſyncategorematicè infinitum; hoc eſt, ad actum finitum, admixtum tamen infinitæ potentiæ, quæ proinde non habet vltimum. Et cùm dicitur, idem præſtare actum actu, & potentiam poſsibiliter, intelligendum eſt de actu, qui eſt terminus potentiæ: quo pacto collectio infinitorum Angelorum actu, & ſimul exiſtentium non ſe habet ad poſſibilitatem, quam ponimus: quia terminus huius potentiæ eſt infinitus ſyncategorematicè, hoc eſt finitus in actu, & infinitus in potentia; prædicta verò collectio actu exiſtens foret infinita in actu. Quare ex hoc actu ad potentiam illam eſt illegitima conſequentia.

20 Vltimò arguitur: quia ex noſtra ſententia ſequitur, collectionem creaturarum poſsibilium eſſe infinitam ſecundum perfectionem eſſentiæ; ſiquidem nullum habet terminum: ſed hoc eſt abſurdum: ergo non ſunt poſ-

Digitized by Google

poſſibiles infinitæ creaturæ ſe excedentes in ſpecie. Suadetur minor: nam tota illa collectio eſt ens creatum: ergo debet eſſe finita:

Reſpondetur diſtinguendo ſequelam, quæ ſi intelligatur de infinito ſecundum quid, & in potentia, concedenda eſt; ſecus verò, ſi intelligatur de infinito ſimpliciter, & in actu: quia tota illa collectio non eſt ſimul, & in actu, ſed ſolum in potentia. Et licèt repugnet infinitum in actu, non autem infinitum in potentia, & ſecundum quid, vt conſtat ex ſupra dictis. Videantur Ariſtot. & D. Thom. *in præſenti lect. 9.* ex quibus deſumitur hæc ſolutio.

QVÆSTIO IV.

An ſit poſſibile infinitum in actu ſecundum magnitudinem.

POſtquam diſſeruimus de infinito ſecundum magnitudinem perfectionis, ſupereſt vt tractemus de infinito quantitate molis: & ita inquirimus, an poſſit dari quantum infinitum.

§. vnicus.

Præfertur ſententia D. Thom.

21 DIcendum eſt, implicare contradictionem, quod Deus efficiat magnitudinem infinitam in actu. Hæc eſt expreſsè D. Thom. *1. p. q. 7. art. 3. & quodlib. 9. art. 1.* & *quodlib. 12. art. 2.* Quam etiam docent D. Bonauentura, Durandus, Scotus, Ricardus, & alij innumeri Auctores. Sed priuſquam illam ratione probemus, habendum præ occulis eſt, vt prolixitatem vitemus, & plures aduerſariorum euaſiones ſimul præcludamus, quod linea eſt continuatiua ſuperficiei, & ſuperficies corporis. Vndè talem inter ſe proportionem, & connexionem, phyſicè loquendo, habeat; quod ſi infinitudo repugnat vni ex illis, nequeat alteri competere. Hoc ſuppoſito.

Suadetur aſſertio primò: quia ſi daretur à parte rei corpus infinitum, exiſteret diſtantia infinita clauſa terminis: conſequens implicat contradictionem, vt ex se liquet: ergo &c. Probatur, & explicatur maior: quia duæ lineæ ab eodem centro ductæ, eò magis diſtant inter se, quò magis diſtant à centro, quocirca ſi diſtantia earum à centro esset infinita, pariter eſſet infinita diſtantia illarum inter se: atqui, dato corpore infinito, lineæ ductæ ab eius centro ad circumferentiam protraherentur in infinitum: ergo diſtarent inter ſe infinitè, & per conſequens daretur diſtantia infinita clauſa terminis, nempe ipſis lineis.

Reſpondet Vasquez, hinc ſolùm ſequi diſtantiam illam eſſe infinitam in potentia, ſecùs verò in actu: quoniam non eſt aliqua ſuprema pars linearum, in qua aſſignetur infinita diſtantia; ſed deſignata quacumque, poterit alia maior abſque, termino deſignari.

Sed hoc facilè refellitur: quoniam vt linea ſit actu, & ſimpliciter infinita, vt admittit hic Auctor, non requiritur, quod deſignetur in ea pars vltima: imò ex hoc ipſo conuincitur eſſe infinitam: quia videlicet non eſt in ea pars vltima deſignabilis; ergo vt diſtantia ſit ſimpliciter, et in actu infinita, minimè requiritur, quod deſignetur in ea diſtantia omnium maxima, ſed ſufficit eſſe ibi in actu maiorem, et maiorem diſtantiam abſquè termino maioritatis. Patet conſequentia; quia ſicut linea abſquè termino longitudinis eſt actu infinita; ità diſtantia, abſquè termino ſuæ magnitudinis, debet, re ipſa, infinitate gaudere, quamuis diſtantia à nobis ſignata infinita non ſit.

22 Secundò ſuadetur noſtra concluſio alia ratione, cuius vis vt magis appareat, duò præſupponenda ſunt. Primum ſit, quantitatem eſſe ex ſe diſpoſitionem ad motum localem: quia eſt forma, per quam ſubſtantia habet eſſe in loco circumſcriptiuè, & perfectè, et ideò nequit non conducere, quantum eſt de ſe, ad hoc, quod ſubſtantia localiter moueatur. Vndè implicat, quod à quantitate proueniat impedimentum ad motum localem, ſiuè omnimoda immobilitas ſecundum locum; ſicut quia riſibilitas eſt potentia, vt rideamus, nequit à riſibilitate oriri repugnantia ad ridendum. ¶ Secundum ſit, quantitatem infinitam impedire ex ſe motum localem. Cuius ratio eſt; quia corpus affectum quantitate infinita non poteſt moueri motu recto, ſiue à loco in locum, cùm occupet omnem locum. Nequit etiam moueri motu circulari: nam ad hunc motum, requiritur, quod vna pars veniat ad locum alterius. quod implicat in corpore infinito; ſiquidem eius partes diſtant infinitè inter ſe: & infinitum eſt impertranſibile. Quarè prædictum corpus haberet, ratione quantitatis, omnimodam immobilitatem ſecundum locum.

Ex ijs ſic formatur ratio: quoniam implicat, quod corpus ratione quantitatis habeat repugnantiam ad motum localem: ſed corpus infinitum, ratione quantitatis, eſſet immobile ſecundum locum: ergo repugnat corpus magnitudinis infinitæ. Maior, & minor conſtant ex modò prænotatis, & conſequentia eſt legitima.

Reſpondebis, quod licèt quantitas ſecundum ſe accepta non ſit impedimentum ad motum localem; quantitas tamen infinitæ magnitudinis, ratione tantæ molis, poteſt impedimentum præſtare ad huiuſmodi motum. ¶ Sed contra: nam implicat, quod accidens ex natura ſua potens ad aliquem effectum, fiat ineptum ad illum præſtandum, ex eo quod infinitè creſcat in perfectione; imò potius quò magis perficitur intra proprium genus, eò potentiùs redditur ad proprios affectus communicandos: ſed quantitas ex ſe diſponit ad motum localem: ergo repugnat, quod per ſui augmentum reddatur impotens ad hunc effectum, & ponat repugnantiam ad illum; atqui quantitas infinita infert omnimodam immobilitatem ſecundum locum: ergo implicat quantitas magnitudinis infinitæ. Vndè excluſæ relinquuntur aliquæ Aduerſariorum ſolutiones; quia vel non habent locum, vel procedunt ex ſiniſtra intelligentia rationis D. Thom. cuius vis modo à nobis propoſito ſatis apparet.

23 Contrariam nihilominus opinionem amplectuntur Gregorius, Gabr. Maior, Ocham, & alij, quibus adhæret Vaſquez *1. p. diſp. 26.* Quorum præcipuum fundamentum eſt: quia quod non eſt contra eſſentiam alicuius, poteſt illi attribui, ſaltèm per abſolutam Dei potentiam: ſed magnitudo infinita non eſt contra eſſentiā quantitatis: ergo poteſt dari quantitas magnitudinis infinitæ. Minor probatur, tùm quia quantitas ſecundum ſe non petit terminum certum: ergo habere magnitudinem finitam, vel infinitam eſt extra eſſentiam illius. Tùm etiam, quia communiter admittitur; quod ſi daretur linea infinita, collocanda foret in prædicamento quantitatis, non minus quam linea finita: ergo manet illæſa eius eſſentia, quamuis creſcat infinitè.

Sed hoc facilè diluitur: nam vt abſolutè ſit impoſſibilis quantitas infinita, opus non eſt, quod hæc repugnantia oriatur ab eius eſſentia; ſed ſufficit, quod ſequatur ratione aliorum implicationum, quæ poſitionem talis infiniti inſeparabiliter comitantur, vt à nobis oſtenſum

eſt.

Digitized by Google

eſt. Addimus etiam quod licèt eſſentia quantitatis non petat determinatè hunc terminum; petit tamen hunc, vel illum vagè: nam petit poſitiuam ſui terminationem, ad quam ſequitur figura: & ideò nullo modo poteſt ei conuenire repugnantia, vt ſit terminis circumſcripta. Quarè ſi daretur quantitas habens magnitudinem abſquè terminis, cui proindè repugnaret, tum figura, tum motus localis; diſtingueretur eſſentialitèr à quantitate, quæ de facto datur, & cui affectiones competunt. Dicitur tamen communitèr quantitatem infinitam collocandam fore in prædicamento quantitatis: quia dato hoc impoſsibili, argueretur eſſentiam illius non petere certum terminum, ſed tantùm partes extra partes.

QVÆSTIO V.

An poſſit dari multitudo infinita in actu.

VIdimus *quæſt. praeced.* repugnare quantitati continuæ infinitatem in actu; ſupereſt examinandum, an etiam repugnet quantitati diſcretæ, ſiuè multitudini; quod in præſenti decidemus.

§. I.

Reſolutio difficultatis ex D. Thoma.

24 DIcendum eſt, implicare contradictionem, quod detur infinitum in actu ſecundum multitudinem. Hæc eſt D. Thom. 1. *q.* 7. *art.* 4. & alibi *ſæpè*, quam proindè ſequuntur Caiet. Banez, Nazarius, Nauarrete, & alij plures.

Probatur primò ratione: quia ſi poſſet Deus producere corpora infinita in actu, poſſet etiam producere vnum corpus actu infinitum: conſequens eſt falſum, vt conſtat ex dictis *quæſt. praeced.* ergo impoſsibile eſt, quod producatur multitudo corporum actu infinita. Probatur maior: quia, productis infinitis corporibus, poſſet Deus illa vnire per continuationem: vndè ex infinitis portionibus v. g. terræ, reſultaret terra actu infinita.

Reſpondebis hinc ſolum probari, non poſſe Deum producere illa infinita corpora cum actuali extenſione, & in ordine ad locum diuerſum; ſecùs verò ſi producantur abſque extenſione locali; vel penetrentur: tunc enim omnia ſimul non efficiens maiorem magnitudinem, quam quodlibet illorum.

Sed contra: quia licèt Deus poſſit ſeparare paſſionem ab eſſentia, nequit tamen efficere, quod paſſio eſſentiæ repugnet: eſſentia quippè ſemper poteſt ſuas proprietates habere, & illas expoſcit: ſed extenſio localis, & impenetrabilitas ſunt proprietates quantitatis: ergo ſi poſſet Deus producere infinita corpora penetrata, vel abſque extenſione locali; poſſet etiam, imò & connaturalius, efficere illa extenſa localiter, & impenetrata: atqui efficerent tunc magnitudinem infinitam, vel per continuationem, vel ſaltem per contiguitatem: ergo ſi poteſt Deus producere ſimul infinita corpora, poterit etiam efficere corpus actu infinitum.

25 Secundò ſuadetur noſtra ſententia: quia omnis multitudo quantitatiua exiſtens à parte rei eſt aliquis numerus: ſed implicat numerus infinitus: ergo & multitudo infinita in actu. Maior eſt certa: quia repugnat aliquid eſſe ſub determinato genere, & non eſſe ſub determinata ſpecie: ſed multitudo actu exiſtens eſt ſub multitudine vt ſic: ergo debet eſſe talis ſpecies multitudinis: conſtat autem, quod multitudo quantitatiua, de qua loquimur, nequit eſſe alia ſpecies, quam numerus: ergo. Minor conſtat; tum, quia numerus eſt multitudo menſurata per vnum: & menſurari repugnat infinito. Tum etiam, quia in quolibet numero eſt vltima vnitas tribuens illi ſpeciem, vt conſtat ex dictis in Logica: ſed eſt contra rationem infiniti in actu habere partem vltimam; ergo repugnat numerus infinitus.

Reſpondebis primò ex Vaſquez, multitudinem rerum non habere à parte rei vnitatem ſpecificam numeri, ſed hanc ſortiri ab intellectu numerante vnam vnitatem poſt aliam. Vndè non eſt inconueniens, concedere multitudinem, quę à parte rei, ſub nulla contineatur ſpecie.

Sed hæc ſolutio refellitur primò: quia numerus eſt vera ſpecies quantitatis, vt oſtendimus in Logica *diſp.* 13. *quæſt.* 4. ergo quilibet numerus quantitatiuus habet à parte rei vnitatem ſpecificam. Secundò, quia eſto, quod vnitas formalis numeri deriuaretur ab intellectu, nihilominùs omnis numerus habet à parte rei aliquem ordinem menſurabilitatis, aut numerabilitatis: ſed menſurabilitas opponitur infinitati: ergo repugnat, quod detur numerus infinitus.

Reſpondebis ſecundò cum Conimbr. quod licèt numerus finitus debeat eſſe multitudo menſurata per vnum; ſecùs verò numerus infinitus: vndè non repugnat, ſpeciem huius numeri eſſe actu infinitam.

Sed hæc etiam ſolutio corruit; tum quia conſtituit numerum innumerabilem; cùm tamen omnis multitudo actu exiſtens poſſit à Deo numerari, & cadat ſub determinata intentione eius, ſiquidem ab ipſo ſit. Tùm etiam, quia numerus debet eſſe aliquomodo vnus: ſed nullus alius modus vnitatis ei competere poteſt, niſi vnitas ordinis: ad quam requiritur menſurabilitas, & numerabilitas; vel quòd omnes vnitates poſſint ſub vna coordinari, & ſupputari: ergo repugnat numerus, qui nequeat menſurari. Et planè omnis numerus etiam imaginarius debet conſtitui per vnitatem, quæ actu, vel aptitudine ſit vltima: alias quantumuis adderentur ei, vel ſubtraherentur ab eo aliquę vnitates, ſemper eſſet eiuſdem rationis: quod eſt manifeſtè abſurdum.

Ex quibus deducitur, implicare etiam numerum tranſcendentalem infinitum in actu: quia licèt hic numerus non conſtituat vnum per ſe, vt conſtat ex dictis in Logica, nihilominùs eſt talis ſecundum proportionem ad numerum quantitatiuum, & ſic debet importare aliqualem ordinem menſurabilitatis: quæ omninò repugnat infinito.

§. II.

Soluuntur contrariæ rationes.

26 POſſibilem eſſe multitudinem actu infinitam, docent Auctores ſupra relati *num.* 23. quibus adhæret Oña *quæſt.* 2. *art.* 3. *concl.* 2. Pro qua ſententia arguitur primò: nam quod Deus conſeruat media cauſa ſecunda, quæ non eſt de eſſentia rei, poteſt abſque interuentu eius, ſe ſolo conſeruare: ſed in continuo dantur infinitæ partes proportionales media vnione, quæ extra illarum eſſentiam eſt; ſiquidem quælibet abſcindi valet ab alia: ergo poteſt Deus conſeruare omnes illas ſeparatas; & ſubindè erit multitudo infinita in actu.

Reſpondetur, quod licèt vnio partium proportionalium ſit extra eſſentiam, cuiuſuis partis proportionalis ſingilatim acceptæ, quatenus nulla petit vniri alteri determinatè: attamen de eſſentia cuiuſcumque partis eſt habere aliquam vnionem: quia cùm quęlibet pars quan-

Digitized by Google

ritas continua, eſſentialiter conſtat partibus, non quidem diuulſis; ſed aliquo nexu vnitis. Vndè implicat, quantitatem eſſe actu, & vltimò diuiſam in omnes ſuas partes. Hinc enim fieret, diuiſibilitatem quantitatis eſſe exhauſtam, vt ſupponitur: & non eſſe exhauſtam; ſiquidem partes quantitatis ſunt vlterius diuiſibiles; aliàs non eſſent partes, & eiuſdem rationis cum toto, ſed quædam indiuiſibilia: quod eſt abſurdum.

27 Secundò arguitur: quia poteſt Deus in quolibet inſtanti creare vnum Angelum; ſed inſtantia vnius horæ ſunt infinita: ergo poſſet in ſpatio vnius horæ producere infinitos Angelos. ¶ Et confirmatur: nam potuit tempus eſſe ab æterno, vt dicemus *lib.* 8. ergo potuerunt præcedere infiniti anni, & in eorum quolibet creari vna anima rationalis: ergo, cùm hæc ſit immortalis, exiſterent nunc infinitæ animæ in actu.

Reſpondetur non poſſe Deum creare Angelos in omnibus inſtantibus horæ collectiuè ſumptis: tùm quia illa inſtantia non ſunt certa, & determinata, & ideò nequeunt ſucceſſiua numeratione percurri, ſed confuſo modo tranſeunt: ſi autem in eorum quolibet produceretur Angelus, iam eſſent determinata, & certa, quod eſt impoſſibile. Tùm etiam: quia inſtantia indeterminata ſunt infinita, & conſequenter non eſt in eis deſignare primum, & vltimum; ſed ante, vel poſt quodlibet datur aliud, & aliud ſine termino: vndè non poteſt in omnibus collectiuè, & adæquatè acceptis exerceri Angelorum creatio. Inſtantia autem deſignabilia, & certa, in quorum quolibet potuit vnus Angelus produci, ſunt numero finita: & ideò non ſequitur, eſſe poſſibilem multitudinem Angelorum infinitam in actu: ſed tantùm finitam, & certam. Ad confirmationem conſtabit ex dicendis *lib.* 8. *diſp.* 27. *num.* 23. & 25. vbi etiam pleniùs ſatisfiet argumento.

28 Vltimò arguitur: nam quidquid Deus cognoſcit per ſcientiam practicam, poteſt in actu producere; cùm hæc ſcientia ſit factiua rerum: ſed Deus per ſcientiam practicam cognoſcit infinitas intellectiones hominum, & Angelorum multiplicandas per æternitatem; ergo poterit omnes illas ſimul, & in actu producere. ¶ Confirmatur primò: quia omnes illæ cogitationes ſunt ſimul in nunc æternitatis: ergo ſaltem reſpectu æternitatis datur infinitum in actu. ¶ Confirmatur ſecundò: quia tota illa multitudo exiſtens in nunc æternitatis conſtituitur in aliqua ſpecie, aut quaſi ſpecie multitudinis: & nihilominùs eſt infinita ſimpliciter: ergo non aduerſatur multitudini infinitæ eſſe in determinata ſpecie: atque ideò nullius roboris eſt ſecunda ratio noſtræ aſſertionis.

Reſpondetur, poſſe Deum producere quidquid cognoſcit per ſcientiam practicam: eo tamen modo, quo cognoſcit eſſe poſſibile ex parte rei faciendæ. Quamuis autem Deus cognoſcat infinita poſſibilia ſimultate ſe tenente ex parte cognitionis; ſecus verò ſimultate ſe habente ex parte obiecti: quia non cognoſcit creaturas infinitas, vt ſimul reducibiles ad actum exiſtentiæ. Sicut etiam ſimul cognoſcit omnes dies anni; & tamen nequit omnes illos ſimul conſtituere: eò quod non videt ſimultatem ex parte rei faciendæ; cùm ſit eſſentialiter ſucceſſiua. Collectio ergo cogitationum, vel creaturarum poſſibilium eſt infinita in potentia, & vt talis cognoſcitur à Deo per vnam, & ſimultaneam intellectionem: quapropter non eſt reducibilis ad exiſtentiam ſimul, & collectiuè, ſed ſolùm ſucceſſiuè; ita vt creaturæ actu productæ ſint finitæ, quæ verò ſuperſunt producendæ ſint infinitæ.

Ad primam confirmationem dicendum eſt, ea quæ exiſtunt in *nunc* æternitatis, non exiſtere ſimul ſimpliciter; ſed ſolùm in *æternitate*; quod eſt additum diminuens. Vndè videmus omnes dies anni eſſe ſimul in nunc ęternitatis; quos tamen abſurdum eſſet dicere eſſe ſimul abſolutè: cùm tempus ſit eſſentialiter ſucceſſiuum. Et ratio eſt: quia ęternitas eſt menſura ſuperior, & infinita, & ſic ex parte ſua ambit ſimul in actu ea, quę in ſe ipſis non ſunt ſimpliciter præſentia, ſed præterita, vel futura. Vndè ſicut ex coëxiſtentia præteriti, & futuri, verbi gratia, Adami, & Antichriſti in *nunc* æternitatis non rectè infertur, quod ſint inter ſe præſentes abſolutè: vel quod amittant præteritionem, & futuritionem ſimpliciter: ſic ex coëxiſtentia infinitarum cogitationum in nunc æternitatis, ſolùm infertur, quod ſint in actu cum addito, & ſecundum quid, nempè in æternitate; non autem, quod ſint ſimul ſimultate ſe tenente ex parte illarum. Quia ſicut æternitas, licèt ſit, in ſe præſens, non tollit à rebus ei coëxiſtentibus præteritionem, & futuritionem, vt conſtat ex exemplis adductis: ita licèt ſit in actu, non impedit, quod cogitationes ei coëxiſtentes ſeruent ordinem ſucceſſionis, quatenùs vna aduenit poſt corruptionem alterius: & ideò, quæ exiſtunt, ſunt limitatæ; infinitæ verò, quæ manent in potentia.

Per quod patet ad ſecundam confirmationem: quia tota illa collectio exiſtens in nunc æternitatis conſtituitur in ſpecie, non quidem in actu, ſed duntaxat in potentia: quatenùs ſecundum aliquas ex illis cogitationibus eſt actu in aliqua ſpecie numeri, videlicet ſecundum exiſtentes actu in ſe ipſis, quæ ſemper ſunt finitæ, certæ, & determinatæ. Illæ verò, quæ manent in potentia, non conſtituuntur actu ſub aliqua ſpecie numeri: quia in eis non eſt deſignare vltimam, quæ habeat rationem formæ, & communicet ſpeciem; ſed qualibet deſignata ſupereſt alia, & alia ſine fine. Si autem omnes cogitationes futuræ per totam æternitatem, exiſterent ſimul actu in *nunc* noſtri temporis, tunc eſſent actu in determinata ſpecie: & ſic eſſent, & non eſſent infinitæ: infinitæ quidem vt ſupponitur; & non infinitæ, quia haberent vltimam vnitatem à qua tribuitur numero ſpecies. Vndè fundamentum noſtrum ſemper in ſuo robore perſeuerat.

QVÆSTIO VI.

An ſit poſſibile infinitum ſecundum intenſionem.

POſtquam oſtendimus repugnare creaturæ infinitatem ſecundum eſſentiam, & quantitatem; diſquirendum etiam eſt, an ſit poſſibilis ſecundum intenſionem, vt materia hæc maneat vndequâque abſoluta.

§. I.

Statuitur vera ſententia.

29 DIcendum eſt, impoſſibilem eſſe intenſionem actu infinitam. Hæc aſſertio colligitur ex D. Thom. *loc. cit.* & 3. *par. quæſt.* 7. *art.* 11. & eſt communis inter Thomiſtas. Fundamentum præcipuum eſt: quia implicat, quod forma inhærens ſubiecto ſit infinita in actu: ſed qualitas, cui propriè conuenit intenſio, ineſt ſubſtantiæ: ergo nequit intendi infinitè. Minor, & conſequentia conſtant. Maior autem ſuadetur: tùm quia omnis forma limitatur per ſubiectum, vt docet D. Thom. 1. *part. quæſt.* 7. *art.* 1. & 2. Tùm etiam: quia forma nequit excedere capacitatem ſubiecti, cui inhæ-

ret.

ret, ſed tanta debet eſſe potentia in ratione receptiuæ, quanta eſt forma in ratione actus: atqui capacitas cuiuſcumque ſubſtantiæ creatæ eſt limitata: ergo implicat, quod forma inhærens ſubiecto ſit infinita.

Confirmatur: quia ex proportione, quæ debet intercedere inter ſubiectum, & formam, rectè infertur, quod ſi ſubiectum habet capacitatem infinitam in potentia, poſſit recipere qualitatem intenſibilem infinitè in potentia: ergo pariter ex capacitate ſubiecti finita in actu, benè colligitur repugnantia qualitatis intenſæ infinitè in actu: ſed implicat ſubiectum, quod non ſit finitum, & determinatum in actu, cùm in entitate, tùm in capacitate recipiendi, quæ entitatem conſequitur: ergo implicat accidens habens intenſionem infinitam in actu.

30 Deinde poteſt ſuaderi noſtra ſententia ab inconuenienti: quoniam ſi eſſet poſſibilis qualitas infinitè intenſa, poſſet etiam dari virtus loco motiua intenſionis infinitæ, vt conſtat à paritate; conſequens eſt abſurdum: ergo. Probatur minor: nam quò virtus motiua eſt major, eò mouet in minori duratione: ergo virtus motiua infinitè intenſa mouebit in duratione infinitè minima, ac proinde in inſtanti: ſed eſt contra rationem motus localis, quod fiat in inſtanti: ergo repugnat virtus loco motiua infinitè intenſa.

Reſpondebis primò, quod Deus non concurret cum illa virtute concurſu infinito, ſed finito: & ſic non ſequitur fore motum in inſtanti. ¶ Sed hoc effugium nullius momenti eſt: quia ſi ſemel non repugnat virtus creata infinitè intenſa, non repugnabit concurſus diuinus infinitus: ergo poterit Deus concurrere infinitè cum illa virtute: atque ideò erit motus localis in inſtanti. Quod poteſt ampliùs explicari, & vrgeri: quia vel repugnat concurſus infinitus, & actus correſpondens illi potentiæ, vel non? ſi primum: ergo repugnat talis virtus, & potentia; cùm omnis potentia ſit ad actum ſibi correſpondentem: ſi ſecundum: ergo dabitur motus localis in non tempore, quod apertè repugnat.

Secundò, & meliùs reſpondebis, quod ex virtute motiua infinita, neutiquam infertur eſſe poſſibilem motum localem, qui fiat in inſtanti: quoniam de facto Deus habet virtutem motiuam infinitam; & nihilominùs non poteſt facere: quod corpus moueatur in non tempore.

Reſpondetur, ex infinitate diuinæ virtutis non colligi, quod in creatura detur aliquid infinitum in actu: & ſic non ſequitur, poſſibilem eſſe motum infinitè velocem, & qui perficiatur in non tempore: quia ex generali ratione implicat creatura infinita in actu. Cæterùm ſi ſemel non repugnat, eſſe virtutem creatam infinitam in vi mouendi; pariter non repugnabit actus creatus infinitus illi correſpondens, qui non eſt alius, quam mouere cum infinita velocitate, atque ideo in inſtanti. Præterquam quod, infinitas diuinæ virtutis ſatis oſtenditur in modo mouendi, videlicet cum independentia ab alio primo motore: nam talis modus mouendi petit virtutem infinitam per eſſentiam. Creatura autem, ſi non moueret in inſtanti, nihil eſſet in eius motu, per quod oſtenderetur infinitas virtutis illius: & per conſequens eſſet, & non eſſet infinita.

§ II.

Diluuntur aduerſantia fundamenta.

31 OPinionem affirmantem defendunt Auctores in quæſtionibus præced. nobis contrarij: quæ poteſt ſuaderi primò, quia intenſio qualitatis fit per additionem gradus ad gradum: ſed prædicti gradus non ſunt incompoſſibiles, vel oppoſiti inter ſe: ergo poterunt dari gradus infiniti in actu, & per conſequens qualitas intenſa infinitè.

Huic argumento (quidquid ſit de maiori, cuius falſitatem latè oſtendemus *in lib. de Generat.*) reſpondetur, gradus qualitatis finitos, & certos poſſe coniungi in eodem ſubiecto; ſecus verò gradus infinitos: quoniam eſt contra proportionem eſſentialiter requiſitam inter ſubiectum, & formam, quod hæc gaudeat infinitis gradibus in ratione actus, ſi ſemel illud habet capacitatem ſolùm in ratione potentiæ, qualem ei conuenire ſatis liquet ex ſupra traditis.

32 Arguitur ſecundò: quia eſt poſſibilis gratia infinita in actu: ergo non repugnat qualitas intenſa infinitè. Suadetur antecedens: quoniam gratia nullum habet terminum ſuæ intenſionis: non quidem ex parte agentis; cùm ſit infinitæ virtutis: neque ex parte formæ, cuius eſt participatio; ſiquidem eſt natura diuina infinitè participabilis, neque tandem ex parte potentiæ obedientialis, qua media recipitur in creatura: quia limitatio potentiæ non deſumitur, niſi ab agente, cui ſubijcitur, vel ab actu, & forma, quam reſpicit; quorum vtrumque eſt illimitatum.

Reſpondetur, repugnare gratiam infinitam in actu: quæ repugnantia non oritur ex parte Dei, à quo gratia producitur, vel ratione diuinæ eſſentiæ, quam participat: ſed quia eſt forma creata, dicens habitudinem ad ſubiectum, à quo nequit non limitari. Porrò potentia obedientialis non eſt infinita ſimpliciter, & in actu; ſed duntaxat in potentia: quæ eo redditur aptior ad maiorem participationem gratiæ, quo illius recipit plures gradus. Vndè ſolùm conuincitur, eſſe poſſibilem gratiam infinitam in potentia, atque ideò nunquam eſſe ita intenſam, quin poſſit amplius, & amplius intendi ſine termino. Sicut etiam collectio creaturarum poſſibilium eſt participatio Dei: & tamen non ſequitur, vel quod poſſit tota eſſe ſimul in actu; vel quod poſſit dari vna creatura infinitè perfecta; ſed ſolùm colligitur, quod data quacumque creatura, poſſit alia perfectior produci: eò quod perfectio diuina eſt infinitis modis imitabilis, ac ſubinde inexhauribilis.

33 Sed oppones, gratiam habitualem Chriſti domini eſſe actu infinitam: ergo non repugnat gratia infinitè intenſa. Aſſumptum ſuadetur, tùm quia dicta gratia eſt immenſa iuxta illud Ioann. 3. *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum filio.* Tùm etiam; quia poteſt iuſtificare homines infinitos ſine termino: effectus autem infinitus nequit prouenire à cauſa finita. Tùm denique, quia aliàs poſſet pura creatura pertingere ad gradum gratiæ Chriſti: quod eſt abſurdum.

Reſpondetur, gratiam Chriſti conſideratam moraliter, ſiue in eſſe gratiæ, eſſe infinitam ſimpliciter propter vnionem ad perſonam Verbi diuini: vnde poteſt ſanctificare infinitos homines. Si verò conſideretur in eſſe phyſico, quo pacto eſt eiuſdem rationis cum noſtra gratia, tàm in eſſentia, quàm in intenſione, eſt ſimpliciter finita. Et ad probationes contra hanc partem, haud difficile eſt occurrere: nam in primis illud teſtimonium intelligendum eſt, vel de dono diuinæ naturæ, quam Pater Filio ab æterno communicauit: vel de dono vnionis ad perſonalitatem diuinam, quæ in tempore conceſſa eſt humanitati: vel tandem poteſt exponi de ipſa gratia habituali, quæ immenſa dicitur, quia extenditur ad omnia, quæ ſunt gratiæ, & eſt moraliter infinita propter vnionem ad verbum. ¶ Per quod patet ad ſecundam probationem: nam vt gratia Chriſti poſſit habere effectum infinitum ſufficit, quod ſit gratia capitis, & vniatur verbo diuino, à quo dignificatur infinitè, licet ſit finita in eſſe entis, & qualitatis.

Ad tertiam neganda eſt ſequela; nam vt optimè ob-

LIBER IV.

PHYSICORVM.

ENS naturale, ſiue ſubiectum motui comitantur motus, locus, & tempus: & ideò poſtquam Ariſt. tractauit de ente naturali, explicuitquè potiſsimam eius paſsionem, videlicet motum, incipit agere de loco, & tempore. Et quia mobile ratione ſui eſt in loco, & ratione motus tempore menſuratur: priùs diſſerit de loco, & etiam de vacuo, quod eſt locus non repletus corpore; exindè verò de tempore ſermonem inſtituit. Complectitur autem loci, & temporis notitiam quatuordecim capitibus, in quibus perfectè diſcutit quaecumque circa hanc materiam poſſunt dubitari: Quæ omnia curabimus maiori, qua potuerimus, breuitate comprehendere, & perſpicuitate explanere.

DISPVTATIO XIX.

De loco.

VT Philoſophum non ſolùm in ipſis rebus, ſed etiam in ordine doctrinæ ſequamur, priùs agemus de loco, & eius proprietatibus, & poſtea de tempore ſtudebimus tractare.

QVÆSTIO I.

An ſit, & quid ſit locus.

1 PRimæ partis quæſtionis aperta ſe ſe offert reſolutio: quia ſatis manifeſtum eſt, locum in rerum natura exiſtere: tùm propter auctoritatem Ariſtot. *in hoc lib. cap. 4.* & D. Thom. ibidem *lect. 5. & opuſc. 42.* & communem Philoſophorum conſenſum, à quibus hæc veritas recipitur. Tùm etiam, quia ſicut ex tranſmutatione ſecundum formas ſubſtantiales rectè colligitur eſſe in rerum natura aliquod commune ſubiectum, quod omnibus illis ſubſit, & in quo ipſæ recipiantur; quod appellamus materiam primam: ſic ex tranſmutatione corporum ſecundum locum, quæ conſiſtit in eo, quod vnum corpus ſit, vbi priùs erat aliud, benè infertur, eſſe à parte rei quoddam commune receptaculum, à quo mutuo corpora ſe expellant, & in quo ſibi inuicem ſuccedant: quod receptaculum *loci* nomine ſignificatur. Tùm denique, quia corpus non mouetur naturaliter, niſi ad aliquid reale conſequendum: conſtat autem plura corpora moueri naturaliter ad locum, vt in eo recipiantur, & foueantur: ergo locus eſt aliquid reale, & exiſtit à parte rei. Ex quibus etiam colligitur, quod locus ſit quid extrinſecum rei locatæ: quoniam corpus completum nequit vniri intrinſecè alteri, ſed ad ſummum extrinſecè, vt receptaculo ſui: at quod propriè exiſtit in loco eſt corpus completum: ergo locus eſt omninò extrinſecum rei locatæ.

Difficultas autem, & non leuis eſt in explicando naturam, & propriam quidditatem loci: quam vt decidamus, priùs dicemus quid locus non ſit; poſteà verò determinabimus, quid ſit, vel in quo intrinſecè conſiſtat.

§. I.

Mens Ariſtot. elucidatur duabus aſſertionibus.

2 DIcendum eſt primò, locum non eſſe *vbi*; neque ſpatium aliquod imaginarium inter latera corporis ambientis corpus locatum; nec tandem ſpatium verum, & reale, quod inter prædicta latera corporis continentis intercedat, ſitquè immateriale, & penetretur cum corpore locato. Hanc concluſionem ſtatuimus aduerſus varias aliorum opiniones infra referendas, quæ in aſſignando, quid ſit locus, maximè exorbitarunt à vero.

Probatur quoad omnes partes: prima quidem, nam, vt in Logica diximus, *vbi* eſt præſentia, ſiue reſpectus tranſcendentalis corporis locati ad locum: ergo nequit eſſe ipſe locus. ¶ Confirmatur primò, quoniam locus eſt id, in quo recipitur res locata: res autem non eſt in ſua vbicatione; ſed hæc potiùs eſt in re locata: ergo. ¶ Confirmatur ſecundò: quia locus debet eſſe non ſolùm diſtinctus à re locata; ſed etiam extrinſecus illi: at *vbi*, licèt diſtinguatur à corpore locato, eſt quid intrinſecum illi, cùm ipſum intrinſecè afficiat, & ei inhæreat:

Digitized by Google

reat: ergo locus nequit conſiſtere in *vbi*.

Secunda pars etiam oſtenditur: tùm quia locatum continetur à loco: ſed nulla res poteſt contineri, & eſſe in pura nihilitate: ergo cum illud ſpatium imaginarium ſit in re nihil, non valet ſortiri naturam loci. Tùm etiam, quia locus eſt conſeruatiuus rei locatæ, vt infra dicemus: conſtat autem ſpatium imaginarium non poſſe habere vim corporum conſeruatiuam: ergo. Tùm denique quia corpora naturali inclinatione mouentur ad locum: ſed nulla res inclinatur naturaliter ad nihil: ergo locus nequit conſiſtere in ſpatio imaginario, quod re ipſa nihil eſt.

Tandem veritas tertiæ partis noſtræ aſſertionis liquidò apparet: quoniam prædictum corpus reale, immateriale tamen, & penetrabile eſt prorſus chimæricum, & impoſſibile; cùm nequeat eſſe ſubſtantia, vel accidens, quod ſic oſtenditur: nam ſi eſt ſubstantia, vel est corporea, vel ſpiritualis. Si corporea: ergo est naturaliter impenetrabilis, & conſequenter non poterit penetrari, & intimè vniri cum corpore locato; ſed expellet illud à proprio ſitu. Si autem ſpiritualis: ergo est inepta ad rationem loci: hic enim debet habere extenſionem, vt ſic poſſit locatum vndequaque circumſcribere: ſubstantia autem ſpiritualis est inextenſibilis. Ex quibus etiam ſatis conuincitur, quod nequit eſſe accidens: quia hoc naturaliter loquendo, non poteſt eſſe à ſubiecto ſeparatum. Præterquam, quod ſi accidens est corporeum erit neceſſariò quantum, ſubindequè impenetrabile; ſi verò ſpirituale, erit indiuiſibile, ac proinde impotens, vt ambiat corpus locatum.

3 Dicendum est ſecundò, locum eſſe vltimam ſuperficiem corporis continentis, v.g. locum proprium elementi aëris eſſe vltimam ſuperficiem concauam elementi ignis. Ita Ariſtot. & D. Thom. *loc. citat.* B. Albertus, Themiſtius, Auerroës, Auicena, Ægidus, Burleus, Soto, Iauellus, & alij plurimi, quos refert, & ſequitur Maſius in præſenti *cap. 4. ſect. 1. quæſt. 3.*

Probatur primò: quoniam locus nequit conſiſtere in *vbi*, aut ſpatio imaginario, aut in ſpatio reali extenſo, impenetrabili, & immateriali, vt constat ex nuper dictis: ergo conſiſtit in vltima ſuperficie corporis ambientis. Patet conſequentia à ſufficiente enumeratione eorum, quæ poſſent habere rationem loci. Maximè, quia locus est quid extrinſecum rei locatæ, ac proinde non valet conſiſtere in materia, forma, aut aliquo accidenti intrinſeco. Porrò ex ijs, quæ extrinſeca ſunt, nihil poteſt excogitari aptiùs ad constitutionem loci, quam ſuperficies vltima corporis ambientis: ergo in ea conſiſtit eſſentia loci.

Secundò probatur à priori: quoniam locus proprius alicuius corporis debet eſſe illi æqualis, ipſumquè ex omni parte tangere, & circumſcribere, vt constat, tùm ex ſe, tùm ex communi omnium modo concipiendi: ſed hæc competunt ſuperficiei vltimæ corporis continentis: ergo est locus. Minor constat: nam talis ſuperficies, quatenùs est longa, & lata poteſt adæquari locato, & illud vndique circumſcribere; & quatenùs est indiuiſibilis verſus profunditatem, poteſt tangere rem locatam abſque penetratione cum illa. Quod ſatis apparet in orbibus cœleſtibus: ſuperficies ſiquidem vltima, & concaua cœli Mercurij æqualis est ſuperficiei vltimæ conuexæ cœli Lunæ, & illam vndequaque tangit, & circumſcribit. Nulla igitur est conditio loci, quæ ſuperficiei vltimæ corporis continentis apprimè non conueniat; & per conſequens in ea debet natura loci constitui.

§. II.

Recenſentur contrariorum placita.

4 PLures fuerunt apud antiquos dicendi modi, circa constitutionem loci, quos omnes referre, & prolixum, & minus vtile eſſet. Et ideò tres tantùm, ſuppreſſis alijs, proponemus, qui videntur principaliores, & minùs aberrarunt à veritate. Prima ergo opinio defendit, locum eſſe idem, ac *vbi*. Et probatur; quia locus est id, à quo res dicitur locata, ſeu exiſtens in loco: ſed *vbi* tribuit hanc denominationem; ergo *vbi* est locus. Suadetur minor; nam locari, ſeu eſse in loco, est eſse *alicubi*; constat autem, quod eſse alicubi est effectus proprius vbicationis; ergo. ¶ Confirmatur; quia id, quod est terminus motus localis, & à quo ſumitur relatio propinquitatis, & diſtantiæ, nequit non eſse locus: ſed hæc omnia competunt *vbi*; ſiquidem terminat motum localem, & ab eo prouenit, quod Petrus v. g. ſit hic vbicatus, & conſequenter diſtet à Ioanne, vel ſit ei approximatus: ergo *vbi*, & locus ſunt idem.

Hęc tamen leuia ſunt; ad argumentum enim reſpondetur, locum eſſe quid extrinſecum rei locatę; quare locus tribuit denominationem locati, vel vbicati ſolùm extrinſecè, & cauſaliter; quia est id, ex cuius adiacentia reſultat *vbi*; non verò formaliter, & intrinſecè, ſed hoc pacto denominatur ab *vbi*. Quare ſatis apparet diſtinctio inter *vbi*, & locum. Per quod conſtat ad confirmationem: nam terminus intrinſecus motus localis eſt *vbi*; terminus verò extrinſecus eſt locus. Relatio autem diſtantiæ conuenit per ſe primò ratione loci: quoniam vnum corpus diſtat ab alio ex eo, quod eſt in hoc loco potiùs, quam in illo. *Vbi* autem eſt modus reſultans ex adiacentia loci, & ſic neceſſariò ſupponit illum, vt id, à quo relatio diſtantiæ, vel propinquitatis prius deſumitur. Videantur ſupra dicta *diſp. 16. q. 4.*

5 Secunda ſententia docet, locum eſſe illud ſpatium imaginarium, in quo quaſi penetratiuè eſt locatum: v.g. locum terræ aſſerit eſſe interuallum illud, quod intercedit inter latera aquæ terram ambientis, & quod maneret idem, etſi terra, & aqua perirent. Ita ſentiunt nonnulli, quos refert Auicenna *lib. 2. ſufficient. cap. 6.* Probatur primò: quia hoc ſpatium imaginarium eſt immobile, quod continet locatum, & ei omnino adæquatur: ergò habet proprias loci conditiones, eritque proinde locus. ¶ Confirmatur primò: quia ſi aqua ambiens terram deſtrueretur, adhuc iſta maneret in ſuo loco naturali: at non ob aliam rationem, niſi quia perſiſteret in illo ſpatio imaginario: ergo huic conuenit natura loci. ¶ Confirmatur ſecundò, quia ſi daretur vacuum, poſſet in eo dari motus localis, ſiue à loco in locum: ſed ibi non eſſet alius locus quam ſpatium imaginarium: ergo hic eſt locus.

Reſpondetur ad argumentum, quod ſpatium imaginarium nullam ex illis conditionibus habet verè, & realiter; ſed imaginatiuè duntaxat: quod minimè ſufficit ad conſtituendum locum verum, & realem.

Ad primam confirmationem dicimus, in eo euentu non manere terram in loco particulari, & ſibi proprio; ſed tantùm in loco communi, nempè intra ambitum cœli: atque ideò non eſſe, ſimpliciter, & omnibus modis in loco naturali. Per quod etiam patet ad ſecundam: quia in eo caſu non moueretur corpus ab vno loco particulari in aliud particulare; ſed ab eſſe in vna parte loci communis ad eſſe in alia. Quod diſputatione ſequenti latius exponemus.

6 Tertia ſententia aſſerit, locum non eſſe ſpatium

ima-

§. II.

Occurritur argumentis Antiquorum.

4 ANaximander, Anaxagoras, & alij antiqui Philoſophi, quos citat. Ariſtot. *in hoc libro*, tenuere, infinitum in actu eſſe naturaliter poſſibile, & de facto exiſtere. Pro quorum placito arguitur primò: quoniam quælibet potentia naturalis poteſt naturaliter reduci ad proprium actum; aliàs eſſet fruſtra: ſed infinitum in potentia datur naturaliter: ergo poteſt dari naturaliter infinitum in actu, quo illa potentia expleatur §. Et confirmatur; quia Deus, vt agens cum natura, habet potentiam actiuam infinitam; ergo eſt dabile naturaliter infinitum in actu; per quod illa potentia reducatur ad proprium exercitium.

Reſpondetur ex Ariſtot. *in hoc. lib. c. 6.* & D. Thom. *ibidem lect. 9.* potentiam eſſe duplicem; nam alia reſpicit ſuum actum adæquatum, vt ſimul, & perfectè poſſidendum; quo pacto metallum eſt in potentia ad ſtatuam. Alia autem reſpicit ſuum actum adæquatum, non vt ſimul habendum; ſed vt ſucceſsiuè comparandum; qua ratione quantitas habet potentiam ad diuiſionem; quoniam nunquam pertingit ad diuiſionem adæquatam; ſed qualibet data, poteſt vlteriùs diuidi ſine termino. Vndè licèt hæc potentia ſit in *compleri, & ſatiari*, nunquam tamen eſt in *completo, & ſatiato eſſe*: nam reſpicit actum admixtum potentialitate; qui proinde non habetur adæquatè. Nec ob id eſt fruſtra talis potentia: quoniam iam reducitur ad actum, iuxta modum proprium ipſius, qui eſt non habere totum eſſe ſimul. Infinitum ergo in potentia, ſeu ſincategorematicè, quod concedimus, reſpicit hoc poſteriori modo ſuum actum: & ideò non rectè colligitur, quod poſſit dari infinitum in actu; ſed potiùs infertur oppoſitum.

Ad confirmationem negatur conſequentia; quoniam virtus infinita Dei non eſt ad producendum ſimul effectum infinitum: hic enim repugnat ex parte rei faciendæ, quæ ſolum poteſt eſſe infinita ſyncategorematicè, & in potentia; ſed eſt ad producendum infinitum ſucceſsiuè; quatenus, data qualibet creatura, poteſt aliam, & aliam perfectiorem producere abſque termino: ad quod requiritur virtus infinita.

5 Secundò arguitur: nam in quolibet continuo dantur partes infinitæ in actu, & ab inuicem ſeparabiles: ſiquidem continuum eſt diuiſibile in infinitum: ergo in quolibet, continuo datur in actu infinitus numerus partium. Quod poteſt magis explicari, & vrgeri: quia quod eſt actu pars eſt actu ens: ſed in continuo ſunt infinitæ partes in actu: ergo ſunt entia infinita in actu.

Reſpondetur, quod ex infinitis partibus proportionalibus continui, non poteſt inferri infinitum in actu, vel ſimpliciter; quia ly *partes proportionales* eſt additum diminuens, & ſignificans infinitum ſecundum quid, & in potentia. Et ratio eſt: quia partes proportionales, cum ſint minores minoribus, & partes partium, omnes continentur ſub certa, & determinata magnitudine, vt experientia liquet: & ſubinde non conſtituunt quantitatem continuam infinitam in actu. Porrò neque conſtituere poſſunt infinitam quantitatem diſcretam, ſiue numerum; quoniam hic eſt collectio plurium vnitatum: vnitas autem conſequitur actum eſſendi, & importat diuiſionem vnius ab alio: vndè ad numerum requiritur multitudo actu diuiſa. Cùm ergo partes proportionales continui exiſtant per vnum eſſe, et actu non ſint diuiſæ, non valent conſtituere numerum in actu, ſed ſolùm in potentia. Quare ex infinita diuiſibilitate partium, ſolùm colligitur numerus ſyncategorematicè infinitus. Et deſumitur hæc ſolutio ex D. Thom. *in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. ad 1.* vbi hæc habet: *Vnitas rei conſequitur eſſe ipſius: partes autem alicuius homogenei continui ante diuiſionem non habent eſſe actu, ſed potentia tantùm: & ideò nulla illarum habet vnitatem propriè in actu. Vndè actu non eſt ipſarum numerum accipere, ſed potentia tantùm.*

Per quod patet ad illam explicationem argumenti; nam licèt ens vtcumque et in potentia prædicetur de partibus proportionalibus; ſecùs verò ens in actu, et ſimpliciter: quia ſic dicit principium eſſendi; quod non conuenit partibus proportionalibus, quatenùs tales ſunt. Ob quam rationem licèt Theologi concedant in Deo tres res, non tamen tria entia ſubſtantiuè, vt docet D. Thom. *in 1. d. 25. quæſt. 1. art. 4. in corp.* Vndè ex infinitis partibus proportionalibus ſolùm colligitur, quod ſint in continuo infinita entia in potentia; quæ nunquam poteſt ad actum perfectum reduci, ſed ſemper eſt in ſatiari.

6 Replicabis: nam ſi in continuo darentur infinitæ partes aliquotæ, ſiuè certæ magnitudinis, verbi gratia infiniti palmi, daretur multitudo infinita in actu, et ſimpliciter: et tamen omnes illæ partes exiſterent vnica exiſtentia, nempè exiſtentia compoſiti: ergo ex eo, quod partes proportionales non habeant *eſſe* diuiſum, non rectè denegatur eis, eſſe infinitas ſimpliciter, & conſtituere numerum infinitum in actu.

Reſpondetur negando conſequentiam: tùm quia partes aliquotæ, licèt exiſtant per vnam exiſtentiam; tamen exiſtunt diſtinctè, ſignatè, & actualiter, et ſic conſtituerent infinitum ſimpliciter non ſolùm in multitudine; ſed etiam in magnitudine. At partes proportionales exiſtunt per exiſtentiam totius confuſo, et indiſtincto modo: quia non ſunt ſignabiles, et æquales vni parti certæ, et ſignatæ: vndè ſicut non conſtituunt magnitudinem infinitam, ita neque numerum infinitum ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid. Tùm etiam, et præcipuè, quia licèt partes aliquotæ de facto non exiſtant diſtinctis exiſtentiis; nihilominùs habent potentiam proximam ad ſic exiſtendum; cùm poſſint omnes, tàm ſimul, quàm diuiſim adinuicem ſeparari: et hoc ſatis eſt ad conſtituendum numerum ſimpliciter infinitum. Partes autem proportionales non habent infinitas exiſtentias, neque in actu, vt conſtat; neque in potentia proxima: quia licèt quælibet diuiſim accepta poſſit ſeparari ab aliis; repugnat tamen, quod omnes collectiuè, et ſimul diuidantur: nam quælibet eſt in infinitum diuiſibilis, vt ſuo loco dicemus. Et idcircò non poſſunt conſtituere numerum ſimpliciter infinitum.

7 Vltimò arguitur: nam in continuo poſſunt naturaliter dari infinitæ partes aliquotæ: ergo infinitum in actu eſt naturaliter poſſibile. Conſequentia conſtat ex proximè dictis. Antecedens autem ſuadetur: nam in columna, cuius longitudo, et latitudo ſit vnius palmi, neceſsè eſt dari lineam habentem infinitos palmos; cùm enim dicta linea deſcendat girans omnes columnæ partes, quæ ſunt infinitæ, et habent extenſionem certam, nempè vnius palmi, nequit non illa linea infinitos palmos habere, et conſequenter infinitas partes aliquotas.

Reſpondetur negando antecedens, ad cuius probationem dicendum eſt, partes illas lineæ ſolum eſſe aliquotas impropriè, et ſecundum quid: quia non habent ſufficientem entitatem, et actualitatem, vt poſſint ſeparatæ exiſtere: ideò carent potentia proxima ad exiſtendum, quod eſt de ratione partis aliquotæ ſimpliciter dictæ. Hæc quippè appellatur, quæ conſtat tribus dimenſionibus certæ magnitudinis, atquè ideò habet

Digitized by Google

rationem partis phyſicæ, et ſeparabilis. Illi autem palmi, quos diſtinguimus in linea ſunt indiuiſibilia continuatiua partium proportionalium, quibus proinde commenſurantur. Quare ſicut multitudo partium proportionalium infinitarum non conſtituit infinitum in actu; ita neque multitudo infinitarum linearum, quibus partes proportionales nectuntur, valet conſtituere infinitum ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundum quid. Et ratio eſt proportionabiliter eadem vtrobique, vt conſideranti conſtabit.

QVÆSTIO II.

An poſſit dari per potentiam Dei abſolutam creatura infinita ſecundum eſſentiam.

IN qualibet ſerie eſſentia eſt omnium primum; & ideò infinitas creaturæ ſecundum, eſſentiam ſi eſſet poſſibilis, anteiret alia genera infinitatum. Propter quod ab hoc genere infinitatis diſceptationem ordimur.

§. I.

Legitima deciſio dubij.

8 DIcendum eſt, implicare contradictionem, quod detur creatura infinita ſecundum eſſentiam. Hanc aſſertionem ſtatuit D. Thom. 1. *p. q.* 7. *art.* 2. & alibi frequenter, cui communiter ſubſcribunt omnes Theologi, & Philoſophi. Fundamentum eſt: quoniam termini proprij eſſentiæ, quibus ipſa finitur, ſunt genus, & differentia: ſed implicat creatura completa, quæ non conſtet genere, & differentia: ergo, repugnat dari creaturam infinitam ſecundum eſsentiam. Maior eſt certa: quia reſpectu eſsentiæ metaphyſicè conſideratæ, non ſunt deſignabiles alij termini, niſi genus, & differentia: vnde ſicut linea terminata terminis proprijs, nempè punctis eſt finita ſecundum extenſionem; ſic eſsentia conſtans genere, & differentia habet intrinſecam finitatem. Minor etiam conſtat: nam in qualibet creatura completa eſt abſtrahibilis aliqua ratio communis, in qua conueniat vniuocè cum alijs creaturis; à quibus tamen differt eſſentialiter per propriam differentiam ſpecificam: ac proinde omnis creatura completa conſtat genere, & differentia. Conſequentia verò eſt legitima, & extenditur ad eſsentiam incompletam: quia tanta perfectio, quanta eſt infinitas, nequit attribui eſsentiæ incompletæ, ſi ſemel completæ repugnat.

9 Reſpondet Vaſquez 1. *part. diſp.* 22. & 25. rationem hanc eſſe infirmam: quoniam etiam Deus conſtat genere, & differentia, nihilominùs eſt infinitus ſecundum eſſentiam. Et mouetur ex eo, quod compoſitio generis, & differentiæ fabricetur per rationem noſtram, & ſic non opponitur infinitæ perfectioni.

Cæterùm huius doctrinæ falſitas, vel ex eo duntaxat apparet, quia malè audit apud S. Patres, D. Thom. *loco cit.* D. Dionyſ. *cap.* 1. de diuinis nominibus. Auguſt. 1. *de Trinit. cap.* 1. & 4. & *lib.* 7. *cap.* 5. Anſelmum in Monologio *cap.* 7. qui conſtanter negant Deo compoſitionem ex genere, & differentia: idemquè propugnant cõmuniter omnes Theologi cum Magiſtro *in* 1. *diſt.* 8. Et meritò: quoniam differentia limitat genus; ſiquidem coarctat, & trahit illud ad determinatam ſpeciem diſtinctam ab omnibus alijs: ergo implicat, quod eſſentia cõſtans genere, & differentia contineat omnem perfectionem, quam genus ſecundum ſe acceptum importat: ſed eſſentia, quæ non dicit totam perfectionem ſui generis, nequit eſſe infinita in illo, & multo minus in omni genere; vt ſatis ex ſe conſtat: ergo ſi Deus conſtaret genere, & differentia, non eſſet ſimpliciter infinitus. Accedit, vltimas differentias non includere formaliter genus, vt ſtatuimus *in Logic. diſp.* 6. *quæſt.* 3. ergo ſi Deus componeretur ex genere, & differentia, hæc non imbiberet ex ſuo conceptu formali conceptum genericum: ergo talis ratio non eſſet ens per eſſentiam, ſiue includens omnem excogitabilem perfectionem.

Porrò fundamentum Vaſquez nullius roboris eſt: quoniam licèt hæc compoſitio ſit formaliter per rationem, præequirit, vt fundamentum, vel ſaltem, vt conditionem, quod detur in re aliqua compoſitio, realis ſaltem ex eſſentia, & exiſtentia, vt docet D. Thom. *cap.* 6. de ente, & eſsentia his verbis: *Omne quod eſt in genere, oportet, quod habeat quidditatem præter eſſe ſuum.* Aliàs hæc compoſitio eſset prorſus abſque fundamento, & conſequenter chimærica. Conſtat autem, quod in Deo nulla datur compoſitio ex eſsentia, & exiſtentia; nam eſt ſuum eſse per ſe ſubſiſtens: ergo in eo non datur cõpoſitio ex genere, & differentia: niſi fortè attribuatur ei pro libito noſtro, & ſine vllo fundamento.

10 Deinde poteſt ſuaderi noſtra concluſio alia ratione deſumpta ex D. Thom. *loco cit.* ex prima parte, quæ poteſt ad hanc formam reduci: nam ſi creatura poſset habere eſsentiam infinitam, poſset etiam habere exiſtentiam infinitam, vt conſtat à paritate: ſed nequit habere exiſtentiam infinitam: ergo neque eſsentiam. Probatur minor, quia forma limitatur à ſubiecto in quo recipitur: ſed exiſtentia cuiuſcumque creaturæ eſt actus receptus in eius eſsentia; ſiquidem implicat, quod creatura ſit ſuum eſse irreceptum, aut quod illud habeat à ſe, et non recipiat à Deo per actionem productiuam, vt ſatis ex ſe liquet: ergo omnis exiſtentia creata eſt finita.

Reſpondebis, quod eſsentia infinita eſt capax exiſtentiæ etiam infinitæ: ac proinde quamuis exiſtentia recipiatur in eſsentia, non ideò contrahet limitationem à ſubiecto; cùm hoc etiam ſupponatur infinitum. Vnde ſicut datis duabus lineis infinitis, quælibet careret terminis; etſi neutra haberet omnem excogitabilem longitudinem: ita poterit dari eſsentia infinita, & exiſtentia infinita, licèt neutra ſit infinita in linea entis, ſed in ſuo genere, & ordine.

Sed hæc ſolutio nequit ſubſiſtere; tùm quia, quando actus, & potentia diſtinguuntur, actus limitatur per potentiam, & potentia per actum: ergo ſi actus exiſtentiæ recipitur in essentia, neutra illarum poteſt infinitate gaudere. Tùm etiam, quia hoc ipſo, quod eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia, nequit includere per modum tranſcendentis omnem rationem entis, & omnem gradum ſuperiorem, & communem; ſed præſtabit fundamentum ad compoſitionem ex genere, & differentia, & per conſequens his finibus continebitur: at eſsentia conſtans genere, & differentia, & his terminis circumſcripta nequit eſse infinita, vt ſatis conſtat ex dictis: ergo repugnat quod eſsentia recipiens realiter exiſtentiam ſit infinita in linea eſsentiæ, et recipiat exiſtentiam infinitam.

§. II.

Diluuntur rationes oppoſitæ.

11 QVamuis contraria noſtræ aſsertioni ſententia non probetur Auctoribus; poſsunt tamen in eius fauorem formari aliqua argumenta, quæ oportet diluere. Ergo arguitur primò: nam potentia, quo per-

Digitized by Google

perfectior eſt, eò poteſt producere effectum perfectiorem; ergo ſi fuerit infinita, poterit attingere effectum infinitè perfectum; ſed virtus actiua Dei eſt infinita, ergo poteſt producere effectum infinitæ perfectionis.

Reſpondetur negando primam conſequentiam; nam vt potentia ſit infinita, non requiritur, quod poſſit producere vnum effectum, qui ſit actu, et ſimpliciter infinitus? ſed ſatis eſt, quod poſſit producere effectus infinitos, et ſe excedentes in perfectione. Nam potentia, quę abſque aliqua additione, et variatione ſui poteſt tot effectus producere, nequit non eſſe ſimpliciter infinita; cùm actu eminenter contineat ſimul, & ſemel omnem perfectionem illorum. Et ita ſe habet virtus actiua Dei: quare ad eius infinitatem non exigitur, quod producat creaturam infinitam: hæc quippè repugnat ex parte facti, & nequit eſſe obiectum diuinæ omnipotentiæ, quæ reſpicit abſolutè poſſibile. Vnde licèt virtus agentis vniuoci debeat manifeſtari in vnico effectu; virtus tamen agentis æquiuoci non valet in vno effectu oſtendi adæquatè, ſed ſplendet, & quaſi regulatur per collectionem omnium effectuum, quos continet. Videatur D. Thom. 1. *part. quæſt.* 25. *art.* 2. *ad* 2. ¶ Adde, infinitatem virtutis diuinæ ſatis oſtendi in modo producendi, & cauſandi; ſiquidem producit res per creationem, & extrahit eas à nihilo: ad quod requiri infinitam virtutem docet, & oſtendit D. Thom. 1. *part. quæſt.* 32. *art.* 1. *&* *quæſt.* 45. *art.* 5.

12 Secundò arguitur: quoniam ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ, influeret ſecundum vltimum ſuæ potentiæ: ergo produceret effectum infinitum, & adæquantem potentiam: ſed Deus agens liberè non eſt minoris virtutis, quam tunc eſſet: ergo poteſt nunc producere effectum infinitæ perfectionis.

Reſpondetur negando primam conſequentiam: nam ſi Deus ageret ad extra ex neceſſitate naturæ, non eſſet Deus, nec haberet virtutem infinitam; cum operari ex neceſſitate dicat defectum libertatis, & prouidentiæ in operando: quæ imperfectio repugnat infinitati diuinæ perfectionis. Dato tamen, quod ſic operaretur, ſequeretur vtrumque; nimirùm, & poſſe, & non poſſe producere effectum infinitum, nam caſus, ſub quo procedit obiectio, eſt impoſſibilis; & ex impoſſibili ſequitur quodlibet.

13 Tertiò arguitur: nam poteſt Deus dicere: *Fiat perfectiſſimus effectus, quem poſſum producere:* ſed hic haberet infinitam perfectionem: ergo Suadetur minor: quia aliàs daretur creatura finitè perfecta, quæ eſſet terminus, vltra quem diuina virtus non poſſet progredi: quod eſt abſurdum.

Reſpondetur negando maiorem: quia non eſſet aliqua creatura, quæ illi obediret imperio; ſiquidem nulla datur ſub eſſe poſſibili, quæ ſit omnium perfectiſſima, ſiue quæ omnes alias excedat in perfectione: nam, data qualibet creatura, poteſt produci alia, & alia perfectior abſque termino; aliàs poſſet exhauriri diuina virtus, quod eſt impoſſibile. Vndè ſicut repugnat, Deum imperare, quod fiat prima pars continui, quia non datur talis pars: ita implicat, quod intendat productionem creaturæ perfectiſſimæ, quoniam repugnat huiuſmodi effectus.

14 Vltimò arguitur: quoniam intra collectionem creaturarum poſſibilium datur vna infinitæ perfectionis: ergo cognoſcitur à Deo, & poteſt ab eo produci. Suadetur antecedens: nam ſi omnes creaturæ poſſibiles ponerentur ſub exercitio exiſtendi, neceſſario vna illarum eſſet infinitè perfecta; tùm quia excederet omnes alias, quæ, vt ſupponitur, ſunt infinitæ: tùm quia, ſi non daretur vna infinitè perfecta, in qua ſiſteret progreſſus perfectionis; non exiſteret tota collectio creaturarum. quod repugnat ſuppoſitioni factæ: ergo pariter ſub eſſe poſſibili datur determinatè vna, quæ omnes alias excedit, ac proinde eſt infinita.

Reſpondetur negando antecedens: Deus enim non cognoſcit creaturam excedentem in perfectione omnes alias, quæ ab ipſo fieri poſſunt: nulla quippè excellit cæteras collectiuè, ſed qualibet deſignata quantumuis perfecta, poteſt perfectior produci. Et ad probationem in contrarium, quæ continet ſuppoſitionem impoſſibilem (ex qua proinde ſequitur vtrumque) idem reſpondendum eſt, quia non eſſet tunc aliqua creatura ſuperans omnes in perfectione; aliàs hæc eſſet vltima, quod eſt contra rationem collectionis, & multitudinis infinitæ: hæc quippè caret fine. Sed vt hæc ſolutio pleniùs, ac perfectiùs intelligatur, ſit.

QVÆSTIO III.

An data quacumque creatura, poſſit Deus aliam, & aliam perfectiorem ſecundum ſpecie producere.

§. I.

Stabilitur commune placitum.

15 Dicendum eſt, eſſe poſſibiles infinitas creaturas ſe excedentes in perfectione ſpecifica, atque ideò poſſe Deum, quacumque data, producere aliam perfectiorem ſecundum ſpeciem. Sic docet D. Thom. 2. *contra Gentes cap.* 26. 1. *p. quæſt.* 45. *art.* & in aliis pluribus locis: quem ſequuntur omnes Thomiſtæ, & communiter Doctores.

Fundamentum deſumitur ex D. Thom. *loco cit. ex* 2. *contra Gentes:* quoniam creatura eſt quædam participatio diuinæ perfectionis: ſed eſſentia diuina eſt participabilis infinitis modis eſſentialiter diſtinctis: ergo ſunt poſſibiles infinitæ creaturæ ſe excedentes in perfectione eſſentiali; & conſequenter, qualibet producta, poterit fieri alia ſpecificè perfectior.

Confirmatur, & explicatur primò: quoniam eſſentia diuina importat infinitos conceptus, ſub quibus inæqualiter eſt imitabilis à creaturis: ſed infinitum non valet exhauriri: ergo poſita quacumque creatura, eſt producibilis alia, quæ perfectionem diuinam diuerſo, atque excellentiori modo imitetur. ¶ Quod poteſt confirmari, & explicari, ſecundo exemplo imaginum, & exemplaris: quoniam ſi daretur exemplar infinitæ perfectionis, & imitabilitatis, nulla imago finitè perfecta poſſet ipſum perfectè, & adæquatè repræſentare: nam imitabilitas infinita nequit per imitationem finitam exhauriri, & adæquari; ſed quantumuis ſub perfecto modo finito ſupponatur expreſſum, ſupereſt in eo alia perfectior imitabilitatis ratio, ſub qua proindè poteſt repræſentari perfectiùs: et ſic data qualibet imagine, poſſet alia perfectior efformari; conſtat autem, quod eſſentia diuina, et creaturæ hac proportione ſe habent; ſiquidem illa eſt exemplar infinitum, iſtæ verò ſunt quędam finitæ, & defectiuæ imagines. Data igitur qualibet creatura, eſt poſſibilis alia, et alia ſine termino, quę perfectionem diuini exemplaris excellentiùs repræſentet, et participet.

16 Sed obijcies primò: de facto in rerum natura exiſtit ſubſtantia adeò imperfecta, vt Deus nequeat producere aliam imperfectiorem, aut quæ inferiori modo repręſentet, et participet diuinam perfectionem: ergo

Digitized by Google

pariter erit producibilis alia creatura, quæ imitetur Deum omni perfectione poſſibili, & qua nequeat dari alia perfectior. Conſequentia videtur legitima à paritate, & antecedens ſuadetur in materia prima ſublunari, quæ eſt omnium ſubſtantiarum imperfectiſſima, vt docet D. Auguſt. 12. *Confeſſ. cap.* 7.

Reſpondetur negando conſequentiam: quoniam creatura eò creſcit in perfectione, quo magis accedit ad Deum: & quia dato quocumque acceſſu, ſemper reſtat alius maior, cùm Deus infinitè diſtet à qualibet creatura; ideò poſita creatura quantumcumquè perfecta, eſt poſsibilis alia perfectior. Creatura autem eò magis decreſcit in perfectione, quo amplius à Deo recedit, & diſtat: & quia eſt poſsibilis totalis receſſus à Deo, vt conſtat in diſtantia, qua nihil elongatur ab illo; idcircò eſt poſsibilis creatura, quæ ſaltem intra latitudinem ſubſtantiæ creatæ, minimo receſſu diſtet à nihilo, & maximè recedat à Deo, quæ proinde ſit imperfectiſsima: & huiuſmodi eſt materia prima ſublunaris.

§. II.

Refertur negatiua ſententia.

17 DVrandus *in* 1. *d.* 44. *q* 8. & Henricus *quodlib.* 2. *quæſt.* 8. defendunt partem negatiuam, quæ poteſt ſuaderi primò: quoniam non poteſt Deus producere vniuerſum perfectius, aut pulchrius iſto, quod conditum eſt, vt docere videntur, D. Aug. *cap.* 10. *Enchirid.* D. Nazianz. *homil. de Natiuit.* ſed perfectio huius vniuerſi conſurgit ex ſpeciebus ipſum componentibus: ergo non valent produci ſpecies perfectiores.

Reſpondetur ex D. Thom. 1. *p. q.* 26. *art.* 6. *ad* 3. vniuerſum iſtud poſſe conſiderari, vel quoad ſpecies, vel quoad ordinem illarum. Et quidem ſecundum primam conſiderationem, poſset produci aliud vniuerſum perfectius: nam poſſet Deus perfectiores ſpecies producere, ex quibus conſequenter reſultaret excellentior vniuerſitas. At ſecundum poſteriorem acceptionem, & ſuppoſitis his ſpeciebus, non poteſt melius produci; quia ordo illarum rerum eſt decentiſsimus, & illis mutatis, corrumperetur ordinis proportio: ſicut ſi vna chorda plus debito intenderetur, ceſsaret citharæ melodia. Et in hoc vltimo ſenſu intelligendi ſunt SS. Patres.

18 Secundo arguitur fundamento ſupra tacto, cuius non eſt leuis difficultas: quoniam ſi exiſterent infiniti v. g. Angeli ſe excedentes in perfectione ſpecifica, neceſsario vnus ex illis eſset infinitus ſecundum ſpeciem, ille nimirum, qui contineret omnes perfectiones aliorum, & qui infinitè diſtaret à creatura imperfectiſsima: ſed quod facit actu, facit potentia poſsibiliter: ergo ſi ſunt poſsibiles infiniti Angeli ſe excedentes in perfectione ſpecifica, neceſsario concedendus eſt ſub eſse poſsibili quidam Angelicus infinitè perfectus: conſequens eſt abſurdum. ergo non ſunt poſsibiles infinitæ creaturæ ſe excedentes in perfectione ſecundum ſpeciem; ſed poterit fieri aliqua adeò perfecta, vt nequeat perfectior produci.

Reſpondetur, vt ſupra *num.* 14. negando maiorem: quia nullus illorum Angelorum contineret perfectè, & adæquatè differentias, & perfectiones ſpecificas, quæ reperiuntur in alijs. *Qualibet enim creatura* (inquit Angelic. Doct. 1. *p. q.* 84. *art.* 2. *ad* 3.) *habet eſſe finitum, & determinatum. Vnde eſſentia ſuperioris creaturæ, etſi habeat quamdam ſimilitudinem inferioris creaturæ, prout communicant in aliquo genere, non tamen completè habet ſimilitudinem illius: quia determinatur ad aliquam ſpeciem, præter quam eſt ſpecies inferioris creaturæ.* Id autem, quod non habet omnem perfectionem ſui generis, ſed intra ipſum intrinſecè terminatur, quo pacto quælibet ſpecies limitatur per differentiam, nequit infinitate gaudere; cum habeat genus contractum, & poſitiuè excludat alias differentias, & perfectiones ſpecificas. Neque enim imaginandum eſt, quod Angelus ſuperior contineat ipſiſſimam perfectionem inferioris, & aliquid amplius: hoc enim falſum eſt, vt docet D. Thom. ſed ſolùm ex maiori eius perfectione ſequitur, habere perfectionem ſpecificam ſuperiorem, ad quam infinitæ inferiores nequeunt pertingere. Ad hoc autem non requiritur exceſsus infinitus, ſiue in perfectione infinita: ſed ſufficit exceſsus eſſentialis, ſiue in differentia ſpecifica nobiliori. Quod conſtat, tùm in homine, qui eſt perfectior infinitis animalibus poſsibilibus, quin ſit infinitè perfectus, vel habens infinitas perfectiones; ſed ſolùm formaliter habet differentiam ſatis nobilem, quam infinitæ imperfectiores non valent attingere. Tùm in numero binario, qui propter immediatum acceſsum ad vnitatem excedit infinitos numeros poſsibiles, & tamen non habet infinitam perfectionem; ſed duntaxat differentiam finitam, & perfectiorem. Vnde ſicut ex exceſsu hominis, & binarij ſupra infinita animalia, & numeros non colligitur infinitas harum duarum ſpecierum: ſic ex exceſsu vnius Angeli ſupra omnes alios, neutiquam infertur, quod ſit infinitus ſimpliciter.

19 Poſſemus etiam huic argumento occurrere, omiſsis maiori, & minori, negando conſequentiam: quia arguitur ab infinito in actu (quo pacto collectio omnium Angelorum, ſi actu exiſterent, eſſet infinita) ad infinitum in potentia, & ſyncategorematicè, qua ratione aſſerimus eſſe poſsibiles creaturas infinitas, & ſpecie diuerſas: quia nulla eſt deſignabilis, qua non poſsit alia aſsignari perfectior. Porrò hic tranſitus vitioſus eſt: nec ſequitur, quod in infinito ſyncategorematico detur poſſibiliter id, quod actu daretur in infinito categorematico. Quod inſtatur, & declaratur exemplis: nam ſi continuum diuideretur actu infinitis diuiſionibus, daretur vna pars actu minima, & vlteriùs non diuiſibilis; quod eſt impoſſibile: & tamen ex hoc non rectè infertur, quod ſi quantitas eſt diuiſibilis in potentia infinitis diuiſionibus, poſſit dari vna pars minima; & quæ vlterius nequeat diuidi. Similiter ſi materia prima reciperet actu infinitas formas poſſibiles, eſſet actu ſatiata: & nihilominus ex eo, quod poſſit illas ſuſcipere, non ſequitur, quod poſſit ſatiari. Ita ergo, etſi admitteremus, quod datis infinitis Angelis in actu, vnus eſſet actu infinitus, minimè colligitur, quod ſi poſſunt eſſe infiniti Angeli, poſſit vnus eſſe infinitus. Et ratio eſt eadem vbilibet: quia nimirum dicta potentia non eſt ad terminum infinitum actu, ſed ad terminum ſyncategorematicè infinitum; hoc eſt, ad actum finitum, admixtum tamen infinitæ potentiæ, quæ proinde non habet vltimum. Et cùm dicitur, idem præſtare actum actu, & potentiam poſſibiliter, intelligendum eſt de actu, qui eſt terminus potentiæ: quo pacto collectio infinitorum Angelorum actu, & ſimul exiſtentium non ſe habet ad poſſibilitatem, quam ponimus: quia terminus huius potentiæ eſt infinitus ſyncategorematicè, hoc eſt finitus in actu, & infinitus in potentia; prædicta verò collectio actu exiſtens foret infinita in actu. Quare ex hoc actu ad potentiam illam eſt illegitima conſequentia.

20 Vltimò arguitur: quia ex noſtra ſententia ſequitur, collectionem creaturarum poſſibilium eſſe infinitam ſecundum perfectionem eſſentiæ; ſiquidem nullum habet terminum: ſed hoc eſt abſurdum: ergo non ſunt

poſſibiles infinitæ creaturæ ſe excedentes in ſpecie. Suadetur minor: nam tota illa collectio eſt ens creatum: ergo debet eſſe finita.

Reſpondetur diſtinguendo ſequelam, quæ ſi intelligatur de infinito ſecundum quid, & in potentia, concedenda eſt; ſecus verò, ſi intelligatur de infinito ſimpliciter, & in actu: quia tota illa collectio non eſt ſimul, & in actu, ſed ſolum in potentia. Et licèt repugnet infinitum in actu, non autem infinitum in potentia, & ſecundum quid, vt conſtat ex ſupra dictis. Videantur Ariſtot. & D. Thom. *in præſenti lect. 9.* ex quibus deſumitur hæc ſolutio.

QVÆSTIO IV.

An ſit poſſibile infinitum in actu ſecundum magnitudinem.

POſtquam diſſeruimus de infinito ſecundum magnitudinem perfectionis, ſupereſt vt tractemus de infinito quantitate molis: & ita inquirimus, an poſſit dari quantum infinitum.

§. vnicus.

Præfertur ſententia D. Thom.

21 DIcendum eſt, implicare contradictionem, quod Deus efficiat magnitudinem infinitam in actu. Hæc eſt expreſsè D. Thom. *1. p. q. 7. art. 3. & quodlib. 9. art. 1. & quodlib. 12. art. 2.* Quam etiam docent D. Bonauentura, Durandus, Scotus, Ricardus, & alij innumeri Auctores. Sed priuſquam illam ratione probemus, habendum præ oculis eſt, vt prolixitatem vitemus, & plures aduerſariorum euaſiones ſimul præcludamus, quod linea eſt continuatiua ſuperficiei, & ſuperficies corporis. Vndè talem inter ſe proportionem, & connexionem, phyſicè loquendo, habent; quod ſi infinitudo repugnat vni ex illis, nequeat alteri competere. Hoc ſuppoſito.

Suadetur aſſertio primò: quia ſi daretur à parte rei corpus infinitum, exiſteret diſtantia infinita clauſa terminis: conſequens implicat contradictionem, vt ex ſe liquet: ergo &c. Probatur, & explicatur maior: quia duæ lineæ ab eodem centro ductæ, eò magis diſtant inter se, quò magis diſtant à centro, quocirca ſi diſtantia earum à centro esset infinita, pariter esset infinita diſtantia illarum inter se: atqui, dato corpore infinito, lineæ ductæ ab eius centro ad circumferentiam protraherentur in infinitum: ergo diſtarent inter se infinitè, & per conſequens daretur diſtantia infinita clauſa terminis, nempe ipſis lineis.

Reſpondet Vasquez, hinc ſolùm ſequi diſtantiam illam eſſe infinitam in potentia, ſecùs verò in actu: quoniam non eſt aliqua ſuprema pars linearum, in qua aſſignetur infinita diſtantia; ſed deſignata quacumque, poterit alia maior abſque termino deſignari.

Sed hoc facilè refellitur: quoniam vt linea ſit actu, & ſimpliciter infinita, vt admittit hic Auctor, non requiritur, quod deſignetur in ea pars vltima: imò ex hoc ipſo conuincitur eſſe infinitam: quia videlicet non eſt in ea pars vltima deſignabilis; ergo vt diſtantia ſit ſimpliciter, et in actu infinita, minimè requiritur, quod deſignetur in ea diſtantia omnium maxima, ſed ſufficit eſſe ibi in actu maiorem, et maiorem diſtantiam abſquè termino maioritatis. Patet conſequentia; quia ſicut linea abſquè termino longitudinis eſt actu infinita; ità diſtantia, abſquè termino ſuæ magnitudinis, debet, re ipſa, infinitate gaudere, quamuis diſtantia à nobis ſignata infinita non ſit.

22 Secundò ſuadetur noſtra concluſio alia ratione, cuius vis vt magis appareat, duò præſupponenda ſunt. Primum ſit, quantitatem eſſe ex ſe diſpoſitionem ad motum localem: quia eſt forma, per quam ſubſtantia habet eſſe in loco circumſcriptiuè, & perfectè, et ideò nequit non conducere, quantum eſt de ſe, ad hoc, quod ſubſtantia localiter moueatur. Vndè implicat, quod à quantitate proueniat impedimentum ad motum localem, ſiuè omnimoda immobilitas ſecundum locum; ſicut quia riſibilitas eſt potentia, vt rideamus, nequit à riſibilitate oriri repugnantia ad ridendum. ¶ Secundum ſit, quantitatem infinitam impedire ex ſe motum localem. Cuius ratio eſt; quia corpus affectum quantitate infinita non poteſt moueri motu recto, ſiue à loco in locum, cùm occupet omnem locum. Nequit etiam moueri motu circulari: nam ad hunc motum, requiritur, quod vna pars veniat ad locum alterius. quod implicat in corpore infinito; ſiquidem eius partes diſtant infinitè inter ſe: & infinitum eſt impertranſibile. Quarè prædictum corpus haberet, ratione quantitatis, omnimodam immobilitatem ſecundùm locum.

Ex ijs ſic formatur ratio: quoniam implicat, quod corpus ratione quantitatis habeat repugnantiam ad motum localem: ſed corpus infinitum, ratione quantitatis, eſſet immobile ſecundum locum: ergo repugnat corpus magnitudinis infinitæ. Maior, & minor conſtant ex modò prænotatis, & conſequentia eſt legitima.

Reſpondebis, quod licèt quantitas ſecundum ſe accepta non ſit impedimentum ad motum localem; quantitas tamen infinitæ magnitudinis, ratione tantæ molis, poteſt impedimentum præſtare ad huiuſmodi motum. ¶ Sed contra: nam implicat, quod accidens ex natura ſua potens ad aliquem effectum, fiat ineptum ad illum præſtandum, ex eo quod infinitè creſcat in perfectione; imò potius quò magis perficitur intra proprium genus, eò potentiùs redditur ad proprios affectus communicandos: ſed quantitas ex ſe diſponit ad motum localem: ergo repugnat, quod per ſui augmentum reddatur impotens ad hunc effectum, & ponat repugnantiam ad illum; atqui quantitas infinita infert omnimodam immobilitatem ſecundum locum: ergo implicat quantitas magnitudinis infinitæ. Vndè excluſæ relinquuntur aliquæ Aduerſariorum ſolutiones: quia vel non habent locum, vel procedunt ex ſiniſtra intelligentia rationis D. Thom. cuius vis modo à nobis propoſito ſatis apparet.

23 Contrariam nihilominus opinionem amplectuntur Gregorius, Gabr. Maior, Ocham, & alij, quibus adhæret Vaſquez *1. p. diſp. 26.* Quorum præcipuum fundamentum eſt: quia quod non eſt contra eſſentiam alicuius, poteſt illi attribui, ſaltèm per abſolutam Dei potentiam: ſed magnitudo infinita non eſt contra eſſentiā quantitatis: ergo poteſt dari quantitas magnitudinis infinitæ. Minor probatur, tùm quia quantitas ſecundum ſe non petit terminum certum: ergo habere magnitudinem finitam, vel infinitam eſt extra eſſentiam illius. Tùm etiam, quia communiter admittitur; quod ſi daretur linea infinita, collocanda foret in prædicamento quantitatis, non minus quam linea finita: ergo manet illæſa eius essentia, quamuis creſcat infinitè.

Sed hoc facilè diluitur: nam vt abſolutè ſit impoſſibilis quantitas infinita, opus non est, quod hæc repugnantia oriatur ab eius eſſentia; ſed ſufficit, quod ſequatur ratione aliorum implicationem, quæ poſitionem talis infiniti inſeparabiliter comitantur, vt à nobis oſtenſum

eſt.

Digitized by Google

eſt. Addimus etiam quod licèt eſſentia quantitatis non petat determinatè hunc terminum; petit tamen hunc, vel illum vagè: nam petit poſitiuam ſui terminationem, ad quam ſequitur figura: & ideò nullo modo poteſt ei conuenire repugnantia, vt ſit terminis circumſcripta. Quarè ſi daretur quantitas habens magnitudinem abſquè terminis, cui proindè repugnaret, tum figura, tum motus localis; diſtingueretur eſſentialitèr à quantitate, quæ de facto datur, & cui affectiones competunt. Dicitur tamen communitèr quantitatem infinitam collocandam fore in prædicamento quantitatis: quia dato hoc impoſsibili, argueretur eſſentiam illius non petere certum terminum, ſed tantùm partes extra partes.

QVÆSTIO V.

An poſſit dari multitudo infinita in actu.

VIdimus *quæſt. præced.* repugnare quantitati continuæ infinitatem in actu; ſupereſt examinandum, an etiam repugnet quantitati diſcretæ, ſiuè multitudini; quod in præſenti decidemus.

§. I.

Reſolutio difficultatis ex D. Thoma.

24 DIcendum eſt, implicare contradictionem, quod detur infinitum in actu ſecundum multitudinem. Hæc eſt D. Thom. 1. *q. 7. art. 4.* & alibi *ſæpè*, quam proinde ſequuntur Caiet. Banez, Nazarius, Nauarrete, & alij plures.

Probatur primò ratione: quia ſi poſſet Deus producere corpora infinita in actu, poſſet etiam producere vnum corpus actu infinitum: conſequens eſt falſum, vt conſtat ex dictis *quæſt. præced.* ergo impoſsibile eſt, quod producatur multitudo corporum actu infinita. Probatur maior: quia, productis infinitis corporibus, poſſet Deus illa vnire per continuationem: vndè ex infinitis portionibus v. g. terræ, reſultaret terra actu infinita.

Reſpondebis hinc ſolum probari, non poſſe Deum producere illa infinita corpora cum actuali extenſione, & in ordine ad locum diuerſum; ſecùs verò ſi producantur abſque extenſione locali; vel penetrentur: tunc enim omnia ſimul non efficiens maiorem magnitudinem, quam quodlibet illorum.

Sed contra: quia licèt Deus poſſit ſeparare paſſionem ab eſſentia, nequit tamen efficere, quod paſſio eſſentiæ repugnet: eſſentia quippè ſemper poteſt ſuas proprietates habere, & illas expoſcit: ſed extenſio localis, & impenetrabilitas ſunt proprietates quantitatis: ergo ſi poſſet Deus producere infinita corpora penetrata, vel abſque extenſione locali; poſſet etiam, imò & connaturalius, efficere illa extenſa localiter, & impenetrata: atqui efficerent tunc magnitudinem infinitam, vel per continuationem, vel ſaltem per contiguitatem: ergo ſi poteſt Deus producere ſimul infinita corpora, poterit etiam efficere corpus actu infinitum.

25 Secundò ſuadetur noſtra ſententia: quia omnis multitudo quantitatiua exiſtens à parte rei eſt aliquis numerus: ſed implicat numerus infinitus: ergo & multitudo infinita in actu. Maior eſt certa: quia repugnat aliquid eſſe ſub determinato genere, & non eſſe ſub determinata ſpecie: ſed multitudo actu exiſtens eſt ſub multitudine vt ſic: ergo debet eſſe talis ſpecies multitudinis: conſtat autem, quod multitudo quantitatiua, de qua loquimur, nequit eſſe alia ſpecies, quam numerus: ergo. Minor conſtat; tum, quia numerus eſt multitudo menſurata per vnum: & menſurari repugnat infinito. Tum etiam, quia in quolibet numero eſt vltima vnitas tribuens illi ſpeciem, vt conſtat ex dictis in Logica: ſed eſt contra rationem infiniti in actu habere partem vltimam; ergo repugnat numerus infinitus.

Reſpondebis primò ex Vaſquez, multitudinem rerum non habere à parte rei vnitatem ſpecificam numeri; ſed hanc ſortiri ab intellectu numerante vnam vnitatem poſt aliam. Vndè non eſt inconueniens, concedere multitudinem, quæ à parte rei, ſub nulla contineatur ſpecie.

Sed hæc ſolutio refellitur primò: quia numerus eſt vera ſpecies quantitatis, vt oſtendimus in Logica *diſp. 13. quæſt. 4.* ergo quilibet numerus quantitatiuus habet à parte rei vnitatem ſpecificam. Secundò, quia eſto, quod vnitas formalis numeri deriuaretur ab intellectu, nihilominùs omnis numerus habet à parte rei aliquem ordinem menſurabilitatis, aut numerabilitatis: ſed menſurabilitas opponitur infinitati: ergo repugnat, quod detur numerus infinitus.

Reſpondebis ſecundò cum Conimbr. quod licèt numerus finitus debeat eſſe multitudo menſurata per vnum; ſecus verò numerus infinitus: vndè non repugnat, ſpeciem huius numeri eſſe actu infinitam.

Sed hæc etiam ſolutio corruit; tùm quia conſtituit numerum innumerabilem; cùm tamen omnis multitudo actu exiſtens poſſit à Deo numerari, & cadat ſub determinata intentione eius, ſiquidem ab ipſo ſit. Tùm etiam, quia numerus debet eſſe aliquomodo vnus: ſed nullus alius modus vnitatis ei competere poteſt, niſi vnitas ordinis: ad quam requiritur menſurabilitas, & numerabilitas; vel quod omnes vnitates poſſint ſub vna coordinari, & ſupputari: ergo repugnat numerus, qui nequeat menſurari. Et planè omnis numerus etiam imaginarius debet conſtitui per vnitatem, quæ actu, vel aptitudine ſit vltima: alias quantumuis addecentur ei, vel ſubtraherentur ab eo aliquæ vnitates, ſemper eſſet eiuſdem rationis: quod eſt manifeſtè abſurdum.

Ex quibus deducitur, implicare etiam numerum tranſcendentalem infinitum in actu: quia licèt hic numerus non conſtituat vnum per ſe, vt conſtat ex dictis in Logica, nihilominùs eſt talis ſecundum proportionem ad numerum quantitatiuum, & ſic debet importare aliqualem ordinem menſurabilitatis: quæ omninò repugnat infinito.

§. II.

Soluuntur contrariæ rationes.

26 POſſibilem eſſe multitudinem actu infinitam, docent Auctores ſupra relati *num.* 23. quibus adhæret Oña *quæſt. 2. art. 3. concl. 2.* Pro qua ſententia arguitur primò: nam quod Deus conſeruat media cauſa ſecunda, quæ non eſt de eſſentia rei, poteſt abſque interuentu eius, ſe ſolo conſeruare: ſed in continuo dantur infinitæ partes proportionales media vnione, quæ extra illarum eſſentiam eſt; ſiquidem quælibet abſcindi valet ab alia: ergo poteſt Deus conſeruare omnes illas ſeparatas; & ſubinde erit multitudo infinita in actu.

Reſpondetur, quod licèt vnio partium proportionalium ſit extra eſſentiam, cuiuſuis partis proportionalis ſingilatim acceptæ, quatenus nulla petit vniri alteri determinatè: attamen de eſſentia cuiuſcumque partis eſt habere aliquam vnionem: quia cùm quælibet pars quantitas

titas continua, eſsentialiter conſtat partibus, non quidem diuulſis; ſed aliquo nexu vnitis. Vndè implicat, quantitatem eſse actu, & vltimò diuiſam in omnes ſuas partes. Hinc enim fieret, diuiſibilitatem quantitatis eſse exhauſtam, vt ſupponitur: & non eſse exhauſtam; ſiquidem partes quantitatis ſunt vlterius diuiſibiles; aliàs non eſsent partes, & eiuſdem rationis cum toto, ſed quædam indiuiſibilia: quod eſt abſurdum.

27 Secundò arguitur: quia poteſt Deus in quolibet inſtanti creare vnum Angelum; ſed inſtantia vnius horæ ſunt infinita: ergo poſset in ſpatio vnius horæ producere infinitos Angelos. ¶ Et confirmatur: nam potuit tempus eſse ab æterno, vt dicemus *lib.* 8. ergo potuerunt præcedere infiniti anni, & in eorum quolibet creari vna anima rationalis: ergo, cùm hæc ſit immortalis, exiſterent nunc infinitæ animæ in actu.

Reſpondetur non poſse Deum creare Angelos in omnibus inſtantibus horæ collectiuè ſumptis: tùm quia illa inſtantia non ſunt certa, & determinata, & ideò nequeunt ſucceſsiua numeratione percurri, ſed confuſo modo tranſeunt: ſi autem in eorum quolibet produceretur Angelus, iam eſsent determinata, & certa, quod eſt impoſsibile. Tùm etiam: quia inſtantia indeterminata ſunt infinita, & conſequenter non eſt in eis deſignare primum, & vltimum; ſed ante, vel poſt quodlibet datur aliud, & aliud ſine termino: vndè non poteſt in omnibus collectiuè, & adæquatè acceptis exerceri Angelorum creatio. Inſtantia autem deſignabilia, & certa, in quorum quolibet potuit vnus Angelus produci, ſunt numero finita: & ideò non ſequitur, eſse poſsibilem multitudinem Angelorum infinitam in actu: ſed tantùm finitam, & certam. Ad confirmationem conſtabit ex dicendis *lib.* 8. *diſp.* 27. *num.* 23. & 25. vbi etiam pleniùs ſatisfiet argumento.

28 Vltimò arguitur: nam quidquid Deus cognoſcit per ſcientiam practicam, poteſt in actu producere; cùm hæc ſcientia ſit factiua rerum: ſed Deus per ſcientiam practicam cognoſcit infinitas intellectiones hominum, & Angelorum multiplicandas per æternitatem; ergo poterit omnes illas ſimul, & in actu producere. ¶ Confirmatur primò: quia omnes illæ cogitationes ſunt ſimul in nunc æternitatis: ergo ſaltem reſpectu æternitatis datur infinitum in actu. ¶ Confirmatur ſecundò: quia tota illa multitudo exiſtens in nunc æternitatis conſtituitur in aliqua ſpecie, aut quaſi ſpecie multitudinis: & nihilominùs eſt infinita ſimpliciter: ergo non aduerſatur multitudini infinitæ eſse in determinata ſpecie: atque ideò nullius roboris eſt ſecunda ratio noſtræ aſsertionis.

Reſpondetur, poſse Deum producere quidquid cognoſcit per ſcientiam practicam: eo tamen modo, quo cognoſcit eſse poſsibile ex parte rei faciendæ. Quamuis autem Deus cognoſcat infinita poſsibilia ſimultate ſe tenente ex parte cognitionis; ſecus verò ſimultate ſe habente ex parte obiecti: quia non cognoſcit creaturas infinitas, vt ſimul reducibiles ad actum exiſtentiæ. Sicut etiam ſimul cognoſcit omnes dies anni; & tamen nequit omnes illos ſimul conſtituere; eò quod non videt ſimultatem ex parte rei faciendæ; cùm ſit eſsentialiter ſucceſsiua. Collectio ergo cogitationum, vel creaturarum poſsibilium eſt infinita in potentia, & vt talis cognoſcitur à Deo per vnam, & ſimultaneam intellectionem: quapropter non eſt reducibilis ad exiſtentiam ſimul, & collectiuè, ſed ſolùm ſucceſsiuè; ita vt creaturæ actu productæ ſint finitæ, quæ verò ſuperſunt producendæ ſint infinitæ.

Ad primam confirmationem dicendum eſt, ea quæ exiſtunt in *nunc* æternitatis, non exiſtere ſimul ſimpliciter; ſed ſolùm in *æternitate*; quod eſt additum diminuens. Vndè videmus omnes dies anni eſse ſimul in nunc æternitatis; quos tamen abſurdum eſset dicere eſse ſimul abſolutè: cùm tempus ſit eſsentialiter ſucceſsiuum. Et ratio eſt: quia æternitas eſt menſura ſuperior, & infinita, & ſic ex parte ſua ambit ſimul in actu ea, quę in ſe ipſis non ſunt ſimpliciter præſentia, ſed præterita, vel futura. Vndè ſicut ex coëxiſtentia præteriti, & futuri, verbi gratia, Adami, & Antichriſti in *nunc* æternitatis non rectè infertur, quod ſint inter ſe præſentes abſolutè: vel quod amittant præteritionem, & futuritionem ſimpliciter: ſic ex coëxiſtentia infinitarum cogitationum in nunc æternitatis, ſolùm infertur, quod ſint in actu cum addito, & ſecundum quid, nempè in æternitate; non autem, quod ſint ſimul ſimultate ſe tenente ex parte illarum. Quia ſicut æternitas, licèt ſit, in ſe præſens, non tollit à rebus ei coëxiſtentibus præteritionem, & futuritionem, vt conſtat ex exemplis adductis: ita licèt ſit in actu, non impedit, quod cogitationes ei coëxiſtentes ſeruent ordinem ſucceſsionis, quatenùs vna aduenit poſt corruptionem alterius: & ideò, quæ exiſtunt, ſunt limitatæ; infinitæ verò, quæ manent in potentia.

Per quod patet ad ſecundam confirmationem: quia tota illa collectio exiſtens in nunc æternitatis conſtituitur in ſpecie, non quidem in actu, ſed duntaxat in potentia; quatenùs ſecundum aliquas ex illis cogitationibus eſt actu in aliqua ſpecie numeri, videlicet ſecundum exiſtentes actu in ſe ipſis, quæ ſemper ſunt finitæ, certæ, & determinatæ. Illæ verò, quæ manent in potentia, non conſtituuntur actu ſub aliqua ſpecie numeri: quia in eis non eſt deſignare vltimam, quæ habeat rationem formæ, & communicet ſpeciem; ſed quælibet deſignata ſupereſt alia, & alia ſine fine. Si autem omnes cogitationes futuræ per totam æternitatem, exiſterent ſimul actu in *nunc* noſtri temporis, tunc eſſent actu in determinata ſpecie: & ſic eſſent, & non eſſent infinitæ: infinitæ quidem vt ſupponitur; & non infinitæ, quia haberent vltimam vnitatem à qua tribuitur numero ſpecies. Vndè fundamentum noſtrum ſemper in ſuo robore perſeuerat.

QVÆSTIO VI.

An ſit poſſibile infinitum ſecundum intenſionem.

POſtquam oſtendimus repugnare creaturæ infinitatem ſecundum eſſentiam, & quantitatem; diſquirendum etiam eſt, an ſit poſſibilis ſecundum intenſionem, vt materia hæc maneat vndequâque abſoluta.

§. I.

Statuitur vera ſententia.

29 DIcendum eſt, impoſſibilem eſſe intenſionem actu infinitam. Hæc aſſertio colligitur ex D. Thom. *loc. cit.* & *3. par. quæſt.* 7. *art.* 11. & eſt communis inter Thomiſtas. Fundamentum præcipuum eſt: quia implicat, quod forma inhærens ſubiecto ſit infinita in actu: ſed qualitas, cui propriè conuenit intenſio, ineſt ſubſtantiæ: ergo nequit intendi infinitè. Minor, & conſequentia conſtant. Maior autem ſuadetur: tùm quia omnis forma limitatur per ſubiectum, vt docet D. Thom. 1. *part. quæſt.* 7. *art.* 1. & 2. Tùm etiam: quia forma nequit excedere capacitatem ſubiecti, cui inhæret.

Digitized by Google

ret, ſed tanta debet eſſe potentia in ratione receptiuæ, quanta eſt forma in ratione actus: atqui capacitas cuiuſcumque ſubſtantiæ creatæ eſt limitata: ergo implicat, quod forma inhærens ſubiecto ſit infinita.

Confirmatur: quia ex proportione, quæ debet intercedere inter ſubiectum, & formam, rectè infertur, quod ſi ſubiectum habet capacitatem infinitam in potentia, poſſit recipere qualitatem intenſibilem infinitè in potentia: ergo pariter ex capacitate ſubiecti finita in actu, benè colligitur repugnantia qualitatis intenſæ infinitè in actu: ſed implicat ſubiectum, quod non ſit finitum, & determinatum in actu, cùm in entitate, tùm in capacitate recipiendi, quæ entitatem conſequitur: ergo implicat accidens habens intenſionem infinitam in actu.

30 Deinde poteſt ſuaderi noſtra ſententia ab inconuenienti: quoniam ſi eſſet poſſibilis qualitas infinitè intenſa, poſſet etiam dari virtus loco motiua intenſionis infinitæ, vt conſtat à paritate: conſequens eſt abſurdum: ergo. Probatur minor: nam quò virtus motiua eſt major, eò mouet in minori duratione: ergo virtus motiua infinitè intenſa mouebit in duratione infinitè minima, ac proinde in inſtanti: ſed eſt contra rationem motus localis, quod fiat in inſtanti: ergo repugnat virtus loco motiua infinitè intenſa.

Reſpondebis primò, quod Deus non concurret cum illa virtute concurſu infinito, ſed finito: & ſic non ſequitur fore motum in inſtanti. § Sed hoc effugium nullius momenti eſt: quia ſi ſemel non repugnat virtus creata infinitè intenſa, non repugnabit concurſus diuinus infinitus: ergo poterit Deus concurrere infinitè cum illa virtute: atque ideò erit motus localis in inſtanti. Quod poteſt ampliùs explicari, & vrgeri: quia vel repugnat concurſus infinitus, & actus correſpondens illi potentiæ, vel non? ſi primum: ergo repugnat talis virtus, & potentia; cùm omnis potentia ſit ad actum ſibi correſpondentem: ſi ſecundum: ergo dabitur motus localis in non tempore, quod apertè repugnat.

Secundò, & meliùs reſpondebis, quod ex virtute motiua infinita, neutiquam infertur eſſe poſſibilem motum localem, qui fiat in inſtanti: quoniam de facto Deus habet virtutem motiuam infinitam; & nihilominùs non poteſt facere: quod corpus moueatur in non tempore.

Reſpondetur, ex infinitate diuinæ virtutis non colligi, quod in creatura detur aliquid infinitum in actu: & ſic non ſequitur, poſſibilem eſſe motum infinitè velocem, & qui perficiatur in non tempore: quia ex generali ratione implicat creatura infinita in actu. Cæterùm ſi ſemel non repugnat, eſſe virtutem creatam infinitam in vi mouendi; pariter non repugnabit actus creatus infinitus illi correſpondens, qui non eſt alius, quam mouere cum infinita velocitate, atque ideò in inſtanti. Præterquam quod, infinitas diuinæ virtutis ſatis oſtenditur in modo mouendi, videlicet cum independentia ab alio primo motore: nam talis modus mouendi petit virtutem infinitam per eſſentiam. Creatura autem, ſi non moueret in inſtanti, nihil eſſet in eius motu, per quod oſtenderetur infinitas virtutis illius: & per conſequens eſſet, & non eſſet infinita.

§ II.

Diluuntur aduerſantia fundamenta.

31 Opinionem affirmantem defendunt Auctores in quæſtionibus præced: nobis contrarij: quæ poteſt ſuaderi primò, quia intenſio qualitatis fit per additionem gradus ad gradum: ſed prædicti gradus non ſunt incompoſſibiles, vel oppoſiti inter ſe: ergo poterunt dari gradus infiniti in actu, & per conſequens qualitas intenſa infinitè.

Huic argumento (quidquid ſit de maiori, cuius falſitatem latè oſtendemus *in lib. de Generat.*) reſpondetur, gradus qualitatis finitos, & certos poſſe coniungi in eodem ſubiecto; ſecus verò gradus infinitos: quoniam eſt contra proportionem eſſentialiter requiſitam inter ſubiectum, & formam, quod hæc gaudeat infinitis gradibus in ratione actus, ſi ſemel illud habet capacitatem ſolùm in ratione potentiæ, qualem ei conuenire ſatis liquet ex ſupra traditis.

32 Arguitur ſecundò: quia eſt poſſibilis gratia infinita in actu: ergo non repugnat qualitas intenſa infinitè. Suadetur antecedens: quoniam gratia nullum habet terminum ſuæ intenſionis: non quidem ex parte agentis; cùm ſit infinitæ virtutis: neque ex parte formæ, cuius eſt participatio; ſiquidem eſt natura diuina infinitè participabilis, neque tandem ex parte potentiæ obedientialis, qua media recipitur in creatura: quia limitatio potentiæ non deſumitur, niſi ab agente, cui ſubiicitur, vel ab actu, & forma, quam reſpicit: quorum vtrumque eſt illimitatum.

Reſpondetur, repugnare gratiam infinitam in actu: quæ repugnantia non oritur ex parte Dei, à quo gratia producitur, vel ratione diuinæ eſſentiæ, quam participat: ſed quia eſt forma creata, dicens habitudinem ad ſubiectum, à quo nequit non limitari. Porrò potentia obedientialis non eſt infinita ſimpliciter, & in actu; ſed duntaxat in potentia: quæ eo redditur aptior ad majorem participationem gratiæ, quo illius recipit plures gradus. Vndè ſolùm conuincitur, eſſe poſſibilem gratiam infinitam in potentia, atque ideò nunquam eſſe ita intenſam, quin poſſit ampliùs, & amplius intendi ſine termino. Sicut etiam collectio creaturarum poſſibilium eſt participatio Dei: & tamen non ſequitur, vel quod poſſit tota eſſe ſimul in actu; vel quod poſſit dari vna creatura infinitè perfecta; ſed ſolùm colligitur, quod data quacumque creatura, poſſit alia perfectior produci: eò quod perfectio diuina eſt infinitis modis imitabilis, ac ſubinde inexhauribilis.

33 Sed oppones: gratiam habitualem Chriſti domini eſſe actu infinitam: ergo non repugnat gratia infinitè intenſa. Aſſumptum ſuadetur, tum quia dicta gratia eſt immenſa iuxta illud Ioann. 3. *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum filio.* Tùm etiam; quia poteſt iuſtificare homines infinitos ſine termino: effectus autem infinitus nequit prouenire à cauſa finita. Tùm denique, quia aliàs poſſet pura creatura pertingere ad gradum gratiæ Chriſti: quod eſt abſurdum.

Reſpondetur, gratiam Chriſti conſideratam moraliter, ſiue in eſſe gratiæ, eſſe infinitam ſimpliciter propter vnionem ad perſonam Verbi diuini: vnde poteſt ſanctificare infinitos homines. Si verò conſideretur in eſſe phyſico, quo pacto eſt eiuſdem rationis cum noſtra gratia; tàm in eſſentia, quàm in intenſione, eſt ſimpliciter finita. Et ad probationes contra hanc partem, haud difficile eſt occurrere: nam in primis illud teſtimonium intelligendum eſt, vel de dono diuinæ naturæ, quam Pater Filio ab æterno communicauit: vel de dono vnionis ad perſonalitatem diuinam, quæ in tempore conceſſa eſt humanitati: vel tandem poteſt exponi de ipſa gratia habituali, quæ immenſa dicitur, quia extenditur ad omnia, quæ ſunt gratiæ, & eſt moraliter infinita propter vnionem ad verbum. § Per quod patet ad ſecundam probationem: nam vt gratia Chriſti poſſit habere effectum infinitum ſufficit, quod ſit gratia capitis, & vniatur verbo diuino, à quo dignificatur infinitè, licet ſit finita in eſſe entis, & qualitatis.

Ad tertiam neganda eſt ſequela: nam vt optimè ob-

Digitized by Google

ſeruat D. Thom. 3. p. q. 7. art. 11. ad 3. Minus poteſt peruenire ad quantitatem maioris in his, quæ ſunt eiuſdem rationis; ſecùs verò in ijs; quæ diuerſæ rationis ſunt: & ideò virtus ignis, quantumuis creſcat nequit adæquare virtutem ſolis. Gratia autem cuiuſcumque creaturæ comparatur ad gratiam Chriſti, ſicut virtus particularis ad vniuerſalem: nam gratia Chriſti eſt gratia capitis, cui adæquari non valet gratia membrorum. Et ideò nulla gratia poteſt attingere perfectionem gratiæ Chriſti in eſſe gratiæ; licèt vtraque eſſet eiuſdem intenſionis in eſse Phyſico.

QVÆSTIO VII.

Vtrum vnum infinitum poſſit eſſe maius alio.

VIdimus in tota hac diſputatione, in omni genere entis creati repugnare infinitum in actu; ſed vt plenius infiniti naturam penetremus, opus eſt inueſtigare, an datis per impoſſibile duobus infinitis in actu, tunc poſset vnum eſſe maius alio: v.g. an vnus numerus infinitus poſſit alium numerum infinitum excedere: & vtrum vna linea infinita poſſit protrahi plus, quam alia linea infinita? Ad cuius difficultatis deciſionem obſeruandum eſt, infinitum poſse bifariam conſiderari: vno modo materialiter, ſiue pro materia, ex qua coaleſcit, quo pacto numerus infinitus importat vnitates. Alio modo formaliter, ſiue pro ipſa ratione formali infinitudinis conſiſtente in hoc; quod aliquid careat terminis, & magis, & magis protendatur.

§. I.

Tres aſſertiones ad deciſionem dubbij.

34 DIcendum eſt primò, quod ſi infinita accipiantur formaliter, vnum non poteſt eſse maius alio. Hæc aſsertio communis inter Doctores, & facilè oſtenditur: quia infinitum formaliter acceptum importat carentiam terminorum, quæ conſiſtit in indiuiſibili: nam vbi minimum termini intrinſeci adeſt, iam ſecundum illam rationem ceſsat infinitum: ſed in ratione indiuiſibili nequit dari exceſsus: ergo vnum infinitum formaliter ſumptum nequit excedere aliud formaliter etiam acceptum.

35 Dicendum eſt ſecundò, vnum corpus infinitum non poſse eſse maius, quam aliud corpus infinitum, etſi conſiderentur ex parte materiæ. Sic docet D. Thom. 3. p. q. 10. art. 3. cui ſubſcribunt eius diſcipuli, & communiter Auctores. Ratio eſt ſatis perſpicua: quoniam corpus ex natura ſua dicit dimenſiones verſus omne latus; ac proinde corpus ſimpliciter infinitum debet infinitè extendi verſus longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ergo replet omnem locum, & habet omnem quantitatem excogitabilem: ergo implicat, quod corpus infinitum ab alio corpore excedatur, vel formaliter, vel ex parte materiæ. Imò hæc ratio, ſi rectè perpendatur, probat, dato corpore infinito, eſse impoſſibile aliud, non ſolùm excedens, ſed etiam æquale, aut inferius: quoniam corpus infinitum omnem quantitatem hauriret.

36 Dicendum eſt vltimò, non repugnare, quod vnum infinitum materialiter acceptum excedat aliud eodem modo conſideratum. Hæc concluſio reſpondet directè quæſito: illamque ſtatuit Ang. Doct. loc. citat. ijs verbis: *Species numerorum parium ſunt infinitæ, & ſimiliter ſpecies numerorum imparium: & tamen numeri pares, & impares ſunt plures, quam pares.* Vndè concludit: *Per hunc igitur modum infinita ſunt in potentiâ creaturæ, & tamen plura ſunt in potentia Dei, quàm in potentia creaturæ; Et ſimiliter anima Chriſti ſcit infinita, ſcientia ſimplicis intelligentiæ: plura tamen ſcit Deus ſecundum hunc modum ſciendi.* Quare hic modus dicendi frequens eſt inter Thomiſtas. Videantur Caiet. *loc. citato ex 3. p.* Ferrara 2. *contra Gentes cap.* 38. §. *vltima* Socinas 12. *Metaph. q.* 31.

Probatur ratione D. Thom. quoniam totum eſt maius ſua parte: ſed multitudo coalurgens ex collectione infinita numerorum parium, & ex collectione infinita numerorum imparium ſe habet ad illas ſicut totum ad partes: ergo eſt maior, quam quælibet ex illis duabus collectionibus, licèt hæc ſit infinita: ergo ſi infinitum ſumatur materialiter, poteſt vnum eſse maius alio. Maior, quam Conimbric. dicunt verificari in rebus finitis, ſecùs verò in infinitis probatur vniuerſaliter: quia id, quod includit quidquid habet aliud, & inſuper addit aliquid amplius, nequit non eſse maius eo, vt conſtat ex ipſis terminis: ſed omne totum includit quamlibet ſui partem, & inſuper addit aliam; ergo totum, tàm finitum, quàm infinitum eſt maius ſua parte. Quod ſatis euidenter apparet in exemplo nuper adducto; ſiquidem numerus conſtans ex infinitis paribus, & imparibus continet omnes pares, & inſuper addit impares: & conſequenter excedit collectionem infinitam omnium parium ſingillatim acceptam, & diuiſiuè à collectione imparium.

Confirmatur primò: nam ſi darentur actu infiniti homines, maior foret numerus digitorum, quam hominum; quandoquidem quiuis haberet decem digitos; & tamen vterque numerus eſset infinitus; ergo datis duobus infinitis, & conſideratis ex parte materiæ, poſset vnum excedere aliud.

Confirmatur ſecundò; quoniam vbi poteſt eſse minus, poteſt eſse maius; cùm contraria ſint circa idem; ſed numerus infinitus poteſt eſse minor; ergo numerus infinitus poteſt eſse maior, atque in infinito materialiter ſumpto poteſt dari exceſsus. Minor explicatur exemplo: nam data infinita multitudine Angelorum, poſſet Deus annihilare centum ex illis, conſequenterque illa multitudo fieret minor; & nihilominus maneret ſimpliciter infinita; aliàs ſolùm conſtaret ex finita multitudine deſtructa, & ex finita multitudine perſiſtente, quod naturæ infiniti repugnat: ergo infinitum poteſt eſse minus. Quod ſatis declaratur ex ijs, quæ ſupra adduximus ex D. Thom. nam certum eſt, quod in virtute Dei, & in virtute creaturæ v.g. ſolis continentur effectus infiniti; & tamen plures effectus continet Deus, quàm ſol: ergo in infinito materialiter ſumpto datur inæqualitas, & exceſsus.

§. II.

Refertur opinio contraria.

37 ALexander Aphrodiſæus *lib.* 3. *quæſt. natural. cap.* 12. negat, infinitum poſse vlla ratione excedi ab alio. Quam opinionem amplectuntur plures alij, illamque reputant probabilem Conimb. *in hoc lib. cap.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 4. Suadetur primò; nam quod ſuperatur ab alio, habet ſecundum hanc rationem terminum, & finem; cùm vlterius non progrediatur: ergo ex hac parte non eſt infinitum, & per conſequens repugnat infinito eſse maius alio. Explicatur hoc; quoniam datis duobus numeris, ſi vnus eſt maior alio; iam iſte ſiſtit

ibi, vbi exceditur ab altero, ac proinde habet terminum; quo nihil magis aduerſatur infinito.

Reſpondetur, quod licèt ſit contra naturam infiniti habere terminum intrinſecum, ſeu vltimum ſui; minimè aduerſatur ei terminus extrinſecus, ſiue hoc, quod eſt non habere tantam materiam, quantam habet aliud. Nam negatio termini intrinſeci eſt, quo conſtituitur infinitum, etſi hoc nequeat ad aliquem terminum extrinſecum peruenire. Quod ſatis conſtat; tum ex eo, quod data creatura in aliquo genere ſimpliciter infinita, quàm aliqui adſtruunt eſſe poſſibilem, adhuc haberet terminum extrinſecum ſuæ perfectionis, nimirum Deum. Tum etiam, quia homines v. g. poſſibiles ſunt infiniti, & tamen non adæquant multitudinem creaturarum poſſibilium, vt ex ſe conſtat. Quare non opponitur infinito, quod habeat terminum extrinſecum, ad quem non perueniat, ſed citra illum ſiſtat quaſi negatiuè.

38 Secundò arguitur: quia vnum infinitum non poteſt excedere aliud exceſſu finito; ſiquidem infinitum ex propria ratione importat infinitudinem: neque illud valet ſuperare exceſſu infinito; aliàs vni deficeret infinitas; contra id, quod ſupponitur: ergo vnum infinitum nequit vllo modo eſſe maius alio.

Reſpondetur, quod loquendo de infinito formaliter ſumpto, ſiue ex parte formæ, non valet vnum excedere aliud, vt conſtat ex dictis prima aſſertione. Si verò conſideretur infinitum ex parte materiæ, poteſt vnum eſſe maius alio, aliquando exceſſu finito, & aliquando infinito. Primum conſtat: quia datis duobus numeris infinitis Angelorum, & inter ſe æqualibus, poſſet Deus deſtruere centum Angelos in vno, & non in alio: & conſequenter vnus numerus excederet alium exceſſu finito. Secundum etiam liquet ex exemplo creaturarum poſſibilium, quæ infinitos homines poſſibiles excedunt exceſſu infinito. Neque hinc ſequitur vnum infinitum eſſe inæquale alteri in ipſa formaliſſima ratione infinitudinis, ſiue in carentia termini intrinſeci; ſed ſolùm in materia, quæ poteſt eſſe maior, & minor; licèt vtrobique ſit infinita.

39 Vltimò arguitur: quoniam nequit excogitari maior multitudo, quàm illa, quæ habet omnes ſpecies numeri, & has infinities multiplicatas, v. g. infinitos binarios, infinitos ternarios, & ſic de aliis: atqui de ratione cuiuſuis numeri infiniti eſt habere omnes ſpecies poſſibiles, & infinities multiplicatas: ergo impoſſibile eſt, quod vnus numerus ſuperet alium. Minor conſtat; quia alias, ſi ternarij v. g. illius multitudinis eſſent finiti, diuiſa illa multitudine in ternarios finitos, ex quibus conſtabit, nihil talis multitudinis ſupereſſet; quod repugnat infinito, cùm ſit inexhauribile; ergo de ratione numeri infiniti eſt habere infinitos ternarios, & infinities multiplicabiles; & idem eſt de aliis ſpeciebus.

Reſpondetur negando maiorem: quoniam opus non eſt, quod multitudo habens ſpecies infinitas, & infinities multiplicatas, habeat illas ita infinities repetitas, vt nequeat ab alia multitudine ſuperari. Ad rationem itaque multitudinis infinitæ ſufficit, & requiritur, quod habeat omnes ſpecies numeri infinitè multiplicatas: ſed vltra excogitari poteſt alia multitudo, quæ habeat eaſdem ſpecies pluries repetitas, quam infinitè. Sicut in media parte Vlnæ ſunt infinitæ partes, imò infinities infinitæ; & tamen in alia medietate ſunt aliæ partes etiam infinities infinitæ: vnde à fortiori ſequitur eſſe in tota vlna plures partes, quam infinitæ infinities repetitæ. Quare optimè excogitari poteſt vnus numerus infinitus maior altero infinito.

LIBER

LIBER IV.

PHYSICORVM.

ENS naturale, ſiue ſubiectum motui comitantur motus, locus, & tempus: & ideò poſtquam Ariſt. tractauit de ente naturali, explicuitquè potiſsimam eius paſsionem, videlicet motum, incipit agere de loco, & tempore. Et quia mobile ratione ſui eſt in loco, & ratione motus tempore menſuratur: priùs diſſerit de loco, & etiam de vacuo, quod eſt locus non repletus corpore; exindè verò de tempore ſermonem inſtituit. Complectitur autem loci, & temporis notitiam quatuordecim capitibus, in quibus perfectè diſcutit quæcumque circa hanc materiam poßunt dubitari: Quæ omnia curabimus maiori, qua potuerimus, breuitate comprehendere, & perſpicuitate explanere.

DISPVTATIO XIX.

De loco.

VT Philoſophum non ſolùm in ipſis rebus, ſed etiam in ordine doctrinæ ſequamur, priùs agemus de loco, & eius proprietatibus, & poſtea de tempore ſtudebimus tractare.

QVÆSTIO I.

An ſit, & quid ſit locus.

1 PRimæ partis quæſtionis aperta ſe ſe offert reſolutio: quia ſatis manifeſtum eſt, locum in rerum natura exiſtere: tùm propter auctoritatem Ariſtot. *in hoc lib. cap. 4.* & D. Thom. ibidem *lect. 5. & opuſc. 42.* & communem Philoſophorum conſenſum, à quibus hæc veritas recipitur. Tùm etiam, quia ſicut ex tranſmutatione ſecundum formas ſubſtantiales rectè colligitur eſſe in rerum natura aliquod commune ſubiectum, quod omnibus illis ſubſit, & in quo ipſæ recipiantur; quod appellamus materiam primam: ſic ex tranſmutatione corporum ſecundum locum, quæ conſiſtit in eo, quod vnum corpus ſit, vbi priùs erat aliud, benè infertur, eſſe à parte rei quoddam commune receptaculum, à quo mutuo corpora ſe expellant, & in quo ſibi inuicem ſuccedant: quod receptaculum *loci* nomine ſignificatur. Tùm deniquè, quia corpus non mouetur naturaliter, niſi ad aliquid reale conſequendum: conſtat autem plura corpora moueri naturaliter ad locum, vt in eo recipiantur, & foueantur: ergo locus eſt aliquid reale, & exiſtit à parte rei. Ex quibus etiam colligitur, quod locus ſit quid extrinſecum rei locatæ: quoniam corpus completum nequit vniri intrinſecè alteri, ſed ad ſummum extrinſecè, vt receptaculo ſui: at quod propriè exiſtit in loco eſt corpus completum: ergo locus eſt omninò extrinſecum rei locatæ.

Difficultas autem, & non leuis eſt in explicando naturam, & propriam quidditatem loci: quam vt decidamus, priùs dicemus quid locus non ſit; poſteà verò determinabimus, quid ſit, vel in quo intrinſecè conſiſtat.

§. I.

Mens Ariſtot. elucidatur duabus aſſertionibus.

2 DIcendum eſt primò, locum non eſſe *vbi*; neque ſpatium aliquod imaginarium inter latera corporis ambientis corpus locatum; nec tandem ſpatium verum, & reale, quod inter prædicta latera corporis continentis intercedat, ſitquè immateriale, & penetretur cum corpore locato. Hanc concluſionem ſtatuimus aduerſus varias aliorum opiniones infra referendas, quæ in aſſignando, quid ſit locus, maximè exorbitarunt à vero.

Probatur quoad omnes partes: prima quidem, nam, vt in Logica diximus, *vbi* eſt præſentia, ſiue reſpectus tranſcendentalis corporis locati ad locum: ergo nequit eſſe ipſe locus. ¶ Confirmatur primò, quoniam locus eſt id, in quo recipitur res locata: res autem non eſt in ſua vbicatione; ſed hæc potiùs eſt in re locata: ergo. ¶ Confirmatur ſecundò: quia locus debet eſſe non ſolùm diſtinctus à re locata; ſed etiam extrinſecus illi: at *vbi*, licèt diſtinguatur à corpore locato, eſt quid intrinſecum illi, cùm ipſum intrinſecè afficiat, & ei inhæ-

reat:

teat: ergo locus nequit conſiſtere in *vbi*.

Secunda pars etiam oſtenditur: tùm quia locatum continetur à loco: ſed nulla res poteſt contineri, & eſſe in pura nihilitate: ergo cum illud ſpatium imaginarium ſit in re nihil, non valet ſortiri naturam loci. Tùm etiam, quia locus eſt conſeruatiuus rei locatæ, vt infra dicemus: conſtat autem ſpatium imaginarium non poſſe habere vim corporum conſeruatiuam: ergo. Tùm denique quia corpora naturali inclinatione mouentur ad locum: ſed nulla res inclinatur naturaliter ad nihil: ergo locus nequit conſiſtere in ſpatio imaginatio, quod re ipſa nihil eſt.

Tandem veritas tertiæ partis noſtræ aſſertionis liquidò apparet: quoniam prædictum corpus reale, immateriale tamen, & penetrabile eſt prorſus chimæricum, & impoſſibile; cùm nequeat eſſe ſubſtantia, vel accidens, quod ſic oſtenditur: nam ſi eſt ſubſtantia, vel eſt corporea, vel ſpiritualis. Si corporea: ergo eſt naturaliter impenetrabilis, & conſequenter non poterit penetrari, & intimè vniri cum corpore locato; ſed expellet illud à proprio ſitu. Si autem ſpiritualis: ergo eſt inepta ad rationem loci: hic enim debet habere extenſionem, vt ſic poſſit locatum vndequaque circumſcribere: ſubſtantia autem ſpiritualis eſt inextenſibilis. Ex quibus etiam ſatis conuincitur, quod nequit eſſe accidens: quia hoc naturaliter loquendo, non poteſt eſſe à ſubiecto ſeparatum. Præterquam, quod ſi accidens eſt corporeum erit neceſſariò quantum, ſubindequè impenetrabile; ſi verò ſpirituale, erit indiuiſibile, ac proinde impotens, vt ambiat corpus locatum.

3 Dicendum eſt ſecundò, locum eſſe vltimam ſuperficiem corporis continentis, v. g. locum proprium elementi aëris eſſe vltimam ſuperficiem concauam elementi ignis. Ita Ariſtot. & D. Thom. *loc. citat.* B. Albertus, Themiſtius, Auerroës, Auicena, Ægidus, Burleus, Soto, Iauellus, & alij plurimi, quos refert, & ſequitur Maſius in præſenti *cap. 4. ſect. 1. quæſt. 3.*

Probatur primò: quoniam locus nequit conſiſtere in *vbi*, aut ſpatio imaginario, aut in ſpatio reali extenſo, impenetrabili, & immateriali, vt conſtat ex nuper dictis: ergo conſiſtit in vltima ſuperficie corporis ambientis. Patet conſequentia à ſufficiente enumeratione eorum, quæ poſſent habere rationem loci. Maximè, quia locus eſt quid extrinſecum rei locatæ, ac proinde non valet conſiſtere in materia, forma, aut aliquo accidenti intrinſeco. Porrò ex ijs, quæ extrinſeca ſunt, nihil poteſt excogitari aptiùs ad conſtitutionem loci, quam ſuperficies vltima corporis ambientis: ergo in ea conſiſtit eſſentia loci.

Secundò probatur à priori: quoniam locus proprius alicuius corporis debet eſſe illi æqualis, ipſumquè ex omni parte tangere, & circumſcribere, vt conſtat, tùm ex ſe, tùm ex communi omnium modo concipiendi: ſed hæc competunt ſuperficiei vltimæ corporis continentis: ergo eſt locus. Minor conſtat: nam talis ſuperficies, quatenùs eſt longa, & lata poteſt adæquari locato, & illud vndique circumſcribere; & quatenùs eſt indiuiſibilis verſus profunditatem, poteſt tangere rem locatam abſque penetratione cum illa. Quod ſatis apparet in orbibus cœleſtibus: ſuperficies ſiquidem vltima, & concaua cœli Mercurij æqualis eſt ſuperficiei vltimæ conuexæ cœli Lunæ, & illam vndequaque tangit, & circumſcribit. Nulla igitur eſt conditio loci, quæ ſuperficiei vltimæ corporis continentis apprimè non conueniat; & per conſequens in ea debet natura loci conſtitui.

§. II.

Recenſentur contrariorum placita.

4 PLures fuerunt apud antiquos dicendi modi, circa conſtitutionem loci, quos omnes referre, & prolixum, & minus vtile eſſet. Et ideò tres tantùm, ſuppreſſis alijs, proponemus, qui videntur principaliores, & minùs aberrarunt à veritate. Prima ergo opinio defendit, locum eſſe idem, ac *vbi*. Et probatur; quia locus eſt id, à quo res dicitur locata, ſeu exiſtens in loco: ſed *vbi* tribuit hanc denominationem; ergo *vbi* eſt locus. Suadetur minor; nam locari, ſeu eſse in loco, eſt eſse *alicubi*; conſtat autem, quod eſse alicubi eſt effectus proprius vbicationis; ergo. ¶ Confirmatur; quia id, quod eſt terminus motus localis, & à quo ſumitur relatio propinquitatis, & diſtantiæ, nequit non eſse locus: ſed hæc omnia competunt *vbi*; ſiquidem terminat motum localem, & ab eo prouenit, quod Petrus v. g. ſit hic vbicatus, & conſequenter diſtet à Ioanne, vel ſit ei approximatus: ergo *vbi*, & locus ſunt idem.

Hęc tamen leuia ſunt; ad argumentum enim reſpondetur, locum eſſe quid extrinſecum rei locatę; quare locus tribuit denominationem locati, vel vbicati ſolùm extrinſecè, & cauſaliter; quia eſt id, ex cuius adiacentia reſultat *vbi*; non verò formaliter, & intrinſecè, ſed hoc pacto denominatur ab *vbi*. Quare ſatis apparet diſtinctio inter *vbi*, & locum. Per quod conſtat ad confirmationem: nam terminus intrinſecus motus localis eſt *vbi*; terminus verò extrinſecus eſt locus. Relatio autem diſtantiæ conuenit per ſe primò ratione loci: quoniam vnum corpus diſtat ab alio ex eo, quod eſt in hoc loco potiùs, quam in illo. *Vbi* autem eſt modus reſultans ex adiacentia loci, & ſic neceſſariò ſupponit illum, vt id, à quo relatio diſtantiæ, vel propinquitatis prius deſumitur. Videantur ſupra dicta *diſp. 16. q. 4.*

5 Secunda ſententia docet, locum eſſe illud ſpatium imaginarium, in quo quaſi penetratiuè eſt locatum: v. g. locum terræ aſſerit eſſe interuallum illud, quod intercedit inter latera aquæ terram ambientis, & quod maneret idem, etſi terra, & aqua perirent. Ita ſentiunt nonnulli, quos refert Auicenna *lib. 2. ſufficient. cap. 6.* Probatur primò: quia hoc ſpatium imaginarium eſt immobile, quod continet locatum, & ei omnino adæquatur: ergo habet proprias loci conditiones, eritque proinde locus. ¶ Confirmatur primò: quia ſi aqua ambiens terram deſtrueretur, adhuc iſta maneret in ſuo loco naturali: at non ob aliam rationem, niſi quia perſiſteret in illo ſpatio imaginario: ergo huic conuenit natura loci. ¶ Confirmatur ſecundò, quia ſi daretur vacuum, poſſet in eo dari motus localis, ſiue à loco in locum: ſed ibi non eſſet alius locus quam ſpatium imaginarium: ergo hic eſt locus.

Reſpondetur ad argumentum, quod ſpatium imaginarium nullam ex illis conditionibus habet verè, & realiter; ſed imaginatiuè duntaxat: quod minimè ſufficit ad conſtituendum locum verum, & realem.

Ad primam confirmationem dicimus, in eo euentu non manere terram in loco particulari, & ſibi proprio; ſed tantùm in loco communi, nempè intra ambitum cœli: atque ideò non eſſe, ſimpliciter, & omnibus modis in loco naturali. Per quod etiam patet ad ſecundam: quia in eo caſu non moueretur corpus ab vno loco particulari in aliud particulare; ſed ab eſſe in vna parte loci communis ad eſſe in alia. Quod diſputatione ſequenti latius exponemus.

6 Tertia ſententia aſſerit, locum non eſſe ſpatium

ima-

Digitized by Google

imaginarium, quod adſtruit ſecunda opinio; ſed conſiſtere in quodam ſpatio reali habente eaſdem conditiones, quas alij attribuunt ſpatio imaginario, & conſequenter tale ſpatium reale penetrari cum omnibus corporibus locatis. Hic modus dicendi fuit communis inter Stoicos, & Platonicos, illumquè amplexati ſunt Proclus, Licius, Straton, Lanſacenus, Sirianus, & Galenus, vt inquit Simplicius in digreſſione de loco. Et vltima eius pars, in qua nobis contradicit, probatur: quoniam locus debet eſſe talis conditionis, quod poſſit à corpore locato penetrari, ſiquidem illud recipit intra ſe; ſed hoc conuenit ſpatio reali, quod ſitum eſt intra latera corporis ambientis: ergo in hoc ſpatio conſiſtit natura loci. ¶ Confirmatur quia locus debet eſſe æqualis locato: ſed hoc competit ſpatio illi reali; ſecùs verò ſuperficiei vltimæ corporis continentis: ergo. Minor quoad ſecundam partem oſtenditur: quia corpus locatum habet trinam dimenſionem: at ſuperficies tantùm habet duas, nimirùm longitudinem, & latitudinem: ergo hæc ſuperficies non coæquatur rei locatæ.

Ad hæc tamen facilè eſt occurrere: nam vt locus recipiat, & ambiat corpus locatum, non debet penetrari cum eo: corpus ſiquidem cum alio penetratum non eſt locus eius; ſed potiùs ambo ſunt in eodem loco. Æqualitas autem, quæ eſt de ratione loci, non conſiſtit in hoc, quod ſit trinæ dimenſionis, ſicut locatum; ſed in eo, quod vltimæ ſuperficies corporis locantis, & locati, ſint æqualis extenſionis, & ſe inuicem vndiquè contingant: ad quod potius requiritur vtramque ſuperficiem eſſe indiuiſibilem verſus profunditatem, vt ſatis conſtat ex dictis.

QVÆSTIO II.

An immobilitas ſit de ratione loci.

VLtra ſuperficiem ambientem communiter Doctores expoſcunt immobilitatem eius, vt loci naturam adæquatè conſtituant. Quod pluribus difficultatibus obnoxium eſt; & idcircò indiget diſcuſſione.

§. I.

Elucidatur communis ſententia.

7 DIcendum eſt, locum eſſentialiter eſſe immobilem. Ita Philoſophus *in hoc lib. text. 41.* vbi ait: *Eſt autem ſicut vas locus tranſmutabilis, ſic locus vas immobile.* Vbi D. Thom. *lect. 6. Vas* (inquit) *& locus in hoc differre videntur, quod vas tranſmutatur, locus autem non: vnde ſicut vas poteſt dici locus tranſmutabilis, ita locus poteſt dici vas immobile. Et ideo cùm aliquid mouetur in aliquo corpore, quod mouetur, ſicut nauis in flumine, vtitur iſto, in quo mouetur, magis ſicut vaſe, quam ſicut loco continente: quia locus eſſe vult immobilis, id eſt, de natura loci eſt, quod ſit immobilis.* Et hic modus dicendi eſt concors placitum Philoſophorum.

Probatur ratione deſumpta ex D. Thom. *opuſc. 52.* quoniam quod mouetur localiter eſt in loco: ergo ſi locus, quatenùs talis, eſſet mobilis; locus vt talis exiſteret in loco: conſequens eſt abſurdum: nam ex eo ſequeretur proceſſus in infinitum: ergo locus ſub ratione loci importat immobilitatem. ¶ Confirmatur: quia ſi locus ſurſum proprius corporis leuis, & locus deorſum proprius corporis grauis non eſſent immobiles; ſequeretur, motus talium corporum ad ea loca non eſſe naturales, & neceſſarios: ſed contingentes, & per accidens: nam poſſet contingere, quod locus grauium aſcenderet & locus leuium deſcenderet: conſequens eſt abſurdum: ergo immobilitas eſt de ratione loci. ¶ Ad hæc: locus eſt terminus *à quo*, & *ad quem* motus localis: ſed terminus *à quo* non defertur cum mobili, ſed deſeritur, & terminus *ad quem* eſt id, in quo mobile ſiſtit, & quieſcit: ergo locus non mouetur de loco in locum; ſed eſſentialiter importat immobilitatem.

8 Oportet autem explicare, vnde immobilitas loci deſumatur: ex hac quippè radice intelligentia communis aſſertionis dependet, qua detecta, illius veritas liquidò apparebit. Pro cuius luce obſeruandum eſt, quod ſuperficies ambiens v. g. Complutum non habet rationem loci, niſi quatenùs importat relationem determinatæ diſtantiæ ad primum continens, nempè ad cœlum ſupremum, ad centrum terræ, & ad polos mundi. Hæc autem diſtantia poteſt ſumi materialiter, & formaliter. Primo modo importat, eſſe hanc numero diſtantiam, huic particulari ſuperficiei inhærentem. Poſteriori verò modo, ſolùm dicit diſtantiam ad prædictos terminos per tot gradus: quare, perſiſtentibus eiuſdem gradibus, perſeuerat eadem formaliter diſtantia in eſſe diſtantiæ; quamuis ſuperficies, quibus inhæret, varientur. Vnde ſuperficies, quæ ſubſtat diſtantiæ, poteſt etiam dupliciter conſiderari: vno modo materialiter, quo pacto dicit ſe ipſam, prout eſt accidens huius determinati corporis v. g. aëris, & non alterius, v. g. aquæ. Alio modo formaliter, qua ratione dicit ſeipſam prout ſubeſt relationi diſtantiæ ad terminos mundi. Et ideò ſecundùm hanc poſteriorem conſiderationem accepta, non importat eſſe ſuperficiem aëris, vel aquæ; ſed ſolùm dicit eſſe ſubiectum diſtantiæ per tot gradus.

9 Hinc ergo apparet veritas noſtræ concluſionis: quoniam locus non conſiſtit in ſuperficie, & diſtantia materialiter ſumptis, ſed in eiſdem formaliter acceptis; atqui iſtæ formaliter conſideratæ ſunt inuariabiles: ergo locus eſſentialiter eſt immobilis. Minor conſtat ex his, quæ prænotauimus. Maior autem ſuadetur: quoniam vni locato ſecundùm numerum debet vnus numero locus reſpondere: ſed baculus exiſtens partim in aqua, & partim in aëre eſt vnum numero locatum: ergo eſt in eodem numero loco formaliter ſumpto: conſtat autem ſuperficies aquæ, & aëris eſſe materialiter diuerſas: ergo identitas loci, ac proinde eſſe illius non ſumitur à ſuperficie, & diſtantia materialiter acceptis, ſed formaliter ſumptis, videlicet quatenùs important tot gradus.

Explicatur hoc: quoniam certum eſt Venetias v. g. eſſe in eodem numero loco; cum non moueantur localiter. Quis hoc neget? Et tamen ſuperficies aquæ vel aëris illas ambientis ſunt materialiter diuerſæ, cum fluant, & refluant: ergo identitas loci, vt locus eſt, non deſumitur à ſuperficie corporis continentis materialiter conſiderata; ſed formaliter ſumpta, ſiue quatenùs dicit diſtantiam per tot gradus. Nam quia ſuperficies illæ continuò fluentes, & inuicem ſuccedentes important relationem eiuſdem diſtantię ad primum continens, & polos mundi, ideò verificatur, Venetias eſſe in eodem loco: conſtat autem prędictam diſtantiam eſſe omninò inuariabilem: nam hoc ipſo, quod gradus ſint plures, vel pauciores, iam non eſt eadem numero diſtantia, ſed diuerſa: ergo cum locus eſſentialiter importat hanc diſtantiam, ſequitur, quod immobilitas ſit de eſſentia loci.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Occurritur obiectionibus.

10 QVamuis doctrina hactenus tradita ſit adeò certa, pluribus tamen obiectionibus impugnatur, quibus proinde oportet occurrere. Ergo obijcies primò; locus eſt ſuperficies corporis continentis; ſed prędicta ſuperficies mouetur ad motum corporis, in quo eſt; ergo locus mouetur.

Reſpondetur, loci identitatem, & conſequenter immobilitatem non deſumi ex ſuperficie materialiter ſumpta, ſed ex eadem formaliter accepta, ſiue prout ſubeſt relationi diſtantię per tot gradus. Porrò omnes ſuperficies fluentes, & refluentes, & ambientes v. g. ſaxum exiſtens in flumine fundant eandem formaliter diſtantiam; cùm ſemper ſit per eoſdem gradus. Vnde ſicut verificatur, quod illud ſaxum non mouetur; ſic verificatur, quod locus eius eſt ſemper idem, quamuis ſuperficies materialiter varientur.

Replicabis; nam prædicta relatio diſtantię eſt accidens inhęrens ſuperficiei ambienti; ſed ſuperficies mutatur, vt concedimùs, ergo: & diſtantia. Patet conſequentia; quoniam vnum accidens non tranſmigrat de ſubiecto in ſubiectum; ergo implicat, quod variatis ſuperficiebus, perſiſtat eadem diſtantia.

11 Vt huic obiectioni, quę principalis eſt in hac materia, liquidò ſatis fiat, obſeruandum eſt, vnitatem numericam ſuperficiei in ratione loci, ſiue in munere ſubiecti diſtantię, non deſumi ex aliqua eius entitate determinata; ſed ex vna, vel ex pluribus ſuperficiebus continuò ſuccedentibus in eodem ſitu, atque gradu diſtantię. Sicut vnitas numerica materię primę Petri formaliter ſumpta, non conſiſtit in aliqua portione determinata; ſed ſumitur ex pluribus, abſque interruptione ſuccedentibus ſub actuatione eiuſdem formę. Vnde ſicut verificatur, quod Petrus habet, quandiù viuit, eandem numero materiam primam; quamuis omnes eius portiones ſint in continuo fluxu, & pereant ſucceſſiuè vi caloris naturalis humidum radicale depaſcentis, quoniam illa ſucceſſio non interrupta ſub eadem forma confert illis vnitatem ſufficientem, vt materia formaliter accepta dicatur vna numero: ita omnes ſuperficies ſuccedentes ſub eodem gradu diſtantię, & in eadem coordinatione ſitus ſunt formaliter vna numero ſuperficies, tùm in ratione loci, tùm, in eſſe ſubiecti relationis diſtantię.

Hinc ad replicam reſpondetur, relationes diſtantiæ materialiter conſideratas dependere à ſuperficiebus eodem modo ſumptis; atque ideo eſſe ſubiectas mutationi, ſicut ipſę ſuperficies ſubiectę ſunt. Cęterùm relatio diſtantię formaliter accepta, ſolùm dependet à ſuperficie formaliter conſiderata: quocirca ſicut iſta non variatur, ita, & illa immobilis perſeuerat. Identitas autem, & immobilitas loci non dependet à ſuperficie, & diſtantia ſumptis materialiter, ſed formaliter acceptis, qua ratione ſunt immobiles, vt patet ex dictis.

12 Animaduertendum tamen eſt (vt ſic cuiuſdam Iunioris obiectionem pręoccupemus) ſubiectum adęquatum relationis diſtantię localis formaliter acceptę, non eſſe plures ſuperficies ſimul ſumptas, ſed ſolum eſſe vnicam, & eandem formaliter ſuperficiem: cuius vnitas numerica, tàm in ratione loci, quàm in officio ſubſtandi relationi diſtantiæ formaliter conſideratæ, ſaluatur, ſicut in ſubſtracto, vel in vna materialiter ſuperficie, vel in pluribus continuò, & abſque interruptione in eodem ſitu ſuccedentibus. Quod poteſt declarari exemplo paternitatis, quæ vna, & eadem exiſtens valet terminari modò ad vnum filium, modo ad plures, & ſemper habet eundem formaliter terminum. Quoniam hic non conſiſtit in aliquo ex genitis materialiter, & determinatè conſiderato; ſed conſiſtit in ratione formali filij: ſiue hæc ratio exiſtat in vno, ſiue in pluribus; hoc quippè de materiali eſt. Et ideo quandiù perſeuerat filius, ſiue vnus ſit, ſiue multiplex, tandiu perſiſtit idem formaliter terminus paternitatis, & conſequenter ipſa paternitas. Quæ proportionabiliter queunt præſenti difficultati, atque doctrinæ adaptari.

Ex quibus etiam colligitur, quod ſi Deus deſtrueret omninò ſuperficiem ambientem v. g. Complutum, ita vt alia non ſuccederet immediatè; ſed poſt aliquod tempus; tunc non eſſet Complutum in eodem numero loco, ſed in diuerſo: quamuis poſtea ſuccederet relatio diſtantiæ per eoſdem gradus. Ratio eſt: quoniam ad vnitatem numericam loci, requiritur vnitas ordinis non interrupta ex parte ſuperficierum: nam ijs omninò deſtructis, perit adæquata ratio loci, tàm formaliter, quàm materialiter, ſumpti; cùm nihil permaneat, in quo poſſit perſiſtere. Quod etiam liquet exemplo paternitatis; hęc enim ſtatim perit, vbi omnes filij moriuntur; non autem ſi vnus pereat, & alius maneat, vel ſi in inſtanti; in quo vnus perit, generatur alius. Quod ſi poſt mortem omnium alius producatur, reſultat quidem paternitas, non eadem numero cum antiqua, ſed alia numero diuerſa. Sic in noſtro caſu contingeret propter ſimilem rationem.

13 Secundò obijcies, poteſt locus manere immobilis, variata diſtantia: ergo immobilitas nequit loco conuenire propter relationem diſtantiæ, & conſequenter corruit ſecunda ratio à nobis ſupra constructa. Antecedens ſuadetur: quia ſi quieſcentibus terra, & eius loco v. g. aqua, & aëre illam ambientibus, Deus moueret cœlum verſus orientem, tunc terra, & locus eius manerent omninò immota, & nihilominùs variaretur diſtantia ad primum continens, & polos mundi, vt per ſe patet: ergo poteſt locus manere immotus, mutata diſtantia. ¶ Et confirmatur: nam ſi Deus globum mundi cum omnibus ſuis partibus, ſimul, & ſemel ſurſùm eleuaret, omnia corpora mutarent locum; ſiquidem mouerentur localiter: & nihilominùs dicerent relationem eiuſdem diſtantiæ ad primum continens: ergo immobilitas, ſi quæ conuenit loco, non deſumitur à prædicta diſtantia.

Reſpondetur ad obiectionem, quod terra in eo euentu non maneret in eodem numero loco, ſed in diuerſo propter diuerſam diſtantiam aëris v. g. proximè locantis ad primum locans. Et quamuis aër non moueatur localiter, ſiue de loco in locum; variatur tamen realiter in eſſe loci, propter diuerſam diſtantiam ad primum continens, à qua in eſſe loci dependet.

Ad confirmationem dicendum eſt, nullum corpus in eo euentu manere adęquatè, & perfectè in loco: quoniam tunc primum cœlum amitteret rationem primi locantis; cùm de eius conceptu ſit immobilitas ſecundum ſe totum. Vndè nullus tunc remaneret locus, ſaltem perfectè: eò quod deſtructo primo alicuius generis, deſtruuntur alia, quę ab eo dependent. Quare licèt omnia corpora manerent in eadem diſtantia inter ſe; nullum tamen eſſet in loco, vel haberet propriam rationem loci, quandiù totus mundus moueretur. Quieſcente autem primo cœlo, inciperent omnia corpora eſſe in loco, qui non eſſet idem numero cum antiquo; ſed diſtingueretur ab eo, propter rationem ſupra tactam. Nec refert, quod omnia illa corpora mouerentur localiter, & ſic videtur, quod mutarent locum, & quod conſequenter eſſent in loco. Reſpondetur enim, quod ille motus non

eſſet

Digitized by Google

eſſet localis per ſe, ad quem requiritur, quod fiat de loco poſitiuè ad alium, qui ſit propriè, & poſitiuè locus, ſed eſſet motus impropriè localis, & quaſi per accidens: pro quo ſufficit, quod totus mundi globus incipiat correſpondere diſtincto ſpatio imaginario. Et in eo caſu non produceretur in primo continenti aliqua vbicatio, ſaltem propria: nam cum *vbi* ſit entitas valde imperfecta, non reſultat, niſi ex adiacentia alicuius ſuperficiei, quæ ad minùs inchoatè, & per modum ſubiecti habeat rationem loci: quæ reſpectu ſupremi corporis nulla tunc eſſet, vt ſupponitur: & ideò non produceretur *vbi* per talem motum; vel eſſet analogicè *vbi*, ſicut ipſe motus localis, cuius eſt terminus.

14 Vltimò obijcies: terminus relationis diſtantiæ eſt primum mobile, & poli eius, qui vna cum ipſo mouentur; cùm ſint partes, vel indiuiſibilia illius: ergo prædictus terminus non eſt immobilis, & per conſequens, non poterit locus deſumere ab eo aliquam immobilitatem.

Reſpondetur, quod cœlum non mouetur motu recto, ſeu de loco in locum, ſed duntaxat circulariter, ſiue circa locum: & ideò quamuis partes eius moueantur in eſſe partium, non tamen in eſſe loci; ſed ſemper cœlum perſeuerat adæquatè in eadem poſitione, & ſitu: quod ſatis eſt, vt ſit immobilis in eſſe termini diſtantiæ cæterorum corporum ad ipſum. Porrò id, quod mouetur circulariter, debet habere duo puncta fixa, ſupra quæ voluatur: & hæc reſpectu cœli, & mundi appellantur poli, ſeu cardines: habentquè omnimodam immobilitatem, quia non mouentur ſecundum ſe tota, vt conſtat, neque ſecundum partes, cùm ſint indiuiſibilia.

QVÆSTIO III.

Quæ ſuperficies conſtituat locum, & an ſit genus reſpectu illius.

VT definitio loci, nempè *ſuperficies vltima corporis continentis immobilis primi* maneat perfectè explicata, inueſtigandum eſt, quænam ſit ſuperficies poſita in hac definitione, & qualiter locus componatur ex ipſa, & relatione diſtantiæ. Quæ duo ſub vna quæſtione coniungimus, quia minoris momenti ſunt, & intellectu facilia; in quibus proinde non ſubſiſtemus.

§. I.

Enodatio prima difficultatis.

15 DIcendum eſt primò, ſuperficiem, quæ eſt de ratione loci, eſſe primam, & immediatam locato. Aſſertio hæc deſumitur ex Ariſtot. nam illa particula *primi*, vel vt alij vertunt, *prima*, qua vtitur definiens locum, ponitur ad hoc ſignificandum, vt exponunt D. Thom. & alij Interpretes. Probatur ratione: quia in præſenti non loquimur de loco communi, qualis eſt primum cœlum reſpectu omnium corporum; ſed de loco proprio, & particulari vniuſcuiuſque corporis, qualiter ſe habet concauum Lunæ reſpectu ignis: atqui de ratione loci particularis eſt ſuperficies immediata locato: ergo &c. Minor conſtat, tùm quia ideò orbis Lunæ eſt locus proprius elementi ignis, quoniam immediatè ambit ipſum; & è contra eſt locus communis reſpectu terræ, quia illam non circumſcribit immediatè. Tùm etiam quia de ratione loci proprij eſt, quod ſit æqualis locato, vt ſatis exprimunt Ariſtot. *cap.* 1. & D. Thom. *ibidem*: ſed hanc æqualitatem ſolùm importat ſuperficies immediata, ſeu proximè tangens locatum: ſecùs verò ſuperficies communis, & remota: ergo nomine ſuperficiei poſitæ in definitione loci, intelligenda eſt ſuperficies prima, & immediata locato.

16 Dices: de ratione loci eſt, quod contineat locatum: ſed continens nequit eſſe æquale contento; ſed eſt maius eo, vt ſatis ex ſe patet: ergo ſi ſuperficies proxima locato eſt ei æqualis, non poterit eſſe locus illius.

Reſpondetur, locatum non contineri à loco, ſed à corpore ſuperiori, cuius vltima ſuperficies habet rationem loci: & ideò Ariſtot. non dixit locum eſſe ſuperficiem continentem; ſed eſſe *vltimam ſuperficiem corporis continentis*. Porrò corpus ſuperius maius eſt corpore circumſcripto, atque ideò poteſt illud continere.

Sed replicabis: quoniam ideò corpus ſuperius continet, quia vltima eius ſuperficies immediatè ambit locatum: ſed *propter quod vnumquodque tale* &c. ergo continere locatum per priùs conuenit loco, quam corporis locanti, cuius ipſe eſt vltima ſuperficies: & per conſequens non rectè diximus, locum debere eſſe æqualem locato. ¶ Ad hæc: Locus ſolùm habet duas dimenſiones; corpus verò locatum habet tres, & occupat omne ſpatium inter latera corporis continentis; ergo impoſſibile eſt, quod locus coæquetur locato.

Reſpondetur, dupliciter poſſe aliquid continere aliud: vno modo, vt *quod*, ſiue vt propriè continens: alio modo, vt *quo*, ſiue vt ratio continendi. Inter hos autem modos continendi hoc eſt diſcrimen, quod res continens aliam vt *quod*, debet eſſe maior ea: illa verò, quæ continet aliam vt *quo*, debet eſſe æqualis rei contentæ: ita quod ſuperficies concaua corporis continentis, & ſuperficies conuexa corporis contenti habeant inter ſe adæquationem. Et ratio eſt: quia hic modus continendi fit per omnimodam correſpondentiam, & commenſurationem inter rationes formales continendi actiuè, & paſſiuè. Locus autem non continet locatum vt *quod*; ſed ſolùm vt *quo*: & idcircò non oportet, quod ſit maior ſuperficie conuexa corporis locati; ſed potiùs debet illi per adæquationem correſpondere.

§. II.

Reſoluitur poſterior difficultas.

17 DIcendum eſt ſecundò, ſuperficiem reſpectu loci ſe habere per modum ſubiecti, & materiæ; non verò per modum generis. Sic docent communiter Thomiſtæ, quibus ſubſcribit Rubio in præſenti, *quæſt.* 3. Probatur ex Ariſtot. & D. Thom. 5. *Metaph. cap.* 15. vbi docent, locum eſſe quantum per accidens: ergo ſentiunt, quod locus non conſtat ex ſuperficie, ſicut ex genere, ſed ſolùm ſicut ex materia: ex qua ſimul cum relatione diſtantiæ, quæ ſe habet ad inſtar formæ reſultat locus. Patet conſequentia: quoniam ſi ſuperficies verè eſſet genus ad locum, iſte eſſet quantus per ſe, ſiquidem foret ſpecies ſuperficiei, quæ eſt propriè, & rigoroſè quantitas.

18 Secundò id ipſum probatur ratione; quoniam ſpecies contrahit eſſentialiter genus ad ſpecialem rationem; ſed locus nequit contrahere ſuperficiem; ergo hęc non ſe habet, vt genus reſpectu illius. Suadetur minor; quia ſuperficies dicit extenſionem verſus longitudinem, & latitudinem: ſed locus importat hanc eandem extenſionem, & nullum alium ſpecialem modum extenſionis habet: ergo locus non contrahit eſſentialiter ſuperficiem. Dicere namquè, quod locus præter ſuperficiem importat immobilitatem, quę ſe habet per modum indifferentię contrahentis, nullius momenti eſt: quoniam diffe-

Digitized by Google

differentia debet eſſe intranea generi: at immobilitas ſe habet per accidens ad ſuperficiem, & non pertinet ad genus quantitatis: ergo locus nequit conſtitui ex ſuperficie, & immobilitate, ſicut ex genere, & differentia, ſed ſicut ex materia, & forma.

Confirmatur: nam locus eſt ens per accidens reſultans ex rebus diuerſorum prædicamentorum: ergo nequit propriè conſtare ex genere, & differentia. Probatur antecedens: quoniam locus eſſentialiter importat ſuperficiem concauam; cùm hæc ſola ſit apta ad circumſcribendum vndiquè locatum: conſtat autem, ſuperficiem concauam inuoluere res diuerſorum prædicamentorum, nimirùm quantitatem, & figuram illam pertinentem ad genus qualitatis: ergo.

19 Oppoſitam ſententiam defendunt Soto 4. *Phyſic. quæſtion. 1. concl. 4.* Toletus, ibidem, *quæſt. 4.* & alij, quibus ſuffragari videtur D. Thom. *in 2. diſt. 12. quæſt. 1. art. 5. ad 2.* vbi ait: *Locus eſt idem per eſſentiam, quod ſuperficies corporis locantis.* Fundamentum eorum eſt: quoniam ſuperficies vt ſic, eſt genus ad illam, quæ habet rationem loci, & ad eam; quæ præciſè eſt ſuperficies; ſiquidem vtraque conuenit vniuocè in conceptu ſuperficiei, & diſtinguuntur proprijs differentijs, cùm vna importet continentiam, & immobilitatem; ſecus verò alia: ergo locus conſtituitur ex ſuperficie, ſicut ex genere, & ex immobilitate, tanquam ex differentia.

Confirmatur: nam menſura eſt proprietas quantitatis: ergo quæ conueniunt vniuocè in ratione menſuræ habent etiam conuenientiam vniuocam in ratione quantitatis: ſed ſuperficies, quæ eſt locus, & ſuperficies, quæ loci rationem non importat, conueniunt vniuocè in ratione menſuræ: ergo conueniunt vniuocè in ratione quantitatis. Minor ſuadetur: quia vtraque eſt menſura ſubſtantiæ, & aliàs diſtinguuntur eſſentialiter in hoc, quod vna eſt menſura intrinſeca, alia verò extrinſeca: ergo conueniunt in ratione menſuræ, ſicut in genere, & diſtinguuntur proprijs differentijs ſpecificis.

Hæc tamen leuia ſunt: ad fundamentum enim reſpondetur, negando antecedens, quia ſuperficies, quæ eſt locus, non addit ſupra conceptum ſuperficiei aliquam differentiam eſſentialem, & intraneam; ſed ſolùm immobilitatem, & figuram, quæ non pertinent ad genus quantitatis, ſed ſunt accidentia illius. Quarè ſuperficies, quæ eſt locus, & ſuperficies, quæ non eſt locus, non diſtinguuntur ſpecificè, & eſſentialiter; ſed duntaxat accidentaliter: ad eum ſanè modum, quo quantum album diſtinguitur à quanto, quod non eſt album. Quoniam locus nullum ſpecialem modum extenſionis addit ſupra ſuperficiem; ſed in extenſione, quam dicit, coincidit omninò cum ea: & ob id dixit D. Thom. locum eſſe per eſſentiam ſuperficiem: eò quod in ratione extenſionis nullo pacto differunt, nec comparantur inter ſe per modum generis, & ſpeciei.

Ad confirmationem neganda eſt minor: quia locus non addit aliquam ſpecialem rationem menſuræ, ſed eandem diuerſo modo conſideratam: eadem quippè quantitas comparata ad corpus, in quo eſt, nempè ad corpus locans, & continens, eſt menſura intrinſeca illius; ſi verò comparetur ad corpus, in quo non eſt, videlicet ad corpus locatum, & contentum, ſortitur rationem menſuræ extrinſecæ. Vndè vtraque menſura eſt reipſa eadem entitas, & quantitas: & ideò nequeunt diſtingui ſpecie, & comparari ad menſuram vt ſic, tanquam ad genus. Poſſet etiam non improbabiliter dici, quod ad eandem entitatem ſuperficiei conſequuntur duæ proprietates, nimirum ratio menſuræ intrinſecæ, & ratio menſuræ extrinſecæ: ſicut eandem eſſentiam animæ comitantur plures proprietates. Ex quo tamen minimè colligitur, locum componi ex ſuperficie, & immobilitate, ſicut ex genere, & differentia.

QVÆSTIO IV.

An locus naturalis addat ſupra rationem loci qualitatem conſeruatiuam locati.

DVplicem locum diſtinguunt communiter Philoſophi, nempè mathematicum, qui importat ſolam ſuperficiem continentem locatum, & abſtrahit à connaturali, & præternaturali, vel violento: & naturalem, qui vniuſcuiuſque rei inclinationi reſpondet: nulla quippè eſt, quæ innata propenſione in aliquem locum, ſicut in ſui centrum, non tendat. Et de loco ſic ſumpto procedit præſens difficultas.

§. Vnicus.

Defenditur communis ſententia.

20 DIcendum eſt, locum naturalem addere ſupra locum vt ſic, ſiue mathematicè acceptum, qualitatem conſeruatiuam rei locatæ. Hæc aſſertio eſt communis inter Philoſophos, vt teſtatur Maſius, *cap. 5. ſect. 1. quæſt. 6.* Probatur ex Ariſtot. *in hoc lib. cap. 1.* vbi rationem fundamentalem ſatis expreſſit his verbis: *Motus etiam naturalium corporum, & ſimplicium, vt ignis, & terræ, & aliorum huiuſmodi generis, non ſolùm locum aliquid eſſe declarant: ſed etiam vim quandam habere.* Quæ ſic interpretatur D. Thom. *lect. 2. Motus naturalis corporum naturalium oſtendit, quod locus habeat quandam potentiam, & virtutem. Videmus enim, quod vnumquodque fertur in ſuum locum, quando non impeditur, graue quidem deorſum, leue autem ſurſum. Ex quo patet, quod locus habet quandam virtutem conſeruandi locata: & propter hoc locatum tendit in ſuum locum, deſiderio ſuæ conſeruationis.*

Ex quibus deſumitur præcipua aſſertionis ratio; quoniam motus naturalis nequit eſſe vanus, & fruſtraneus, cùm ſit inditus ab Auctore naturæ; ſed entia naturalia tendunt in locum ſibi proprium maximo impetu; & eo acquiſito, ibi naturaliter quieſcunt: ergo prædictus locus importat qualitatem conſeruatiuam rei locatæ, eiquè valdè conſentaneam. Patet conſequentia: quia aliàs fruſtraneus eſſet ille motus, & impetus, quo ad aſſecutionem loci entia naturalia conantur; ſiquidem nihil inde vtilitatis, aut commodi reportarent. ¶ Confirmatur: nam experientia atteſtante, plura mixta, quæ conſeruantur in ſuis locis, vbi primum ab illis extrahuntur, citò pereunt, vt patet in piſcibus: ſed hoc non contingeret, niſi locus naturalis importaret qualitatem conſeruatiuam rei locatæ: ergo illam addit ſupra locum vt ſic, & mathematicè ſumptum.

21 Valleſius *lib. 6.* de ſacra Philoſophia tenet negatiuam ſententiam: quæ poteſt ſuaderi primò: quoniam cauſa formalis debet eſſe in eo, cui tribuit ſuum effectum formalem: at effectus formalis qualitatis conſeruatiuæ, nimirum eſſe conſeruatum, non recipitur in loco; ſed in re locata, vt ex ſe conſtat: ergo non eſt de ratione loci habere in ſe qualitatem conſeruatiuam locati.

Reſpondetur, qualitatem conſeruatiuam rei locatæ eſſe duplicem, alia enim conſeruat formaliter, & hæc recipitur in locato; alia verò conſeruat effectiuè, &

Digitized by Google

hæc recipitur in loco. Qualitas enim corporis locantis producit aliam qualitatem in corpore locato, à qua iſtud formaliter conſeruatur. Sicut etiam quando aqua calefit ab igne, adeſt ibi duplex calor: alius, qui calefacit actiuè, & hic ineſt igni; alter calefaciens formaliter, à quo redditur aqua formaliter, & intrinſecè calida.

22 Secundò arguitur: nam ſuperficies concaua ignis eſt locus naturalis reſpectu aëris: & tamen non importat qualitatem conſeruatiuam iſtius: ergo. Suadetur minor, quia ignis comburit partes aëris proximiores: ſed implicat aliquid conſeruari ab eo, à quo corrumpitur: ergo ignis non habet qualitatem conſeruatiuam aëris. ¶ Et confirmatur: quia terra eſt in ſuperficie concaua aquæ, ſicut in loco proprio, & naturali: & nihilominùs corrumpitur ab illa; ſiquidem humectatur ab ea, & humiditas aduerſatur naturali ſiccitati terræ: ergo non eſt de ratione loci naturalis conſeruare rem locatam.

Reſpondetur ex D. Thom. *opuſc.* 52. quod ſicut corpora inferiora habent rationem loci per reſpectum ad primum continens, quod eſt primus locus, & à quo alia in hoc genere dependent: ſic participant ab eo benignam quandam influentiam, & qualitatem, ratione cuius locus naturalis fouet, & conſeruat ſuum locatum; quamuis particulares eorum naturæ contrarientur inter ſe: nam hæc benigna qualitas temperat eorum inimicitias, & impedit ne rixentur. Et hac ratione ignis elementalis conſeruat aërem, & aqua terram. Porrò hæc influentia non communicatur à cœlo, niſi ad certam diſtantiam: ob cuius defectum ignis apud nos exiſtens, deſtruit aërem ſibi approximatum, quia non ſunt in ea diſtantia, & proportione, in qua communicetur vtrique prædicta qualitas. Addendum etiam eſt, qualitates elementorum inter ſe contrarias cohiberi à mutua deſtructione, & inimicitias quaſi deponere propter bonum vniuerſi; in cuius conſeruationem maiori inclinatione propendunt, quam in communicationem propriæ naturæ. Si enim ignis combureret extremas partis aëris, & illæ alias, & ſic de cæteris, deſtrueret tandem aërem: quod in magnum vniuerſi detrimentum vergeret. Ex quibus ſatis etiam conſtat ad confirmationem.

QVÆSTIO V.

Vtrum omnia entia naturalia ſint in loco.

ENtia naturalia, de quibus procedit præſens difficultas, reducuntur ad quatuor claſſes. In prima collocandum eſt primum continens, ſeu prima ſphęra; in ſecunda reliqui cœli; in tertia quatuor elementa; & in quarta omnia mixta.

23 Dicendum eſt ergo, omnia entia naturalia, excepta prima ſphęra eſſe actu in loco. Hęc concluſio recipitur vnanimi conſenſu Philoſophorum, & probatur inductiuè; quoniam mixta, cùm conſtent ex elementis, ſunt tanquam in loco in elemento in eis prędominante; & quia plus terrę ineſt eis, quam cęterorum elementorum, ideò ferè omnia ſunt in terra, ſicut in loco naturali. Terra autem eſt in aqua, aqua in aëre, aër in igne, ignis in concauo Lunę, Luna in Mercurio, Mercurius in Venere, Venus in Sole, Sol in Marte, Mars in Ioue, Iupiter in Saturno, & Saturnus in corpore ſtellato; quod in ſententia Ariſtot. eſt prima ſphęra, quę à nullo alio corpore ſuperiori circumſcribitur: ergo omnia entia naturalia, dempta prima ſphęra, ſunt actu in loco. ¶ Ad hęc; intra latitudinem huius vniuerſi non eſt vacuum, ſed omnia illius corpora ſunt contingua: ergo omnia ſunt, non ſolùm in loco communi, hoc eſt intra ambitum primi continentis; ſed etiam in loco vnicuique proprio, & naturali.

Vnde infertur, omnes formas ſubſtantiales, & accidentales prędictorum corporum eſſe in loco, non quidem per ſe, ſed per accidens, & ratione ſubiecti, vt docet D. Thom. in pręſenti *lect.* 7. his verbis; *Quædam ſecundum accidens ſunt in loco; ſicut anima, & omnes formæ*. Ratio eſt; quoniam eo modo aliquid eſt in loco, quo eſt quantitas; cùm hęc ſit principium *quo*, ſeu ratio formalis eſſendi in loco; atqui quantitas conuenit per ſe primò compoſito, formis verò, tàm ſubſtantialibus, quàm accidentalibus competit per accidens, ſiue per aliud, nempè ratione totius: ergo exiſtunt in loco, non per ſe; ſed ratione corporis, in quo ſunt.

Diximus in concluſione: *Excepta prima ſphæra;* quia de hac eſt ſpecialis difficultas, & pręcipuè in ſententia Ariſtotelis, qui tantùm concedit octo sphęras cœleſtes, videlicet ſeptem Planetas, & cœlum ſtellatum, quod appellauit primum mobile, exiſtimans omnes cœlos moueri. Et quamuis, vltra octo sphęras cognitas à Philoſopho, dentur alię tres; quarum vltima eſt propria ſedes Beatorum, & propter inſignem ſplendorem appellatur cœlum empyreum, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 66. *art.* 3. à nobis tamen qui Philoſophum agimus, & rem hanc iuxta principia Ariſtot. pertractamus, examinandum eſt, qualiter primum mobile in ſententia Philoſophi ſit in loco. Reſolutio verò dubij poterit cœlo empyreo proportionabiliter applicari.

§. I.

Illuſtratur mens Ariſtotelis.

24 DIcendum eſt primò, ſphæram primam, quæ in ſententia Philoſophi eſt octauum cœlum, & primum mobile, ſecundum ſe totam, & ratione ſui non eſſe actu in loco. Aſſertionem hanc ſtatuit Ariſtot. in præſenti, *cap.* 42. his verbis: *Cui quidem igitur corpori ineſt aliquod extra continens ipſum, hoc in loco eſt; cui verò non, minimè*. Quæ ſic elucidat D. Thom. *lect.* 1. *Concludit ergo primò ex præmiſſis, quod cùm locus ſit terminus continentis, cuicumque corpori adiacet aliquod corpus continens ipſum exteriùs, hoc eſt in loco ſimpliciter, & per ſe. Cui verò corpori non adiacet aliquod corpus exteriùs continens ipſum, minimè eſt in loco. Tale autem corpus in mundo non eſt, niſi vnum, ſcilicet vltima ſphæra, quæcumque ſit illa. Vnde ſecundum hanc determinationem ſequitur, quod vltima ſphæra non ſit in loco*. Quod iterum determinat Philoſoph. *text.* 46. Vnde hæc ſententia communis eſt inter Thomiſtas; imò inter alios Doctores.

Fundamentum præcipium eius eſt, quod adducitur ab Ariſtot. & D. Thom. quoniam de ratione loci eſt, quod ſit vltima ſuperficies corporis continentis: ſed ſupra vltimum cœlum non eſt aliquod corpus, à quo contineatur actu: ergo non eſt actu in loco, ſaltem ſecundum ſe totum, & ratione ſui. Quod argumentum eſt adeò efficax, vt neutiquam labefactari queat aliquorum euaſionibus, qui contendunt, locum vltimi cœli eſſe centrum mundi: cuius poſitionis falſitas, vel ex eo apparet, quod deſtruit definitionem loci communiter receptam. Vndè in ea impugnanda non ſubſidemus, ſed concludimus cum Angelico Doct. lect. citata: *Hoc eſt*

Digitized by Google

eſt contra ſuppoſitiones communes, priùs de loco poſitas, ſcilicet, quod locus ſit continens, & quod locus ſit æqualis locato.

25 Dicendum eſt ſecundò, partes primi mobilis eſſe aliquo modo in loco, non quidem in actu; ſed ſolùm in potentia. Sic Ariſtot. loco citat. vbi D. Thom. *Oſtendit* (inquit) *quomodo partes primæ ſphæræ ſint in loco, & dicit, quod ſicut ſupra dictum eſt, quædam ſunt in loco actu, quædam ſecundum potentiam. Vndè cùm aliquid ſit continuum ſimilium partium, partes eius ſunt in loco ſecundum potentiam, ſicut eſt in vltima ſphæra.*

Probatur concluſio quoad primam partem: nam partes primi mobilis ita ſunt diſpoſitæ, vt vna ſuo modo ambiat aliam, & rurſus alia contineat illam, & ſic de reliquis: omnes enim talem habent diſpoſitionem, vt vna vniatur alteri in circulo: ergo vna pars erit aliquomodo in alia ſicut in loco, cùm ambiatur, ſaltem imperfectè ab illa. ¶ Secunda etiam pars facilè oſtenditur: quoniam de ratione loci, & locati eſt, quod ſint diuiſa ſecundum ſuperficies, in quibus ſe tangunt; ita vt vna ſit ſuperficies loci, & alia locati, cùm locus ſit menſura extrinſeca rei locatæ: ſed partes cœli non ſunt actu diuiſæ, licèt poſſint diuidi: ergo partes primæ ſphæræ non ſunt actu in loco, ſed ſolùm in potentia.

26 Ex quibus deducitur, primum mobile tantùm eſſe in loco ratione ſuarum partium. Quod ſtatuit D. Thom. *lect. 7. cit.* his verbis *Multò autem conuenientiùs eſt dicere, quod vltima ſphæra ſit in loco propter partes ſuas intrinſecas, & magis conſonat opinioni Ariſtot.* Ratio eſt, quoniam eo proportionali modo aliquid eſt in loco, quo mouetur, & mutat locum: atqui primum mobile ſecundum ſe totum non mutat locum; cùm ſemper retineat eandem diſtantiam, tùm reſpectu centri, tùm reſpectu ſpatij imaginarij: mutatur autem ſecundum partes, quatenùs ea, quæ antea erat, v. g. verſus Orientem, modo eſt verſus Occidentem, & ſic de alijs: ergo primum mobile non eſt in loco per ſe, & ratione ſui; ſed ſolùm ſecundum partes, & ratione illarum. Et cùm iſtæ non ſint actu in loco, ſed ſolùm in potentia; ſequitur quod primum mobile adhuc per accidens, & ratione partium ſolùm ſit in loco in potentia, minimè verò in actu.

Quod rationi, & rectæ rerum diſpoſitioni conſentaneum vndequaque videtur: quoniam vltima ſphæra eſt, quodammodo medium inter alia corpora inferiora, & ſubſtantias ſeparatas; & conſequenter debet medio modo ſe habere inter vtrumque extremum: conſtat autem, ſubſtantias ſeparatas non eſſe in loco circumſcriptiuè, neque actu, neque potentia; è contra verò corpora alia, præter vltimam ſphæram, eſſe vtroque modo in loco: oportet igitur, quod primum mobile non ſit actu in loco, vt ſic aſſimiletur aliquomodo ſubſtantijs ſeparatis, & quod ſit in loco ſaltem in potentia, vt habeat ita proportionem cum alijs corporibus.

§. II.

Fit obuiam aliquibus obiectionibus.

27 SEd aduerſus ea, quæ hucuſque ſtabiliuimus oppones primò: eius eſt moueri, & eſſe in loco; cuius eſt eſſe: ſed primum mobile habet eſſe per ſe, & ratione ſui; partes verò exiſtunt ratione totius: ergo primum mobile mouetur, & eſt in loco per ſe, & non præcisè ſecundum partes. ¶ Confirmatur: nam motus localis ſubiectatur in toto cœlo, ſicut, & alia accidentia: ergo ipſum primum cœlum eſt; quod præcipuè mouetur localiter: ergo exiſtit in loco per ſe, & ratione ſui.

Reſpondetur, non rectè colligi aliquid eſſe in loco per ſe, & ratione ſui, ex eo quod ratione ſui exiſtat, & moueatur: nam exiſtere, & moueri circulariter prouenit rei à ſua forma: & ideò quod ratione ſui habet formam, poteſt ratione ſui exiſtere, & moueri vt *quod*. Cæterùm eſſe actu in loco prouenit à ſuperficie corporis ſuperioris, & ambientis locatum, & idcircò, quod per ſe, & ratione ſui non circumſcribitur, nequit ratione ſui eſſe in loco. Circumſcribi autem, ſeu ambiri, non conuenit primæ ſphæræ ſecundum ſe totam, benè autem partibus eius, ſaltem imperfectè, & in potentia: quapropter partes ſunt per ſe in loco, totum autem non eſt per ſe, ſed ratione partium: licèt aliàs partes habeant exiſtentiam ratione totius, à cuius forma etiam participant poſſe circulariter moueri.

Vndè patet ad confirmationem: quia ex eo, quod corpus ſecundum ſe totum, hoc eſt ſecundum omnes ſuas partes, moueatur circulariter, minimè infertur, quod ſecundum ſe totum, & ratione ſui ſit in loco: ſed ſufficit eſſe in loco vtcumquè, & in potentia ſecundum partes. Et ratio eſt: quia corpus, quod circumuoluitur, non acquirit per motum eſſe ſecundum ſe totum in nouo loco, ſed ſolùm ſecundum partes: quatenùs illa, quæ correſpondebat, v. g. Orienti, ſit proxima Occidenti. Vndè corpus motum circulariter mouetur quodammodo, & quodammodo non mouetur: quia ſecundum ſe totum, non transfertur de loco in locum.

28 Secundò obijcies, nulla pars eſt in primo mobili, quæ non moueatur: ergo nulla eſt, quæ poſſit habere rationem loci reſpectu alterius. Patet conſequentia, quia de ratione loci eſt, quod ſit immobilis, vt ſupra diximus.

Reſpondetur negando conſequentiam: nam pars continens aliam, & habens rationem loci modo ſupradicto mouetur materialiter in eſſe partis, non tamen formaliter in eſſe loci; ſiquidem hoc pacto importat ordinem determinatæ diſtantiæ ad puncta fixa, ſicut ſupra expoſuimus immobilitatem loci. Vnde pars, quæ in eodem ſitu, & diſtantia ſuccedit, conſtituit formaliter eundem locum cùm præcedenti: & pars de nouo contenta eſt in eodem loco, in quo erat alia, quæ tranſijt.

Obijcies tertiò: partes cœli nequeunt ad inuicem ſeparari; alioqui cœlum eſſet corruptibile: ergo non ſunt in loco, adhuc in potentia. Patet conſequentia: quoniam requirebatur, quod partes contentæ poſſent diuidi à continentibus, & ſic diuiſę contineri actu ab illis. ¶ Reſpondetur, quod licèt cœlum ex natura ſua ſit indiuiſibile phyſicè, poteſt tamen diuidi ſupernaturaliter: & hoc ſatis eſt, vt partes eius dicantur contineri ab alijs, & esse in loco in potentia.

29 Obijcies quartò: quod mutat locum actu, debet eſſe actu in loco: ſed partes cœli mutant locum actu; ſiquidem actu mouentur localiter; ergo partes cœli ſunt actu in loco. ¶ Confirmatur primò: nam *vbi* in actu, petit locum in actu, cùm reſultet ex eius adiacentia: ſed partes primi mobilis habent vbi in actu: ergo ſunt actu in loco. Minor ſuadetur: quoniam impoſſibilis eſt motus abſque termino: ſed terminus motus localis eſt *vbi*: ergo cum partes cœli moueantur actu, ſequitur, quod habeant *vbi* in actu. ¶ Confirmatur ſecundò: quia ſuperficies conuexa primi cœli eſt aliquo modo in loco; ſiquidem mouetur localiter ad motum totius cœli: ſed non eſt in loco in potentia, cùm à nulla alia parte vllo modo ambiatur: ergo eſt actu in loco.

Reſpondetur negando maiorem, ſi vniuerſaliter accipiatur: quoniam vt aliquid actu mutet locum, non eſt neceſſarium, quod acquirat locum, qui ſit actu locus, ſed ſatis eſt, quod ſit locus in potentia. Quod contingit in partibus primi mobilis, non quia aliqua deſinat con-

Digitized by Google

contineri ab illa, cui priùs erat vnita: ſed quia licèt hæc maneat eadem in eſſe partis, deſinit eſse in ratione loci propter diuerſam diſtantiam, cui incipit actu ſubeſse. Nequit tamen eſse locus in actu reſpectu alterius: quia non eſt diuiſa ab illa in actu, ſed duntaxat in potentia.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quod *vbi* reſultat neceſsariò ex adiacentia loci, qui aliquo modo contineat locatum; ſed non expoſcit vniuerſaliter, quod locus ſit actu diuiſus à locato, & quod ſit locus in actu: ſufficit enim, quod ſit in actu, quoad entitatem, licèt ſit in potentia, quoad ſeparationem. Et hoc pacto intelligenda ſunt, quæ *in Logica* diximus *diſp.* 16. *q.* 1. Vndè magis colligitur, qualiter ad motum localem in actu, non requiratur locus in actu: quia terminus primarius prædicti motus, nempè *vbi*, non exigit indiſpenſabiliter locum in actu. Per quæ patet ad ſecundam confirmationem: nam vt illa ſuperficies moueatur actu, ſufficit, quod partes eius contineantur, ſaltem inadæquatè ab alijs, quatenùs quæuis illius ſuperficiei pars, habet ex vtroque latere alias duas partes, quæ inadęquatè continent, & ambiunt. Qui modus eſt imperfectiſſimus, etiam intra latitudinem eſsendi in loco in potentia; conuenit tamen partibus vltimæ ſuperficiei, vt eis maximè proprius, & accommodatus.

30 Vltimò oppones nobis Ariſtot. *in præſenti textu* 23. vbi ait: *Propter hoc enim cælum, maximè in loco eſſe putamus, quod perpetuò motu agitatur*: ſed eſſe in loco in potentia, non eſt eſſe maximè in loco, ſed ſolùm ſecundum quid: ergo primum mobile non eſt in loco ſolùm in potentia. ¶ Confirmatur primò: quia nobiliſſimum corpus, quale eſt primum mobile debet eſſe in loco nobiliori modo: ergo primum cœlum eſt actu in loco. ¶ Confirmatur ſecundò: nam quod eſt in actu, eſt prius eo, quod eſt in potentia: ergo ſi primum mobile ſit ſolùm in potentia in loco, ſequitur quod aliud corpus ſit priùs in loco. Ex quo vlteriùs fieret, motum primi mobilis non eſſe omnium primum: nam motus localis conuenit proportionabiliter, ſicut eſſe in loco, conſequens eſt omninò falſum: ergo.

Reſpondetur, Ariſtot. non loqui ibidem ex propria ſententia: & ideò loco illius verbi, *putamus* vertunt alij *putantur*. Eſto tamen, quod ex propria ſententia loquatur, intelligendus eſt de alijs ſphæris, excepta prima: nam quid de iſta ſentiat ſatis conſtat ex ijs, quæ ſupra adduximus *num.* 24. ¶ Ad primam confirmationem dicimus, quod eſſe in loco circumſcriptiuo, & in actu, arguit imperfectionem, & propterea hic modus eſſendi in loco non debet conuenire nobiliſſimæ ſphæræ, ſed alijs corporibus inferioribus. ¶ Ad ſecundam dicendum eſt ex D. Thom. *lect.* 7. primo corpori exiſtenti in loco in potentia, non debere correſpondere aliud corpus, quod ſit actu priùs in loco, & priùs actu moueatur: nam oppoſitum exigit recta diſpoſitio huius vniuerſi. Vnitas enim eſt prior multitudine: vndè quia motus partium exiſtentium in loco ſolùm in potentia, dicit maiorem vnitatem, & ſimplicitatem, quam ſi partes eſſent actu diuiſæ, & exiſterent actu in loco; ideo motus primi corporis, & partium eius, quæ ſunt in loco in potentia, antecedit ordine dignitatis, & naturæ, motus aliorum corporum exiſtentium actu in loco.

QVÆSTIO VI.

Vtrum duo corpora poſſint diuinitùs eſſe in eodem loco.

QVemadmodum expulſio vnius formæ ſubſtantialis ad introductionem alterius, manifeſtat incompoſſibilitatem earum in eodem ſubiecto: ita etiam deprehenditur incompoſſibilitas, ſaltem naturalis, duorum corporum in eodem loco, ex eo, quod ad ingreſſum vnius alterum neceſſariò expellatur. Vnde in præſenti ſupponimus, non poſſe naturaliter duo corpora eidem loco coëxiſtere: dubitamus autem, vtrum id fieri poſſit ſaltem per diuinam potentiam per hoc, quod duo corpora penetrentur, & ſic fiant in vi locabili vnum; valeantquè proinde collocari in eodem loco.

§. I.

Proponitur vera, & communis ſententia.

31 DIcendum eſt, nullam dari contradictionem in eo, quod duo corpora penetrentur, & eidem loco coëxiſtant. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3. D. Bonauent. *diſt.* 49. *q.* 1. Capreolus *diſt.* 44. *q.* 3. & communiter, tàm Theologi, quam Philoſophi. Videatur Suarez 3. *p. q.* 54. *art.* 4. *diſp.* 46. *ſect.* 5.

Probatur primò ratione ſimul, & auctoritate: nam de facto non ſemel duo corpora fuere penetrata: ergo non implicat, quod penetrentur, & conſequenter eidem loco coëxiſtant. Conſequentia eſt euidens. Antecedens autem ſuadetur primò: quia Chriſtus Dominus natus eſt de Virgine abſque læſione clauſtri pudoris: ſed hoc fieri non potuit abſque penetratione: ergo. Secundò: quia ipſe Dominus è ſepulchro obſerato egreſſus eſt; & ad diſcipulos ianuis clauſis, ingreſſus fuit: ad quod vtrobique neceſſaria fuit penetratio. Tertiò: quoniam aſcendens in ſupremum cœlum inferiores cœlos penetrauit, vt Apoſtolus ad Hebreos 4. dilertis verbis teſtatur dicens. *Habentes ergo Pontificem, qui penetrauit cælos Ieſum*: verba autem ſacræ Scripturæ, quoties valent accipi in proprio, & rigoroſo ſenſu, non poſſunt, nec debent ad improprium detorqueri: ergo.

32 Sed quamuis hæc exempla, & teſtimonia videantur firmare omninò commune aſſertum; Durandus tamen conatur illis occurrere, & eorum vim, quæ procùldubiò maxima eſt, eleuare. Illius autem expoſitiones, & euaſiones ſatis friuolæ ſunt: ſed nihilominùs eas ſingillatim proponemus, cum ob maiorem claritatem, tùm vt earum falſitas ex immediata earum impugnatione euidentius cognoſcatur. Ad primam igitur inſtantiam reſpondet, Chriſtum Dominum natum fuiſſe è puriſſima Matre per ſolam dilatationem vteri virginalis, atque ideo abſque vlla corruptione. Addit etiam, egreſſum fuiſſe ex vtero Virginis tranſeũdo de extremo ad extremum, abſque tranſitu per medium, & conſequenter ſine vlla vera penetratione ſacri corpuſculi cum corpore Matris.

Hanc tamen doctrinam falſam eſſe, imò & integritati puriſſimæ Virginis iniurioſam oſtenditur, tùm, quia mulieres in ſtatu innocentiæ prolem emitterent per dilatationem illarum partium: & nihilominùs licèt parerent abſque dolore, virginitarem tamen in modo pariendi non ſeruarent, vt ex ſe liquet; ergo ſi Virgo emiſit ſacratiſſimam prolem, vtero ad id ſufficienter

dila-

dilatato; quamuis pepererit ſine dolore, non tamen cum virginitate: conſequens aduerſatur fidei: ergo. Tum etiam, quia dilatatio vteri, & adeò magna, qualis ad partum requiritur, eſt mutatio oppoſita ſoliditati corporis: ergo ſi corpus virgineum paſſum fuiſſet hanc reſerationem in partu, non permanſiſſet omninò integrum clauſtrum pudoris. Tum deniquè, quia egreſſus Chriſti Domini ex vtero Matris fuit miraculoſus, vt communiter docent ſancti Patres: ortus autem per dilatationem partium, quamuis ſit ſine dolore, non eſt miraculoſus, cùm id ipſum contingeret mulieribus in ſtatu innocentiæ: ergo Chriſtus Dominus exijt ex vtero virginali, non per dilatationem eius, ſed penetrando ſe cum illo. Neque id, quod addit Durandus, ſuſtineri vlla ratione valet: quia in tranſitu de extremo ad extremum, & non per medium, nequit ſaluari vera ratio egreſſus, & natiuitatis; cùm naſci ſit per motum localem ab vtero exire, & parere ſit fœtum emittere: ſed Virgo verè peperit, & Chriſtus è Virgine verè natus eſt: ergo non dereliquit vterum, & apparuit nobis per ſolùm tranſitum de extremo ad extremum ſine medio.

33 Secundæ inſtantiæ occurrit dicens, non conſtare ex Euangelio, quod Dominus exierit è ſepulchro immoto lapide. Ad diſcipulos autem, inquit, ingreſſum fuiſſe per hoc, quod ianuæ fuerint velociſſimè apertæ, & iterum clauſæ. Addit etiam, potuiſſe Chriſtum vtrobique dimenſiones proprias adeò conſtringere, vt per minimum foramen quiuerit facilè ſepulchrum egredi, atque ad diſcipulos ingredi. Vnde non concluditur, quod fuerit in his caſibus penetratio neceſſaria.

Hæc autem doctrina, haud melior eſt, quam præcedens; quoniam licèt Euangeliſtæ non ſcribant, Chriſtum è ſepulchro obſerato egreſſum fuiſſe; attamen id tradunt Nazianz. Chriſoſt. Hieron. Auguſt. Bernard. Beda, & communiter omnes ſancti Patres, quibus abſque præſumptione, & temeritatis nota, contraire non valet. Ipſi etiam ſancti Doctores aſſerunt, quod ingreſſus Domini ad diſcipulos fuit miraculoſus: idquè ſatis expreſſit Euangeliſta dicens: *Cum fores eſſent clauſa* &c. ſi autem ille ingreſſus factus fuiſſet, vt Durandus exponit, quid miraculi haberet, aut portentis. Dicere autem, quod Chriſtus ſic proprias dimenſiones conſtrinxerit, vt per minimum foramen ingreſſus, & egreſſus fuerit, abſurdiſſimum eſt, imò, & ridiculum: quoniam talis compreſſio opponitur rectæ diſpoſitioni, quæ corpori Chriſti glorioſo debebatur; illa quippè expoſcit ſitum, & diſtantiam partium. Imò vero non poteſt intelligi tanta contrictio abſque aliqua penetratione partium, in quam proinde, etſi nolens incidit Durandus.

Planè omnes euaſiones, & expoſitiones eæ, quibus robur teſtimoniorum, quæ ſupra expendimus, voluit Durandus eludere, adeo exorbitant à communi modo concipiendi fidelium, & à concordi explicatione ſanctorum Patrum, atque aliorum interpretum: vt facilè ex hoc ſolo earum futilitas dignoſcatur. Vndè mirum eſt, quot abſurda deuorare non refugerit, in quaſquè anguſtias ſe reduxerit, ne poſſibilitatem penetrationis admitteret. Sed diſcrimina, in quæ, vel lubens, vel inuitus trahitur, aſſertio veritatis communis ſunt; quam auctoritate firmam poſſumus etiam ratione munire.

34 Probatur ſecundo noſtra concluſio; quoniam nulla eſt contradictio in eo, quod detur effectus primarius alicuius formæ, & impediatur effectus illius ſecundarius, vt conſtat in quantitate Chriſti Domini exiſtentis ſub accidentibus Euchariſticis, quæ caret effectu ſecundario, nempè extenſione in ordine ad locum: at effectus primarius quantitatis, vt actu extenſæ in ordine ad locum eſt occupare locum; expellere autem aliam quantitatem ab eodem loco, ſolum eſt effectus ſecundarius illius: ergo non implicat, quod quantitas ſit in loco, & quod non expellat ab eodem loco alteram quantitatem: ſed hoc ipſo erunt duæ quantitates actu in eodem loco, vt ex ſe liquet: ergo &c.

Reſpondebis negando maiorem vniuerſaliter intellectam, eo quod dantur aliqui effectus ſecundarij, ſine quibus primarij reperiri non poſſunt, vt videre eſt in expulſione formæ præexiſtentis ad ingreſſum formæ denuò genitæ: licèt enim expulſio ſit effectus ſecundarius; nequit tamen impediri, ſtante primario, vt ſupra diximus *diſp.* 4. *num.* 25. Quod in præſenti admittendum fore videtur: nam quemadmodum non poteſt intelligi, quod forma informet materiam, niſi excludat alteram formam informantem; ſic in intelligibile eſt, quod corpus repleat actu locum, niſi expellat corpus, per quod locus replebatur.

Sed contra: quia tunc effectus primarius formæ eſt inſeparabilis à ſecundario, quando ex negatione iſtius infertur negatio illius, vt contingit in exemplo formæ ſubſtantialis: ſi namquè forma non induceret expulſionem alterius, minimè poſſet conferre materiæ primam actualitatem, ſubindequè non eſſet actus primus illius, in quo conſiſtit eſſentia formæ ſubſtantialis: at ſic eſt, quod ex negatione expulſionis quantitatis præexiſtenti, non infertur negatio effectus primarij quantitatis aduenientis, ac denuò occupantis locum: ergo nulla eſt ratio denegandi diuinæ potentiæ, quod conſtituere valeat duo corpora actu extenſa in eodem loco. Suadetur, & explicatur minor: etenim effectus primarius quantitatis extenſæ in ordine ad locum, eſt occupare ipſum locum cum correſpondentia totius locati ad totum locum, & partis ad partem, non tamen importat eſſe primum actum (vt ſic dicimus) loci, vel primum repletiuum illius; hoc enim per accidens ſe habet ad rationem locati: ſed ex eo, quod duo corpora ſint actu in eodem loco, non tollitur debita correſpondentia vniuſcuiuſque ad locum; cùm quodlibet ſecundùm ſe totum correſpondeat toti loco, & ſecundum partem parti: ergo ex negatione expulſionis vnius corporis à loco, non infertur negatio effectus primarij alterius corporis in eodem loco.

Confirmatur; quoniam intimior eſt quantitati extenſio in ordine ad locum, quam actualis expulſio alterius quantitatis ab eodem loco; quandoquidem prius eſt, quantitatem eſſe extenſam in ordine ad locum, illumquè replere, quam aliam quantitatem ab eodem loco excludere; cùm ideo excludat, quia replet: conſtat autem, ſaluari eſſentiam quantitatis, eiuſquè effectum primarium abſque extenſione in ordine ad locum; ſiquidem Chriſtus Dominus in Sacramento caret extenſione in ordine ad locum, & tamen habet extenſionem in ordine ad ſe, ſiue quantitatem, vt communiter docent Theologi: ergo pariter poterit dari quantitas extenſa in ordine ad locum, quin actu inferat effectum ſecundarium expulſionis alterius quantitatis. Ad hæc: tota repugnantia coëxiſtentiæ duorum corporum in eodem loco oritur ex eo, quod ſe tangunt præcisè in extremitatibus, ſeu penes indiuiſibilia terminatiua, atque ideo fundant diſtinctos ſitus: at nulla contradictio apparet in hoc, quod Deus faciat, vt duo corpora ſe tangant ſecundum partes, & adæquatè, vt conſtabit ſoluendo argumenta contraria: ergo tunc non fundabunt diuerſos ſitus, ſed ſe habebunt in vi locabili per modum vnius, & conſequenter poterunt in eodem loco conſtitui.

§ II.

Satisfit rationibus Durandi.

35 Contrariam ſententiam tanquam probabilem tenet Durandus *in 4. diſt. 44. quæſt. 6.* Quæ poteſt ſuaderi primò: quia, ſemel vnita forma, repugnat non communicari effectum formalem illius: ſed expulſio vnius corporis ad introductionem alterius in eodem loco, eſt effectus formalis quantitatis: ergo implicat, quod corpus habeat quantitatem, & non expellat aliud corpus à loco, quem actu replet: & per conſequens repugnat coëxiſtentia duorum corporum in eodem loco.
¶ Ad hoc argumentum reſpondetur, effectum primarium non eſſe ſeparabilem à forma communicata; benè autem ſecundarium, niſi ſpecialis ratio connexionis cum illo detur. Quare cùm expulſio vnius corporis à loco alterius ſit effectus ſecundarius, & aliàs non demonſtretur inſeparabilitas primarij ab illo; non eſt ratio denegandi diuinæ potentiæ, quod poſſit conſtituere duo corpora in eodem loco.

36 Secundò arguitur: quia implicat, quod quantitas permaneat impenetrabilis, & quod actu penetretur; ſiquidem quod actu penetratur, eſt penetrabile: ſed implicat permanere quantitatem, & non permanere impenetrabilem: ergo implicat, quod quantitas penetretur. Suadetur minor: nam impenetrabilitas non diſtinguitur ab eſſentia quantitatis: ſicut enim eſt de eſſentia quantitatis habere diſtinctas partes; ſic & habere partes habentes diſtinctos ſitus, in quo conſiſtit impenetrabilitas: ergo implicat, quod maneat quantitas, & quod non perſiſtat impenetrabilis.

Confirmatur: quia repugnat, duas partes eiuſdem quantitatis penetrari: ergo repugnat etiam, quod penetrentur duæ quantitates totales. Conſequentia liquet à paritate. Antecedens verò ſuadetur; quia de ratione quantitatis eſt habere partes extra partes: ſed hoc ipſo, quod duæ partes eiuſdem quantitatis penetrarentur, iam vna eſſet intra illam, vel, quod idem eſt, vna non eſſet extra aliam: ergo repugnat duas eiuſdem quantitatis partes penetrari.

Reſpondetur ad argumentum negando maiorem: quoniam ad hoc, quod quantitas penetretur, non eſt neceſſarium tolli ab ea naturalem impenetrabilitatem, quę conſiſtit in vi, ſiue aptitudine ad expellendum aliud corpus ab eodem loco: ſed ſufficit, quod impediatur actus, ſiue effectus prædictæ impenetrabilitati correſpondens, videlicet expulſio actualis. Vndè quoties duo corpora in eodem loco conſtituuntur, fiunt penetrata actu per diuinam potentiam, & ſimul ſunt impenetrabilia, quantum eſt de ſe: nam optimè componitur, quod poſſent ſe inuicem expellere, in quo conſiſtit impenetrabilitas, & quod, Deo ſic diſponente, ſe non expellant, in quo ſita eſt actualis penetratio.

Ad confirmationem negandum eſt antecedens: nam eſſentia quantitatis non conſiſtit in habere partes extra partes in ordine ad locum, ſiue habentes actu diſtinctum ſitum: ſed ſita eſt in eo, quod habeat partes diuerſas in ordine ad ſe, ſiue quarum vna non ſit alia, quæ proinde petant, & fundent, quantum eſt de ſe, diuerſos ſitus. Hoc autem ſaluaretur in partibus eiuſdem quantitatis penetratis, & idcirco conſeruaretur indemnis eſſentia illius.

37 Vltimò arguitur: quoniã repugnat, quod duæ partes motus penetrentur, & coëxiſtant eidem parti temporis: ergo repugnat, quod duæ partes quantitatis penetrentur, & coëxiſtant eidem parti loci. Patet conſequentia: quia ſicut partes motus debent ſeruare ordinem ſucceſſionis, ita partes quantitatis debent habere ordinem poſitionis, qui non compatitur cum actuali penetratione.

Reſpondetur negando conſequentiam, ob manifeſtam diſparitatem: nam hoc ipſo, quod duæ partes motus coëxiſterent eidem parti temporis, iam haberent eſſe ſimul tempore; & conſequenter tolleretur ab eis ordo prioris, & poſterioris, qui eſt de eſſentia motus, & cuiuſuis entis ſucceſſiui. Per hoc autem, quod partes quantitatis permanentis penetrentur, non tollitur ab illis extenſio, ſiue diſtinctio in ordine ad ſe, & quod petant diuerſos ſitus, vt conſtat ex dictis: & per conſequens ſaluatur conceptus quidditatiuus quantitatis permanentis in prædicta extenſione conſiſtens.

QVÆSTIO VII.

Vtrum idem corpus poſſit ſupernaturaliter eſſe circumſcriptiuè in duobus locis.

Ex hactenùs dictis ſatis liquidò deprehendi valet, corpus eſſe *circumſcriptiuè* in loco per hoc, quod totum corpus locatum correſpondeat toti loco, & pars locati parti loci. In quo diſtinguitur præſentia circumſcriptiua à præſentia diffinitiua: hæc quippè non expoſtulat prædictam commenſurationem; ſed quod locatum, ita ſit in hac parte mundi, quod non in alia. Supponimus autem in præſenti, impoſſibilem eſſe naturaliter præſentiam, ſiue coëxiſtentiam circumſcriptiuam vnius, & eiuſdem corporis ad duo loca adæquatè diuerſa, id quod ipſa experientia conuincitur: ſed dubitamus, an id fieri queat ſaltem per diuinam potentiam abſolutam.

§. I.

Vera D. Thomæ ſententia, & præcipua illius fundamenta.

38 Dicendum eſt, repugnare omninò, quod idem corpus ſit circumſcriptiuè in duobus locis. Hanc aſſertionem ſtatuit Angelic. Doctor *pluribus in locis*, & præcipuè *3. p. q. 76. art. 1. & in 4. diſt. 10. q. 2. art. 5. & quodlib. 3.* vbi ſic concludit: *Ponere, quod vnum corpus ſit localiter in hoc loco, & tamen ſit in alio loco, eſt ponere contradictoria ſimul vera. Vnde ſecundum præmiſſa hoc à Deo fieri non poteſt.* Idem tradunt D. Auguſt. *lib. 10. contra Fauſtum cap. 11.* Anſelmus *in Monologio cap. 20.* Abulenſ. *tom. 4. in Math.* D. Bonauent. *in 4. diſt. 44. art. de dote ſubtilitatis.* Durand. *ibidem q. 6.* Henricus, Ægidius, Dionyſius Carthuſ. & denique omnes Thomiſtæ, quibus etiam ſubſcribit Vaſq. *tom. 3. in 3. p. diſp. 189. cap. 4.* Et quamuis veritas huius ſententiæ ſoleat quampluribus argumentis oſtendi; breuitatis tamen gratia, non omnia ſubijciemus, ſed ea tantùm ſeligere curabimus, quæ iudicauerimus eſſe maioris ponderis, euidentiusquè euincere noſtram aſſertionem.

Probatur ergo ratione primò: quia ſi vnum corpus eſſet in duobus locis adæquatis, ſequeretur, quemlibet prædictis locis eſſe, & non eſſe illi adæquatum: conſequens implicat contradictionem: ergo &c. ſequela oſtenditur: nam in primis eſſet adæquatus, vt ſupponitur: deinde non eſſet adæquatus; ſiquidem non adæquaret vim locabilem corporis locati, cum iſtud inueniatur extra prædictum locum: ergo foret, & non foret locus adæquatus.

Digitized by Google

quatus. Quod poteſt ampliùs declarari: nam locus, extra quem inuenitur aliqua pars corporis locati, eſt inadæquatus ipſi locato, vt conſtat ex terminis: ergo à fortiori locus, extra quem inuenitur totum locatum, non poteſt per debitam commenſurationem illi adæquari.

Confirmatur primò, & ſimul præcluditur tacita euaſio, qua poſset huic rationi occurri: quoniam locus comparatur ad locatum per modum termini illius: ſed implicat, quod aliquid ſit extra terminum, à quo adæquatè continetur: ergo de ratione loci circumſcriptiui, & adæquati eſt, non ſolùm continere totum; ſed etiam illud ita comprehendere, vt nec ſecundum ſe totum, nec ſecundum partem ſit extra ipſum. Minor ſuadetur; tùm quia extremum ſiue terminus definitur ab Ariſt. 5. *Metaph.* quod ſit *id, extra quod nihil rei poſſumus vſurpare*: ergo contra rationem termini eſt, quod terminatum ſit extra ipſum. Tùm etiam, quia eò ipſo, quod aliquid ſit terminus adæquatus, & vltimatus v.g. motus, in intelligibile eſt, quod motus progrediatur vltra ipſum. Tum præterea, nam ſicut de ratione infiniti eſt, quod non poſſimus peruenire ad vltimum eius, ſed ſemper ſit vltra progredi, ita de ratione finiti eſt, quod perueniamus ad vltimum terminum illius, & quod non poſſimus vlteriùs procedere: atqui omne, quod clauditur termino, eſt finitum: ergo quod clauditur termino adæquato, nequit ſimul eſſe extra illum.

39 Secundò probatur eadem concluſio: quia ſi vnum corpus poſſet per ſuas dimenſiones eſse in duobus locis adæquatis, poſset etiam eſse in tribus, & in quatuor, & ſic de alijs vſque in infinitum; nulla quippè apparet ratio, cur ſi poteſt eſse in duobus locis, nequeat eſse in alijs pluribus, vel cur determinetur ad certum locorum numerum: conſequens autem eſt abſurdum; nam ſi poſset eſse in locis abſque terminò, poſset eſse vbiquè, & conſequenter prædictum corpus foret immenſum, quod repugnat: ergo implicat, quod idem corpus collocetur circumſcriptiuè in duobus locis.

Reſpondebis concedendo ſequelam, & negando minorem: nam vt aliquid dicatur immenſum, oportet, quod propria virtute poſſit occupare omnem locum; hoc autem nulli corpori competit, ſiquidem naturaliter ad vnum locum determinatur, & quod ſit in duobus, haberet ex virtute diuina illud in locis pluribus collocante: vnde quantumuis corpus queat per Dei potentiam eſse in locis ſyncategorematicè infinitis, non ſequitur, quod ſit immenſum.

Sed contra: quia hæc ſolutio procedit ex ſiniſtra intelligentia noſtræ rationis, quæ poteſt ſic denuò inſtaurari: nam licèt verum ſit, quod Deus actiuè, ſiue applicatiuè conſtitueret illud corpus in pluribus locis; virtus tamen formaliter replens loca non eſset ipſe Deus, ſed eſset quantitas corporis locati: Deus enim non replet per ſe ipſum formaliter circumſcriptiuè locum, ſed per quantitatem corporis, quod in loco conſtituit: ergo ſicut ex eo, quod Deus poſſit actiuè conſtituere idem corpus in locis ſyncategorematicè infinitis, arguitur eſse infinitæ virtutis in agendo; ita ex eo, quod idem corpus poſset per ſuam quantitatem replere formaliter infinita loca, conuinceretur, prædictam quantitatem fore in genere cauſæ formalis infinitam. Itaquè quantitas non occupat locum per aliquam virtutem ſibi ſuperadditam; ſed per ſolam ſuam entitatem: ergo ſi eadem quantitas queat replere infinita ſyncategorematicè loca, habet virtutem infinitam in replendo. Nam quemadmodum, vt virtus actiua ſit infinita, non requiritur, quod ſimul actu producat effectus infinitos; hoc enim repugnat ex parte rei faciendæ: ſed ſufficit, quod per id, quod habet, & abſque alio ſibi ſuperaddito valeat producere effectus infinitos in potentia, ſiue abſque termino: ita vt vis repletiua in quantitate ſit infinita in replendo, & conſequenter immenſa, non requiritur, quod ſimul occupet infinita loca; hæc quippè nequeunt ſimul eſse, ſed ſufficit, quod per ſuam entitatem, & abſquè alio ſibi ſuperaddito poſſit replere omnia loca producibilia, & quod quantitas non minùs extenditur in replendo formaliter loca, quàm Dei virtus in producendo illa.

40 Per quod facilè euaneſcit aliquorum euaſio, qui ideò exiſtimant quantitatem illam non fore immenſam, quia non fieret præſens omnibus locis per vnam indiuiſibilem præſentiam, vt Deus, ſed per plures præſentias, iuxta multiplicationem locorum. Hoc, inquam, euaneſcit: quoniam quidquid ſit de præſentia actuali; virtus tamen in actu primo repletiua locorum, non diſtingueretur ab ipſa eſsentia quantitatis: ergo ſi eadem quantitas poſset eſse in locis ſyncategorematicè infinitis, iam eadem virtus eſset in actu primo repletiua infinitorum locorum: ergo eſset immenſa, atque infinita in vi locabili. Probatur hæc conſequentia: quoniam virtus actiua, quæ abſque additione virtutis valeret producere omnes effectus poſſibiles, non poſset non eſse infinita in ratione virtutis, etſi poſtea attingeret illos effectus per plures, ac diuerſas actiones: ergo pariter virtus repletiua, quæ abſque additione virtutis queit replere omnia loca poſſibilia, nequit non eſse infinita in ratione virtutis; tametſi fundet in replendo diuerſas præſentias locales.

41 Vltimum, & principale concluſionis fundamentum ſumitur ex D. Thom. *loco cit. ex 4. ſent.* & poteſt ad hanc formam reduci: nam ſi idem corpus per proprias dimenſiones conſtitueretur in duobus locis adæquatis, eſſet, & non eſset idem corpus: conſequens implicat contradictionem: ergo antecedens eſt impoſſibile. Maior quoad primam partem debet ſupponi; quoad ſecundam autem oſtenditur: quia ſi illud corpus poneretur in diuerſis locis, non poſſet non diſtare à ſe ipſo: ſed implicat, quod idem diſtet à ſe ipſo, ſicut & quod diſtinguatur à ſe: ergo prædictum corpus non eſset idem.

Reſpondebis, prædictum corpus ſolùm diſtare localiter à ſe ipſo: ex diſtantia autem locali, non benè colligi diſtantiam, vel potiùs diuerſitatem entitatiuam: ſicut neque ex eo, quod duo corpora penetrata ſint indiſtantia localiter, ſequitur, quod ſint idem entitatiuè.

Hanc tamen euaſionem pluribus poſſumus refellere. *Primò*, quia repugnat multiplicari effectum formalem, quantumuis ſecundarium alicuius formæ, & non multiplicari ipſam formam: ergo repugnat multiplicari præſentiam localem, quæ eſt effectus formalis ſecundarius quantitatis, & non multiplicari ipſam quantitatem: ergo ex diſtantia locali, & diuerſitate præſentiarum optimè colligitur, quod quantitas non foret eadem entitatiuè. *Secundò*: nam implicat, quod partes quantitatis, inter quas mediant aliæ partes ab ipſis diſcontinuæ, non ſint partes realiter diuerſæ, atque ſpectantes ad diuerſa tota; ergo impoſſibile eſt, quod inter quantitatem exiſtentem in vno loco, & quantitatem collocatam in alio, medient aliæ quantitates totales, & diſcontinuæ, & quod non detur diſtinctio entitatiua inter quantitatem exiſtentem in vno loco, & quantitatem collocatam in alio: ergo ſi quantitas poneretur in diuerſis locis, non eſset eadem entitatiuè. *Tertiò*: quoniam ſi idem corpus poneretur in duobus locis continuis, neceſsariò eſset contiguum ſibi ipſi, non minùs, quam ſi duo corpora replerent loca contigua; neque oppoſitum eſt intelligibile: conſtat autem non eſse poſſibilem contiguitatem abſque diſtinctione reali; ſiquidem contigua ſunt, quorum extrema ſunt ſimul: ergo corpus collocatum in diuerſis locis diſtingueretur realiter entitatiuè à ſe ipſo. *Quartò*, deniquè: quia ſicut ſe habet forma ad conſtituendam rem in ſpecie,

ſpecie,

Digitized by Google

ſpecie, ita ſe habet quantitas ad conſtituendum corpus in loco: ſed implicat, quod forma, per quam res collocatur in duplici ſpecie, ſit eadem forma: ergo repugnat, quod per vnam, & eandem quantitatem conſtituatur corpus in diuerſis locis. Supponimus autem ex doctrina Aduerſariorum, quod ſi corpus eſset in duplici loco, conſtituendum foret per eandem quantitatem: ergo eſſet, & non eſset eadem quantitas; eſset, & non eſset idem corpus. Ad id verò, quod in hac euaſione tangitur de duobus corporibus penetratis, ſtatim reſpondebimus ſoluendo argumenta contraria.

§. II.

Reſpondetur argumentis partis affirmatiuæ.

42 Contrariam nobis opinionem tuentur Scotus *in 4. diſt. 10. q. 3.* Ricardus *quodlib. 1.* quibus ſuffragantur Bellarm. *lib. 3. de Euchariſtia cap. 3. & 4.* Suarez *diſp. 48. Metaph. ſect. 4. & tom. 3. in 3. p. diſp. 8. ſect. 4.* & alij Moderni. Probatur primò: quia non repugnat, quod duo corpora ſint in eodem loco circumſcriptiuè: ergo nec repugnat, quod idem ſit in duobus. Antecedens conſtat *ex dictis quæſt. præced.* Conſequentia verò ſuadetur: nam, ſi ex vnitate loci non ſequitur identitas entitatiua eorum, quæ ſunt in loco; non eſt ratio; quare ex diuerſitate loci ſequatur diſtinctio entitatiua eius corporis, quod in diuerſis locis conſtitueretur: & conſequenter corruit ratio D. Thom. quam vltimo loco expendimus.

Reſpondetur negando conſequentiam, tùm quia coëxiſtentia duorum corporum in eodem loco ſit impediendo quendam effectum ſecundarium, videlicet expulſionem vnius corporis ab alio; poſitio autem eiuſdem corporis in duobus locis deberet fieri multiplicando effectus ſecundarios quantitatis, nempè præſentias, & ſitus: nulla autem implicatio eſt in eo, quod duæ formæ reperiantur abſque effectibus ſecundarijs: datur tamen, & maxima in eo, quod effectus ſecundarius ponatur, aut multiplicetur, non exiſtente, vel multiplicato primario. Quare ex duabus præſentijs ad duo loca adæquatè diuerſa, optimè colligitur, quod datur duplex quantitas, & conſequenter, quod non eſt idem corpus. Tùm etiam, quia duo corpora, etſi exiſtant in eodem loco, petunt tamen diuerſa loca, & fundant ex ſe diuerſos ſitus, atque ideo debent diſtingui realiter; quippè cùm quantitates diſtinguantur per diuerſas ſituabilitates radicales: at ſi corpus eſſet in diuerſis locis, haberet actu diuerſos ſitus, & præſentias locales, qui cùm ſint effectus quantitatis, debent afferre actu quantitates diuerſas: & ideo repugnat, quod quantitas occupans diuerſa loca ſit eadem.

43 Secundò arguitur: nam corpus Chriſti Domini eſt in cœlo circunſcriptiuè, & in Euchariſtia ſacramentaliter: ergo idem corpus poterit eſse circunſcriptiuè in duobus locis. Probatur conſequentia, tùm quia mirabiliùs eſt habere duas præſentias diuerſæ, & oppoſitæ rationis, quam duas eiuſdem rationis: ſed duæ præſentiæ locales ſunt eiuſdem rationis; præſentia autem localis, & ſacramentalis habent rationes differentes, & oppoſitas: ergo ſi idem corpus queit habere ſimul præſentiam localem, & præſentiam ſacramentalem: à fortiori poterit habere duas præſentias locales, ſiue quantitatiuas. Tùm etiam, quia difficilius eſt eſse ſine præſentia naturali, quam cum illa: ergo ſi Chriſtus Dominus eſt in duobus ſacramentis abſque præſentia naturali, poterit eſse cum illa in duobus locis. Tùm præterea, quia licèt corpus Domini ſit in cœlo, & in ſacramento; non ſequitur, quod diſtet, & diſtinguatur à ſe ipſo: ergo neque id ſequeretur ex eo, quod diſtet, & diſtinguatur à ſe ipſo. ergo neque id ſequeretur ex eo, quod idem corpus conſtitueretur in diuerſis locis circunſcriptiuè. Tùm deinde, quia ex eo, quod corpus Chriſti poſsit eſse in infinitis ſyncategorematicè ſacramentis, non arguitur, quod ſit immenſum: ergo ex eo, quod idem corpus queat eſse in locis ſyncategorematicè infinitis, non benè colligimus, fore immenſum. Tùm denique, nam ideo vnum corpus non poſset eſse in duobus locis circunſcriptiuè, quia continetur à loco, ſicut à termino adæquato: ſed etiã Chriſtus, prout exiſtens in cœlo continetur à loco tanquam à termino; & nihilominùs inuenitur extra illum terminum; cùm exiſtat realiter in ſacramento: ergo &c. Vnde videtur, omnes rationes à nobis conſtructas elidi ſola hac inſtantia deſumpta ex corpore dominico, quod exiſtit in cœlo, & in pluribus ſacramentis; atque ideo nullum ſupereſse efficax argumentum ad denegandum Deo, quod poſſit conſtituere idem corpus in diuerſis locis circunſcriptiuè.

Ad hoc argumentum reſpondetur negando conſequentiam, quam nulla ex tot probationibus inductis euincit, ob notabilem diſparitatem, quam quilibet rem altè conſiderans poterit aſſignare. Ad primam neganda eſt maior: quia mirabilius foret verificari duas contradictorias, quam dari duas præſentias diuerſæ rationis: ex collocatione autem eiuſdem corporis in diuerſis locis circunſcriptiuis plures implicationes ſequuntur, vt conſtat ex ſupra traditis; in eo verò, quod vnum corpus habeat ſimul vnam præſentiam localem, & alteram ſacramentalem, nulla clauditur contradictio, eò quod prior præſentia conuenit corpori ratione quantitatis, poſterior autem ratione ſubſtantiæ, vt terminantis conuerſionem, ac proinde per diuerſas rationes formales.

Ad ſecundam neganda eſt conſequentia: quia Chriſtum Dominum eſſe in pluribus ſacramentis abſque modo naturali, fit per ſeparationem cuiuſdam effectus ſecundarij, nimirum extenſionis in ordine ad locum; ſi autem idem corpus conſtitueretur in duobus locis circunſcriptiuè id deberet fieri multiplicando præſentias, & ſitus, qui ſe habent, vt effectus ſecundarij quantitatis. Et quamuis non repugnet dari effectum primarium abſque ſecundario; repugnat tamen multiplicari effectum formalem ſecundarium, & eiuſdem rationis ſine multiplicatione primarij. Quare mirabilius foret eſſe idem corpus in duabus locis cum modo naturali, quam in duobus ſacramentis abſque modo naturali.

Ad tertiam negatur conſequentia: quoniam ſi corpus poneretur in duobus locis circunſcriptiuè, eſſet in illis formaliter per quantitatem: & cùm repugnet multiplicari extenſionem, & præſentiam localem, quæ ſunt effectus quantitatis, abſque multiplicatione eiuſdem quantitatis, ſequeretur prædictam quantitatem non eſſe vnam, & eandem; ſiquidem haberet duplicem præſentiam. At corpus Chriſti eſt in Cœlo per quantitatem, & in ſacramento per ſuam ſubſtantiam, quatenus terminat conuerſionem, & in diuerſis ſacramentis per eandem ſubſtantiam, quatenus terminat diuerſas conuerſiones, & ſuccedit loco diuerſarum ſubſtantiarum, fundatquè modos ſacramentales numero diſtinctos. Quamobrem non ſequitur, quod diſtinguatur à ſe ipſo; ſed ſolùm, quod per diſtinctas rationes formales habeat diſtinctos effectus, ſiue præſentias: in quo nulla clauditur implicatio, vt ex ſe liquet. Deinde corpus Chriſti non eſt in ſacramento tanquam in loco: vndè exiſtens in illo non diſtat localiter à ſe ipſo exiſtente in Cœlo, quia ad hanc diſtantiam localem requirebatur, quod vtrobique exiſteret localiter. Corpus verò ſi eſſet circunſcriptiuè in duo-

Digitized by Google

duobus locis, in vtroque exiſteret localiter, vt conſtat ex terminis, & non minùs diſtaret à ſe ipſo, quam loca, in quibus eſſet conſtitutum: vnde cùm diſtantia realis petat diſtinctionem realem rerum, quæ diſtant, ſequeretur prædictum corpus non fore idem.

Ad quartam concedimus antecedens, & negamus conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod ratio formalis conſtituendi corpus in loco eſt quantitas: & ideo ſi vnum corpus per eandem quantitatem poſſet replere loca ſine termino, non poſſet non prædicta quantitas habere infinitatem in vi replendi. At corpus Chriſti eſt formaliter in ſacramento per ſuam ſubſtantiam, non abſolutè acceptam; ſed quatenus terminat diuerſas conuerſiones, & ſuccedit loco diuerſarum ſubſtantiarum, & habet diuerſos modos ſacramentales: vnde licèt corpus ſit idem numero; attamen importat diuerſas rationes formales exiſtendi in pluribus ſacramentis. Quamobrem non arguitur, quod habeat vnam rationem formalem infinitam, per quam ſit in infinitis ſacramentis; ſed ſolùm, quod habeat, ſaltem in potentia, rationes formales numero infinitas, per quas poſſit exiſtere in ſacramentis ſyncategorematicè infinitis. Quælibet tamen ex illis rationibus eſt in ſe finita; cùm corpus Chriſti ratione conuerſionis paſſiuæ, qua fit ex hoc v. g. pane, ſit ſub ſola quantitate illius, & nequeat eſſe ſub quantitate alterius numero panis.

Ad vltimam dicendum eſt, contra rationem termini adæquati eſſe, quod id, quod continetur à termino, inueniatur extra ipſum ſecundum eandem rationem formalem, penès quam attenditur adæquatio inter terminabile, & terminum; ſecùs autem ſub alia ratione. Ratio autem formalis conſtituendi corpus in loco eſt quantitas: quare ſi locus eſt terminus adæquatus locati, repugnat, quod corpus exiſtens in vno loco conſtituatur alibi quantitatiuè, ſeu per quantitatem, tanquam per rationem formalem. Cæterum ratio formalis, per quam corpus Chriſti fit præſens ſacramento, non eſt quantitas: & ideo, quod in Cœlo exiſtens contineatur à loco, ſicut à termino, non impedit, quod per aliam rationem formalem ponatur in Sacramento. Neque iſta præſentia ſacramentalis aduerſatur illi adæquationi inter locatum, & locum, inter terminabile, & terminum: quia non fit ſecundum eandem rationem, ſed per diuerſas. Maximè, quia corpus Chriſti prout exiſtens in ſacramento, non eſt propriè loquendo extra Cœlum: quoniam eſſe intra, vel extra locum ſunt modi proprij rei exiſtentis in loco, habentiſque extenſionem localem: corpus autem dominicum non eſt in ſacramento tanquam in loco, nec ibi habet extenſionem localem: & ideo prout exiſtens ibi non eſt extra locum, & conſequenter, neque extra terminum adæquatum ſuæ quantitatis in Cœlo exiſtentis.

44 Sed adhuc obijcies: ſicut Deus conuertit ſubſtantiam panis in corpus Chriſti Domini, poſſet etiam conuertere quantitatem panis: ſed tunc corpus Chriſti inciperet eſſe quantitatiuo modo, vbi priùs fuerat quantitas panis: ergo eſſet ſimul circunſcriptiuè in duobus locis; quandoquidem ex vi huius conuerſionis, non deſineret eſſe in cœlo. ¶ Reſpondetur omiſſis maiori, & minori, negando conſequentiam: quia eo ipſo, quod corpus Domini ſuccederet quantitatiuo modo in locum quantitatis panis, deſineret eſſe localiter in Cœlo, nam repugnat idem corpus eſſe in duobus locis, vt conſtat ex *ſupra* dictis.

45 Tertiò arguitur: quoniam eadem humanitas terminata per perſonalitatem Verbi poteſt ſimul terminari per perſonalitatem Patris, & Spiritus Sancti, vt docet D. Thom. 3. *par. quæſt.* 3. *art.* 6. ergo eadem quantitas terminata per vnum locum, poterit ſimul per alium terminari. Patet conſequentia, tùm à paritate, tùm à fortiori, quia locus eſt terminus extrinſecus, perſonalitas verò terminat intrinſecè; & difficiliùs videtur terminari ſimul per plures terminos intrinſecos, quam per extrinſecos. ¶ Confirmatur: quia obiectum Philoſophiæ ſemel comprehenſum ab vno habitu Philoſophiæ, poteſt ſimul ab alio habitu numero diuerſo comprehendi: ergo pariter corpus comprehenſum ab vno loco, poterit ſimul ab alio comprehendi.

Reſpondetur negando conſequentiam: quia locus etſi ab extrinſeco, terminat tamen adæquatè locatum: quælibet autem perſonalitas diuina eſt terminus humanitatis inadæquatus, ſaltem extenſiuè; & ideo permittit, quod humanitas poſſit ab alia perſonalitate terminari. Vnde ſicut tres diuinæ perſonalitates terminant eandem naturam diuinam, ita valent terminare vnam humanitatem: quoniam vna ſola perſonalitas non eſt terminus adæquatus, tàm intenſiuè, quam extenſiuè. Adde primò, diuinas perſonalitates non eſſe terminos eiuſdem omninò rationis: & ideo humanitas non terminatur ab vna perſonalitate ſub eadem ratione, ſub qua terminatur ab alia: Loca autem in terminando omnia ſunt eiuſdem rationis. Adde ſecundò, id quod ex præcedenti ſequitur, humanitatem ſub diſtincta potentia obedientiali poſſe terminari à perſonis diuinis, atque ideo habere diuerſam terminabilitatem; corpus verò per eandem omnino rationem formalem, videlicet quantitatem, terminaretur à locis. ¶ Per quod etiam ſoluitur confirmatio: nam omnes habitus Philoſophiæ tendunt ad obiectum ſub eadem ratione formali *ſubqua*: vnde formaliter loquendo non ſunt plures comprehendentes, ſed vnus, & idem adæquatè comprehendens, nempè habitus ſecundum ſpeciem acceptus: duo autem loca adæquatè diuerſa ſunt duo termini formaliter, & adæquatè diſtincti: & ideo ſi vnum corpus eſſet in duobus locis circunſcriptiuè, quilibet ex illis locis foret, & non foret terminus adæquatus illius. Præterquam quod: obiectum non comprehenditur ab habitu per continentiam phyſicam, ſed ſolùm per adæquationem intentionalem, quæ fit per diuerſas ſpecies: vnde non rectè ex illa trahitur argumentum ad continentiam, & comprehenſionem phyſicam locati à loco, quæ fit ratione vnius, & eiuſdem quantitatis.

46 Vltimò ſuadetur hæc opinio: quoniam de *facto* idem corpus fuit circunſcriptiuè in duobus locis: ergo id fieri poteſt per potentiam abſolutam. Conſequentia eſt euidens. Antecedens verò probatur, tùm quia Chriſtus Dominus in propria ſpecie apparuit B. Paolo, & tamen tunc ſimul erat in cœlo, ſiquidem ex quo Chriſtus ipſum ingreſſus eſt, nunquam illud deſeruit, iuxta illud *Actor.* 3. *Quem oportet cœlum ſuſcipere vſque ad tempus Reſurrectionis hominum*; aliàs interrumperetur ſaltem per breue tempus, gloria accidentalis ſanctorum, quæ præcipuè deſumitur ex præſentia corporali Chriſti: ergo idem corpus fuit de *facto* ſimul in duobus locis. Tùm etiam, quia non ſemel ſacratiſſima Chriſti caro apparuit in Euchariſtia, viſibiliter, ac localiter extenſa, vt conſtat ex hiſtorijs eccleſiaſticis: & tamen erat tunc ſimul in cœlo, vt patet ex proximè dictis: ergo.

Reſpondetur negando antecedens: ad cuius primam probationem dicendum eſt cum D. Thom. 3. *p. q.* 57. *art.* 6. Chriſtum Dominum per illud breue tempus, quo in terris apparuit Apoſtolo, non fuiſſe in cœlo. Nec oppoſitum probant verba illa ex 3. *Actor.* nam illorum ſenſus ſolum eſt, quod Chriſtus aſcendens in cœlum acquiſiuit ſibi, & nobis ius ad manſionem cœleſtem. Huic autem iuri minimè præiudicat, quod Rex ille cœleſtis per breue tempus deſcendat ad terram; ſi-

cut

cut apud nos ſolet Rex à curia diſcedere per breue ſpatium. Et cùm aliàs valeat Chriſtus Dominus ex quocumque loco lætificare Beatos; non ſequitur eorum gloriam accidentalem interrumpendam fore. Ad ſecundam reſpondetur cum eodem Angelic. Doct. 3. *p. q.* 76. *art.* 8. negando maiorem: quia quod in Euchariſtia aliquando videtur, non eſt corpus dominicum in ſe ipſo, ſed duntaxat quædā ſpecies, & ſimilitudo illius formata miraculoſè in dimenſionibus ſacramentalibus, vel in oculis, aut imaginatione intuentium: neque aliud conuinci queit ex hiſtorijs eccleſiaſticis. Eſto tamen, quod Chriſtus ibidem oſtenderit aliquando propriam ſpeciem; attamen pro illa morula deſeruit cœlum, vt ad primam probationem dictum eſt.

DISPVTATIO XX.

De vacuo.

VACVVM, vt ſumitur ex D. Thom. *in* 2. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 4. *eſt locus non repletus corpore*. Vnde vacuum eſt quoddam concretum accidentale importans de materiali aliquid poſitiuum, nempè locum, & addens per modum formæ priuationem corporis replentis. Per quod ſatis diſtinguitur à ſpatio imaginario: iſtud quippè ſolam negationem dicit, & nihil reale poſitiuum pro materiali importat. Poſt conſiderationem autem loci recto ordine ſuccedit, vt de vacuo diſſeramus: paucis tamen illius notitiam abſoluemus, quia leuioris negotij ſunt, quæ circa illud occurrunt.

QVAESTIO I.

Vtrum ſit poſſibile dari vacuum in natura.

TRia ſunt principia, de quibus dubitari poteſt, an per eorum virtutem, & vires queat dari vacuum in natura: nempè Deus, Angeli, & creaturæ corporales: & ideò per diſtinctas concluſiones quæſtionem enodare curabimus.

1 Dicendum eſt primò, per vires creaturæ corporalis non poſſe dari vacuum. Sic docet Ariſtot. *in hoc lib. cap.* 8. *&* 9. quem ſequuntur D. Thom. & communiter Philoſophi. Probatur ratione quoniam nullum agens corporeum poteſt agere in detrimentum huius vniuerſi: ſiquidem comparatur per modum partis ad illud tanquam ad totum, & nulla pars tendit in deſtructionem totius, cùm ab eo in ſuo eſſe dependeat: atqui vacuum, ſi daretur, cederet in detrimentum vniuerſi: ergo nequit dari per vires naturales agentis corporei. Suadetur minor: quia ad bonum huius vniuerſi ſpectat, quod illius partes ſint contiguæ; aliter enim corpora inferiora non poterunt participare influxum, ac virtutem à ſuperioribus: ſed vbi daretur vacuum, tolleretur hæc contiguitas, vt ex ſe liquet, ergo vacuum eſt contra bonum vniuerſi.

Confirmatur: nam quælibet natura maximo impetu conatur impedire, ne detur vacuum: ergo ſignum manifeſtum eſt, quod vacuum cedit in nocumentum eiuſdem naturæ, & per conſequens non poterit dari viribus naturæ, ſiue agentis corporalis. Antecedens conſtat experimentò: nam hac ratione ſi attrahatur aër à fiſtula contigua aquæ, aſcendit aqua ad occupandum locum relictum ab aëre, ne videlicet maneat ille locus vacuus: motus autem ſurſum eſt contra particularem inclinationem ipſius aquæ: ergo natura maximo conatu intendit vitare vacuum; aliàs non moueretur contra propriam, & particularem inclinationem.

2 Sed obijcies: datis duabus tabulis magnis perfectè planis, & ſe vndiquè, atque adæquatè tangentibus in ſuperficiebus, ſi ſuperior velocitèr, & æqualitèr eleuaretur, non poſſet non dari vacuum inter illas: quandoquidem aër circunſtans non valeret in illo breui eleuationis tempore peruadere totum medium inter vtramque tabulam, illudquè replere: ergo non repugnat, quod viribus agentis corporei detur vacuum. § Confirmatur: nam ſi vas plenum aqua calida, & vndique clauſum collocetur in loco frigido, aqua fiet denſior, & conſequenter occupabit minorem locum, & relinquet aliquale ſpatium: ſed nullum corpus ingredietur ad illud replendum; ſiquidem ſupponitur, quod vas eſt omnino occluſum: ergo poteſt dari vacuum per vim, ac diſpoſitionem agentis corporei.

Reſpondetur ad obiectionem, vnam tabulam non poſſe viribus naturæ diſiungi ab alia in inſtanti, ſed in tempore: in illo autem tempore, etſi breuiſſimo ingrederetur aër motu velociſſimo, & proportionato tempori, quod eſſet neceſſarium ad tabulæ eleuationem: qui motus ideò velocior ſolito foret, ne daretur vacuum in natura. Quod ſi id non ſufficeret ad obſiſtendum vacuo; vel tabula ſuperior eleuaretur inæqualiter, vel æqualiter mota ſecum traheret inferiorem: hæc enim; & alia operaretur natura, ne detrimentum vacui ſubiret. Per quod patet ad confirmationem: quoniam ſi vacuum non poſſet aliter euitari, niſi per fractionem, & aliquam diuiſionem vaſis neceſſariam ad ingreſſum aëris, vas illud quamuis adamantinum frangeretur; id quod non ſemel expri entia teſtatur.

3 Dicendum eſt ſecundò, non poſſe dari vacuum per virtutem alicuius Angeli. Hæc aſſertio eſt æque communis ac præcedens, & ſuadetur: quoniam ordo vniuerſi nequit immutari ab Angelis: ſed contra ordinem, & bonum vniuerſi eſt, quod detur vacuum: ergo nequit dari per vires angelicas. Minor conſtat ex dictis pro prima concluſione. Maior autem probatur, tùm ex illo Pauli *ad Hebræos* 2. *Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ*. Tùm ex D. Thom. *quæſt.* 16. *de Malo art.*

art. 10 ad vltimum, vbi inquit: *Licèt dæmones poſſint mouere aliquam partem terræ, non ſequitur, quod poſſint mouere totam terram: quia hoc non eſt proportionatum naturæ ipſorum, vt mutent ordinem elementorum mundi.* Tùm ratione, quia inuertere ordinem vniuerſi eſt miraculum in ordine naturæ: ſed Angelus nequit propria virtute facere miracula: ergo nec immutare ordinem vniuerſi. Ad hæc: eius eſt immutare aliquem ordinem, cuius eſt præfigere illum: conſtituere autem ordinem vniuerſi eſt proprium Auctoris illius, nempè Dei: ergo nemo præter Deum queit operari contra prædictum ordinem, illum immutando.

4 Sed oppones: corpora etſi non obediant Angelis ad nutum, obediunt tamen eis in ordine ad motum localem, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 110. *art.* 5. ergo quando aër per fiſtulam attrahitur, poterit Angelus impedire, ne aliquod corpus aſcendat ſurſum, dabiturquè proinde vacuum. ¶ Et confirmatur: quia maioris efficaciæ eſt virtus Angeli, quam ſit ille conatus, quo aqua aſcendit ſurſum, vt impediat vacuum: ergo poterit Angelus facilè prædicto motui obſiſtere.

Reſpondetur, corpora obedire Angelis in ordine ad eos motus locales, qui tendunt in aliquod bonum, vel malum particulare; ſecùs verò in illis, qui conducunt ad bonum commune vniuerſi, vel cederent in detrimentum illius; vacuum autem aduerſatur bono communi: & ideo nequeunt Angeli obſiſtere corporibus, cùm illi detrimento per proprios motus ſubuenire procurant. Vnde etiam ſoluitur confirmatio: nam ille motus, quo aqua ſurſum fertur ad impediendum vacuum, eſt participatio quædam ordinationis, & efficaciæ Auctoris naturæ: & ideo excedit vires particulares cuiuſuis creaturæ, etſi ſpiritualis ſit.

5 Dicendum eſt tertiò, per potentiam Dei poſſe dari vacuum in natura. Hæc concluſio difficultate vacat, & poteſt breuiter oſtendi, tùm quia potuit Deus creare ſolas cœleſtes ſphæras, non creatis elementis; in hoc enim nulla apparet repugnantia: ſed in tali caſu totum ſpatium, quod modo repletur elementis, eſſet vacuum: ergo. Tùm etiam, quia poſſet Deus annihilare in inſtanti elementum ignis, & denegare concurſum alijs corporibus, vt mouerentur ad replendum illud vacuum. Tùm denique, & præcipuè, quia totus ordo huius vniuerſi ſubijcitur Deo, valetquè proinde ad eius nutum immutari.

QVÆSTIO II.

An corpus moueretur per vacuum, & eius motus fieret in inſtanti.

6 Dicendum eſt primò, quod, dato vacuo, poſſet corpus, moueri per illud. Sic D. Thom. *in præſent. lect.* 12. & *in* 4. *d.* 44. *q.* 2. Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 9. Sotus, Toletus, Maſius, Rubius, & alij plures in præſenti. Probatur deſtruendo fundamentum oppoſitum: nam ideo corpus non poſſet moueri per vacuum, quia motus corporum inferiorum dependet ab influentia cœli, quæ in prædicto caſu non poſſet participari ob carentiam contiguitatis: ſed hæc ratio eſt nulla, ſiquidem prædicta influentia poſset optimè ſuppleri à Deo, vt ex ſe conſtat: ergo, cum prædictum corpus eſset ab intrinſeco mobile, poſset etſi in vacuo exiſtens moueri. Id, quod magis apparet, & contingeret in corporibus glorioſis; hæc quippè in ſuis motibus non ſubduntur primo mobili, aut alteri influentiæ cœleſti.

7 Dicendum eſt ſecundò, quod corpus in vacuo moueretur non in inſtanti, ſed in tempore. Hanc aſſertionem tuentur communiter Doctores, qui præcedentem amplectuntur. Fundamentum eſt; nam ideo motus factus per vacuum eſset inſtantaneus, quia nullam haberet reſiſtentiam ex parte medij: ſed ſtat benè, quod medium non reſiſtat, & tamen motus conſumat tempus: ergo. Minor oſtenditur, tùm in motu cœli, qui non fit in inſtanti, quamuis ei medium nullatenùs obſiſtat. Tùm quia ſucceſſio motus non oritur adæquatè ex ſola reſiſtentia medij; ſed etiam ex alijs capitibus, vt puta ex limitatione virtutis motiuæ, & ex diſtantia locorum. Et planè ſi motus factus per vacuum foret inſtantaneus, iam illo inſtanti corpus motum eſset ſimul in medio, & in termino: ac proinde occuparet ſimul diuerſa loca, quod eſt abſurdum.

Contra primam concluſionem ſentiunt Albert. Magn. 4. *Phyſic. tract.* 2. *cap.* 6. & 7. Themiſtius, Simplicius, & alij ex antiquis. Et ſuadetur eorum opinio: quoniam repugnante termino motus, repugnat motus ipſe: ſed vbicatio, quæ eſt terminus motus localis, nequit eſſe in vacuo: ergo in vacuo non poſſet dari motus localis. Probatur minor: quia vbicatio reſultat in corpore locato ex adiacentia loci: ſed corpus, quod eſt in vacuo, non eſt in loco: ergo vbicatio nequit eſſe in vacuo. ¶ Confirmatur: quia motus factus per vacuum non eſſet in aliqua ſpecie: ergo eſt impoſſibilis. Conſequentia patet: quoniam implicat, quod aliquid ſit à parte rei, & non contineatur ſub certa ſpecie. Antecedens autem ſuadetur: nam in vacuo non eſſet locus *ſurſum*, *deorſum*, &c. à quibus ſumuntur ſpecies motus localis: ergo motus localis factus per vacuum non eſſet in vlla ſpecie.

Reſpondetur negando maiorem: quia vbicatio non petit neceſſariò reſultare ex adiacentia loci particularis; ſed poteſt reſultare ex adiacentia loci communis, ad eum ſanè modum, quo *quando* reſultat ex circuminſidentia temporis primi mobilis. Corpus autem, quod eſſet in vacuo adhuc contineretur intra aliquem locum communem v. g. cœlum; ſiquidem vacuum non importat puram carentiam, ſed dicit locum non repletum corpore. Quamobrem per habitudinem ad talem locum reſultaret *vbi*, & per motus locales, quibus corpus magis approximaretur, aut diſtaret à prædicto loco, vel partibus illius, producerentur diuerſæ vbicationes; & quia huiuſmodi vbicationes importarent maiorem, & minorem diſtantiam à cęlo, non poſſent non ſpecie diſtingui: quandoquidem, quæ eſſet propè cœlum, importaret *ſurſum*, & quę diſtaret à cœlo, diceret *deorſum*; atque ideo transfunderent diuerſas ſpecies in motus ad ſe terminatos. Vnde patet ad confirmationem.

8 Oppoſitam ſecundæ aſſertioni opinionem tuetur Auerr. Burleus & alij, quorum fundamentum eſt: quoniam quo medium minus reſiſtit, eò motus eſt velocior: & ideo ſol illuminat in inſtanti quia nullam inuenit ex parte medij reſiſtentiam: ſed ſi motus fieret in vacuo non haberet vllam reſiſtentiam ex parte medij; ſiquidem careret medio: ergo eſſet infinitè velox, atque ideo inſtantaneus.

Ad hoc tamen ſatis conſtat ex ſupra dictis; nam ſucceſſio motus localis non oritur adæquatè ex reſiſtentia medij, ſed etiam ex alijs capitibus. Vndè licèt motus factus in vacuo, quantum eſt ex parte carentiæ reſiſtentiæ medij nullum tempus conſumeret; attamen ob limitationem mouentis, & diſtantiam poſitiuam inter terminos a *quo*, & *ad quem* nequit non illud conſumere. Inſtantia verò illuminationis oppoſitum non perſuadet: quia in qualitatibus ſola reſiſtentia ex parte paſſi retardat earum introductionem: luci autem nihil eſt contrarium, aut reſiſtens poſitiuè: & ideo diffunditur inſtantaneè. Hoc autem non procedit in motu locali, qui poteſt ex alijs capitibus retardari, vt hactenus dictum eſt.

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO XXI.

De Tempore.

QVia tempus eſt duratio propria earum rerum, quæ à loco circunſcribuntur, vt ſunt omnia entia naturalia, ideò ob connexionem doctrinæ, poſtquam tractauimus de loco, diſputationem de tempore inſtituimus. Adeò autem obſcurè deprehenditur propria temporis quidditas, vt Auguſtinus,tametſi præditus aquilino ingenio, dixerit *lib.* 11. *Confeſſ. cap.* 14. *Quid eſt tempus? ſi nemo ex me quærat, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio.* Vndè mirum non erit, ſi in iſta parte caligauerimus, nec huic materiæ potuerimus afferre, quam optamus, lucem. Ea tamen curabimus procedere brevitate, & diſtinctione, quæ maiorem claritatem conciliet.

QVÆSTIO I.

An ſit, & quid ſit tempus.

VTramque quæſtionem ſimul coniungimus, quia vnius reſolutio mutuò alteri ſubſidio eſt: à faciliori tamen exordium accipiemus.

§. I.

Communis ſententia duabus aſſertionibus explicatur.

1 DIcendum eſt primò, tempus eſſe verum ens reale, vereque exiſtere. Ita Ariſtot. *cap. de quantitate*. D.Thom. *opuſc.* 44. *de tempore cap.*1. cuius verba infra proponemus, B. Albertus *in hoc lib. tract.* 3. *cap.* 16. & communiter omnes Doctores. Probatur ratione: quia menſura, ſeu duratio debet proportionari cum re durante: vndè quia æternitas eſt duratio rei infinitæ, & increatæ, nempè Dei, ideò eſt increata, & infinita: ſed tempus eſt menſura, ſiuè duratio motus, qui eſt aliquid reale, vt ex ſe conſtat: ergo tempus eſt aliquid reale, & datur à parte rei ſicut ipſe motus.

Confirmatur primò: quia motus primi mobilis verè, & realiter habet maiorem durationem, quam lapis deorſum deſcendens: ſed tempus eſt duratio motus: ergo motus à parte rei habet tempus; & conſequenter tempus eſt aliquid reale.

Confirmatur ſecundò: quia ſucceſſiua exiſtent realitèr, & ratione vnius indiuiſibilis nectentis vnam partem cum alia: atqui in tempore dantur huiuſmodi indiuiſibilia: ergo tempus realitèr exiſtit. Suadetur minor: quia tempus proportionatur motui, cùm ſit menſura eius: ſed in motu, præter partes, dantur propria *mutata eſſe*: ergo cuilibet *mutato eſſe* motus correſpondet aliquod inſtans temporis. Vndè ſicut motus verè, & realiter decurrit, & quædam eius partes dilabuntur, & quædam adueniunt, & exiſtit per ſua *mutata eſſe*; ſic tempus debet realiter fluere, conſtareque partibus præteritis, & futuris; inſimulque iſtantibus, ratione quorum verè, & realiter exiſtat, non minus, quam ipſe motus. Vndè Angelic. Doct. *opuſc. cit.* referens contrariam opinionem adiecit: *Iſtud non poteſt habere veritatem: quia cum tempus ſit numerus* (hoc eſt menſura, & duratio) *motus; & ſit numerus numeratus, ſic eſt neceſſe eſſe tempus, ſicut, & motum: conſtat autem, quod motus eſt in re extra: ergo, & tempus eſt in re extra.*

2. Nec refert ſi nobis opponas eundem S. Doct. *in* 1. *d.* 19. *q.* 5. *art.* 1. vbi ait: *Et ſimiliter eſt de tempore, quod habet fundamentum in motu, ſcilicet prius, & poſterius ipſius motus; ſed quantum ad id, quod eſt formale in tempore, ſcilicet numeratio, completur per operationem intellectus numerantis.* Quæ verba ſatis inſinuant, quod tempus formaliter acceptum eſt ens rationis. Non, inquam, refert: quia cum D. Thom. dicit tempus compleri per actum intellectus, loquitur de complemento extrinſeco, quod ſupponit veram entitatem; eo ſane modo, quo res ab intrinſeco intelligibilis completur in ſua intelligibilitate, quando actu intelligitur. Numeratio quippè, quam S. Doct. aſſerit eſſe formale in numero, alia eſt fundamentalis, ſiue radicalis; alia verò formalis, ſiuè actualis. Prior conſiſtit in entitate menſuræ intrinſecè communicatæ menſurato: poſterior autem importat actum intellectus, per quem, ſuppoſitis menſura, & menſurabili, certificamur de quantitate iſtius. Et hæc vltima numeratio, ſiuè menſuratio, eſt complementum extrinſecum prioris. Tempus autem eſſentialiter, ac formaliter ſumptum, dicit ſolam primam numerationem, quam certum eſt dari abſquè operatione intellectus, & ideò tempus eſt ens reale; per poſteriorem verò numerationem, quam eſſentialiter non importat, ſolùm completur extrinſecè. Vndè perſpicua manet mens D. Thom. intendit enim numerationem fundamentalem, in qua conſiſtit formaliter eſſentia temporis, compleri extrinſecè per operationem intellectus actu numerantis.

3 Dicendum eſt ſecundò, quidditatem temporis conſiſtere in eo, quod ſit numerus, ſiuè *menſura motus ſecundum prius & poſterius*. Sic definit Ariſtot. *in præſenti cap.* 11. Hancquè definitionem admittunt, & elucidant D. Thom. Albertus Magn. Auerr. Simplicius, Themiſtius, & communiter Interpretes. Pro cuius luce obſeruandum eſt, eſſentiam cuiuslibet rei manifeſtam nobis fieri per illius genus, & differentiam. Temporis autem genus conſiſtit in conceptu durationis; ſiquidem in hac ratione conuenit cum æternitate, & æuo. Vnde

cum

cùm duratio ſit menſura rei perſiſtentis in eſſe, nequit non tempus ex conceptu generico importare rationem menſuræ. Porrò menſuræ differentia deſumenda eſt per habitudinem ad res menſuratas. Id autem, quod tempore menſuratur eſt motus, ſiue res ſubiecta motui, & ideo temporis ratio explicanda eſt per ordinem ad motum: quamobrem tempus dicitur eſſe *numerus ſiue menſura* motus, ſecundum prius, & poſterius.

Hinc apparet, quam legitima ſit prædicta definito: quoniam omnis quantitas eſt menſura ſui ſubiecti, vt diximus *in Logica diſp.* 13. *q.* 1. ſed tempus eſt vera ſpecies quantitatis, vt ibidem ſtatuimus *quæſt.* 3. ergo eſt menſura proprij ſubiecti: hoc autem eſt motus: ergo optimè declaratur temporis natura per hoc, quod ſit menſura motus, ſecundum prius & poſterius. ¶ Confirmatur primò: quia æternitas eſt duratio propria Dei, optimè deſcribitur per hoc, quod ſit menſura diuini eſſe: & quia, æuum eſt duratio propria Angeli, rectè definitur per habitudinem menſuræ ad illum: ergo quia tempus eſt duratio propria motus, ſiue rerum, quæ mutationi ſubiectæ ſunt, rectè declaratur dicendo, quod eſt menſura motus, ſecundum prius, & poſterius. ¶ Confirmatur ſecundò: quia tempus eſt duratio ſucceſſiua: ergo debet eſſe menſura rei ſucceſſiuæ, habentiſquè proinde partes priores, & poſteriores: hoc autem ſignificatur per ly *menſura motus ſecundum prius, & poſterius*: ergo prædicta definitio eſt legitima. Maximè cùm conſtet ex genere, & differentia, vt patet ex ijs, quæ pro intelligentia illius prænotauimus.

4 Hic autem obſerua, quod cùm tempus conſurgat ex motu, eumquè intrinſecè afficiat, debet multiplicari iuxta multiplicationem illius, & illi proportionari, de quo iterum dicemus quæſt. ſequent. Motus autem primi mobilis eſt valdè vniformis, & regularis; ac proinde tempus illius eadem vniformitate, ac regularitate gaudet. Vndè quia menſura debet eſſe regularis, vniformis, & valdè nota, ideo prædictum tempus aptiſſimum eſt ad menſurandum extrinſecè omnes alios motus, & eorum tempora. Et ob hanc rationem tempus primi mobilis habet ſimpliciter, & quaſi per antonomaſiam eſſe menſuram motus: quoniam non ſolùm eſt menſura intrinſeca motus, quem afficit, quod eſt omni tempori commune; ſed etiam menſurat extrinſecè omnia alia tempora, quod eſt ipſi peculiare: per habitudinem quippè ad tempus primum, ſeu primi mobilis certificamur de quantitate, ſiuè extenſione cæterorum temporum. Ex quo fit, quod licèt adducta temporis definitio queat cuiuis tempori adaptari, attamen peculiari titulo debeat tempori primi mobilis conuenire: eiquè illam ſpecialiter accomodant Ariſtot. *in hoc lib. text.* 133. & D. Thom. *ibidem lect.* 23.

§. II.

Aduerſa fundamenta demoliuntur.

5 Tempus eſſe ens reale negant Auerr. & Galenus, vt refert D. Thom. *opuſc. cit.* quibus conſentit Pereyra *lib.* 12. *cap.* 13. Et poteſt ſuaderi hæc opinio ex Philoſophò *in præſenti cap. vlt.* vbi inquit, quod ſi non eſſet anima, non eſſet tempus: ergo ſentit tempus eſſe ens rationis, cuius proprium eſt habere eſſe in ſola anima, ſiue intellectu.

Hoc tamen facilè diluet, qui textum legeret: ſiquidem in eo Ariſtot. mouet dubitationem, an tempus eſſet, non exiſtente anima? arguitquè ad ſuadendum partem negatiuam, & ibi continentur verba relata; & ideo non vigent. Poſtea verò ſoluit dubitationem concludens: *Quod aut oportet dicere, quod tempus non ſit, ſi non eſt anima; aut oportet hoc dicere veriùs, quod tempus eſt vtcumque ens ſine anima &c.* Ideo autem aſſerit, tempus eſſe ens *vtcumque*, ſiue imperfectè: quia non habet eſſe fixum; & ſtabile in rebus; ſed continuò dilabitur, & exiſtit per ſola inſtantia, vt infra declarabimus. Vnde coëxiſtentia, ſeu ſimultas omnium partium temporis ſolùm poteſt haberi per operationem animæ illas ſimul apprehendentis: & ideo dicitur, quod tempus ſine anima eſſet ens vtcumque. Hoc autem minimè ſuadet, quod tempus non ſit ens reale: nam idipſum contingit in motu; quem tamen dari à parte rei, & experimentum conuincit, & ab Aduerſarijs conceditur.

6 Deindè arguitur ratione: quia in continuo non datur numerus, niſi per operationem intellectus: lignum enim non habet numerum palmorum, niſi per intellectum illos diſtinguentem, & ſupputantem: ſed tempus eſt numerus rei continuæ, nempè motus v. g. primi mobilis: ergo tempus non datur à parte rei, ſed ſolùm per intellectum. ¶ Confirmatur: quia partes temporis ſunt præteritum, futurum: ſed neutra ex his partibus exiſtit à parte rei, ſiquidem præteritum iam non eſt, & futurum nondum eſt: ergo tempus non exiſtit verè, & realiter.

Reſpondetur, quod licèt in tempore non detur numerus actu; datur tamen vera, & realis ratio menſuræ, vt conſtat ex dictis: & ideò tempus eſt aliquid reale. Quia tamen numerus, ſiue quantitas diſcreta eſt nobis notior quantitate continua; idcircò menſuram appellamus numerum, & quamlibet rem menſuratam, etſi continuam ſub certo numero apprehendimus, vt quando dicimus, pannum habere decem vlnas. Et hac ratione, licèt tempus ſit quantitas continua, appellatur numerus motus, quia per illud certificamur de quantitate motus. ¶ Ad confirmationem reſpondemus, quod licèt tempus non exiſtat per ſuas partes, exiſtit tamen per aliquid ſui, nempè per inſtantia, quæ continuò ſuccedunt: & hoc ſatis eſt, vt ſit ens reale, & exiſtat, vt videre eſt in omnibus alijs entibus ſucceſſiuis.

7 Aduerſus ſecundam concluſionem opinantur idem Galenus, & alij, qui definitionem temporis traditam ab Ariſtot. paruipendunt, & impugnant. *Primò*: quia quantitas continua nequit definiri per quantitatem diſcretam: ſed tempus eſt quantitas continua; numerus verò eſt quantitas diſcreta: ergo minùs rectè dicitur, quod tempus eſt numerus: *Secundò*: quia menſura debet eſſe notior re menſurata: ſed tempus eſt valdè ignotum; motus autem eſt res notiſſima: ergo tempus nequit eſſe numerus, ſiue menſura motus. *Tertiò*; quoniam tempus non ſolùm eſt menſura motus, ſed etiam quietis priuatiuæ, imò etiam ſubſtantiæ corruptibilis: ergo non debuit definiri per ſolùm motum. *Vltimò*: nam *prius*, & *poſterius* determinantur per tempus, & definiuntur per ordinem ad illud: ergo committitur circulus vitioſus in definitione temporis; ſiquidem natura illius deſcribitur per ordinem ad *prius*, & *poſterius*.

Sed hæc leuioris negotij ſunt, vt ob ea deſerenda ſit definitio tradita à Philoſopho, & communiter admiſſa. Ad primam enim impugnationem conſtat ex ſupra dictis, quod ly *numerus* non ſumitur propriè; ſed ſignificat menſuram, quæ à nobis explicatur per numerum, quoniam quantitas diſcreta eſt notior quantitate continua.

Ad ſecundam dicendum eſt, quod tempus ſumptum in actu ſignato eſt valde ignotum, & explicatu difficilè; attamen in actu exercito ſatis manifeſtum eſt, quippè cùm liquidò deprehendamus fluxum, & præteritionem illius, omniumquè rerum, quæ ipſo decurrente, labuntur. Menſuratio autem motus per tempus fit in actu exer-

exercito; quocirca non prohibètur tempus ex hac parte habere rationem menſuræ.

Ad tertiam reſpondemus, quietem priuatiuam menſurari per tempus ſolum ſecundariò, & per accidens; non verò primariò, & vt ſubiectum recipiens ipſum tempus: quo pacto motus habet menſurari per illud. Subſtantiæ autem corruptibiles; eatenùs menſurantur tempore, quatenùs ſecundum ſuum eſſe ſubijciuntur motui, & tendunt ad interitum: quamobrem ſatis fuit ad exponendum naturam temporis, dicere, quod eſt menſura motus.

Ad vltimam dicimus, quod *prius*, & *poſterius* poſita in definitione temporis, ſumuntur, quatenùs cauſantur in motu ex magnitudine, non verò ſecundum quod determinantur, aut menſurantur per tempus: nam *prius*, & *poſterius*, priùs inueniuntur in magnitudine, quam in motu, & in motu, quam in tempore. Vnde nullus datur circulus vitioſus: quia *prius*, & *poſterius*, quatenùs menſurata definiuntur per tempus, iſtud verò definitur per ly *prius*, & *poſterius*, non vt menſurata, ſed entitatiuè accepta; & per conſequens non ſumuntur ſecundum eandem rationem in vtraque definitione. Videatur D. Thom. *in præſenti lect.* 17.

QVÆSTIO II.

Vtrum ſit tantùm vnum numero tempus.

PRæſentem quæſtionem præcedenti immediatè atteximus, quoniam iſtius deciſio ab illius reſolutione pendet, & maiori ex parte habetur. Obſeruandum autem eſt ex D. Thom. *in 2. diſt.* 12. *q.* 1. *articul.* 5. *ad* 3. quod tempus poteſt ſumi dupliciter. Primò ſecundum ſua eſſentialia: quo pacto ſolùm importat durationem ſucceſſiuam cauſatam ex priori, & poſteriori motus. Secundò in ratione menſuræ omnium motuum: qua ratione importat tres conditiones, quas Ariſtot. recenſet *in hoc lib. cap.* 24. Prima eſt, quod ſit aliquo modo indiuiſibile: quia per id, quod eſt ſimpliciùs in aliquo genere, menſurantur cætera talis generis. Secunda, quod ſit vniforme, ac inuariabile, vt ita poſſimus in certam rei menſuratæ cognitionem deuenire. Tertia, quod ſit notius alijs ſui generis, vt ſic deſeruiat ad eorum notitiam. Et quia ſecundum communem concipiendi, & loquendi modum, ſolet tempus ſumi in ratione menſuræ; hinc eſt, quod tempus, cui prædictæ conditiones conueniunt, dicatur tempus, quaſi per antonomaſiam. His prælibatis facilè apparet deciſio præſentis difficultatis.

§. Vnicus.

Duplex concluſio pro dubij reſolutione.

8 DIcendum eſt primò, tempus ſecundum eſſentialia acceptum multiplicari ad multiplicationem motuum. Hæc eſt mens Ariſtot. *in hoc lib. cap.* 10. vbi cùm inquiſiſſet, an tempus ſit vbique? reſpondet: *eſſe vbique: quia vbique eſt aliquis motus*. Idem tradit D. Thom. 1. *p. q.* 66. *art.* 4. *ad.* 3. dicens: *Motum autem non eſt intelligere ſine tempore; cum nihil ſit aliud tempus, quam numerus prioris, & poſterioris in motu*. Vnde hanc ſententiam amplectuntur Caiet. Maſius, Rubio, & alij plures, tàm ex Thomiſtis, quàm ex alijs.

Fundamentum eſt: quoniam tempus eſt numerus, ſiue menſura motus reſultans ex eius partibus prioribus, & poſterioribus: atqui non ſolùm motus primi mobilis habet partes priores; ſed etiam quilibet motus: ergo tempus eſſentialiter acceptum inuenitur in quocumque motu, & multiplicatur ad multiplicationem illius. ¶ Confirmatur primò: quia vnicuique motui ineſt ſua intrinſeca duratio, quæ non eſt alia, quam tempus: hoc igitur eſſentialiter conſideratum non eſt vnum numero, ſed multiplex pro motuum diuerſitate.

§ Confirmatur ſecundò: nam ſi, deſtructo primo mobili, permanerent res ſublunares, vt fieri poteſt; adhuc iſta durarent, vt ex ſe liquet; ſed non per tempus extrinſecum primi mobilis. ergo per proprium tempus: ergo tempus eſſentialiter ſumptum non reperitur ſolùm in motu primi mobilis, ſed etiam in quolibet motu. Quod eleganter expreſſit D. Auguſt. 11. *Confeſſ. cap.* 32. vbi ait: *Audiui à quodam homine docto, quod ſolis, ac lunæ, ac ſyderum motus ſint tempora, & anni. Cur enim non potiùs omnium corporum motus ſint tempora? An verò ſi ceſſaſſent cœli lumina, & moueretur rota figuli, non eſſet tempus?*

9 Dices ſequi ex hac doctrina, quod plura accidentia ſolo numero diuerſa poſſint naturaliter in eodem ſubiecto reperiri: conſequens eſt abſurdum: ergo. Sequela oſtenditur: quia poteſt quis ſimul habere plures motus, vt ſi ſimul alteretur, augeatur, & moueatur localiter: ergo ſi in quolibet motu inuenitur ſuum intrinſecum tempus, ſequitur, quod plura accidentia ſolo numero diuerſa inueniantur in eodem ſubiecto. ¶ Reſpondetur negando ſequelam: quoniam ſubiectum *quo* temporis eſt motus menſuratus per illud. Quare ſatis eſt, quod motus ſpecie differant, vt ſubiectum illorum temporum non ſit omnino idem in ratione ſubiecti; licet aliàs ſit idem ſubiectum materialiter, vt ſupponitur. Sicut enim ſubſtantia habens duas quantitates poſſet recipere duas albedines; ſic ſubiectum habens plures motus valet recipere plura tempora: quia ſicut quantitas eſt ratio recipiendi albedinem; ita motus eſt ratio recipiendi tempus. Vnde non ſequitur, quod duo tempora ſint in eodem omninò ſubiecto.

10 Dicendum eſt ſecundò, tempus ſumptum in ratione menſuræ vniformis, ac certiſſimæ, eſſe duntaxat vnum numero, illud nimirum, quod reperitur intrinſecè in motu primi mobilis. Hanc docet Ariſtot *in hoc lib. cap.* 14. D. Thom. 1. *p. q.* 10. *art.*... D. Bonauent. *in* 2. *diſt.* 2. *art.* 1. *q.* 2. Durand. *quæſt.* 5. Capreolus, Ferrara, & alij plures.

Probatur auctoritate ſimul, & ratione D. Thom. *loco cit.* vbi hæc habet: *Eſt ergo ratio vnitatis temporis vnitas primi motus: ad alios autem motus comparatur ſolùm, vt menſura ad menſuratum. Vnde ſecundùm eorum multitudinem non multiplicatur: quia vna menſura ſeparata, multa menſurari poſſunt.* ¶ Confirmatur, quia idem S. Doct. docet ibidem, quod in æuiternis datur vnum æuum; per quod omnia æuiterna extrinſecè menſurantur: ergo pariter in corruptibilibus datur vnum tempus, à quo omnia corruptibilia habeant menſurari extrinſecè. Patet conſequentia: nam ſicut æuum, ſiue duratio primi Angeli eſt ſecundum ſe notius, ſimplicius, atque immutabilius æuis cæterorum Angelorum; ita tempus primi mobilis eſt magis ſimplex vniforme, & inuariabile, quam tempora aliorum motuum: ergo ſicut æuum primi Angeli eſt aptum, vt per illud menſurentur durationes aliorum Angelorum, tanquam per menſuram extrinſecam; ita tempus primi mobilis poteſt, ac debet habere rationem menſuræ extrinſecæ, reſpectu aliorum motuum, & temporum: ergo, conſiderando tempus in ratione menſuræ omnium motuum, non datur, niſi vnicum tempus, videlicet primi mobilis.

Digitized by Google

Ad hæc: primum in vnoquoque genere eſt menſura cæterorum; ſed primum tempus eſt tempus primi mobilis: ergo eſt menſura cæterorum temporum; & per conſequens, loquendo de tempore ſecundum rationem menſuræ primæ, regularis, & valdè notæ, ſolùm datur vnicum tempus primi mobilis.

11 Obijcies: tempora rerum ſublunarium non dicunt habitudinem menſurabilis ad menſuram, ad tempus primi mobilis, nec important aliquam dependentiam ab eo: imò verò per motus horologij menſuramus ipſum motum, & tempus primi mobilis: ergo etſi tempus conſideretur in ratione menſuræ, non eſt vnum numero tempus, ſed multiplex. ¶ Reſpondetur negando antecedens: quia coëxiſtentia durationis inferioris ad ſuperiorem regularem, & notiſſimam fundat relationem menſurabilis ad menſuram, cùm ab ea dependeat, in cognitione propriæ extenſionis. Quod ſi ad deſignandum tempus primi mobilis vtimur horologijs, id eſt per accidens: nam per ſe loquendo prima ratio menſuræ durationis temporalis, in ſolo tempore primi mobilis reperitur: quandoquidem ipſum habet maximam vniformitatem; horologij autem motus eſt irregularis, vt experimentò liquet.

12 Contra has concluſiones ſolet referri duplex ſententia extrema: alia, quæ vniuerſaliter aſſerit, non dari, niſi vnum numero tempus; alia verò, quæ ſine diſtinctione defendit, tot eſſe tempora, quot ſunt motus. Exiſtimamus tamen, præmiſſa diſtinctione ſupra tradita temporis eſſentialiter accepti, & in ratione menſuræ ſumpti, vel vtramque opinionem reduci ad concordiam: vel fundamenta vnius, & alterius elidi. Nam quæ aſſerit tempora multiplicari, ſolùm conſiderat eſſentialia temporis: idque ſuadent rationes, quas pro prima aſſertione expendimus. Quæ autem negat temporum multiplicitatem, contemplatur tempus in ratione menſuræ: idquè conuincitur argumentis factis pro ſecunda concluſione; Vndè nulla ſupereſt difficultas, cui oporteat ſpecialiter ſatisfacere.

QVÆSTIO III.

An tempus, & motus realiter diſtinguantur.

DEciſio præſentis difficultatis plurimum confert ad perfectam notitiam temporis, cui ſpecialiter conſiderando incumbit ex officio Philoſophus: ob connexionem tamen doctrinæ, neceſſum erit aliqua inſerere, ad alias durationes ſpectantia.

§. I.

Pars affirmatiua eligitur, & ſuadetur.

13 DIcendum eſt; tempus diſtingui realiter à motu. Ita Ariſtot. & D. Thom. *locis ſtatim referendis*, Ricard. *in 2. diſt. 2. art. 2. q. 4.* Henric. *quodlib. 3.* Soncinas 12. Metaph. *quæſt.* 58. Iauel. *in præſent. q.* 10. & alij plures. Probatur primò ex Philoſoph. *cap.* 11. huius libri, vbi ex profeſſo oſtendit, tempus non eſſe ipſam circulationem cœli, reprehenditque oppoſitum aſſerentes: ſi autem tempus non diſtingueretur realiter à motu, tempus cœli eſſet re vera ipſa circulatio; atque id aſſerentes immeritò reprehenderentur: ergo ex mente Ariſtot. tempus differt realiter à motu. Quod etiam expreſſit 9. *Metaph. text.* 29. dicens: *Tempus ſecundum alios motum eſſe; re tamen vera, non niſi paſſionem eius.*

¶ Confirmatur ex D. Thom. 1. *p. q.* 10. *art.* 2. vbi ait: *In Deo duratio eius non diſtinguitur ab illo; ſecus verò in creaturis*: Sed duratio Dei diſtinguitur virtualiter ab illo: ergo duratio motus differt ab eo, non ſolum virtualiter, ſed etiam realiter actualiter: aliàs nulla eſſet inter vtramque durationem, quantum ad hoc, differentia, quam tamen S. Doct. intendit.

14 Secundò probatur ratione generali: nam quælibet duratio creata diſtinguitur realiter à re durante: ſed tempus eſt duratio creata, vt ex ſe liquet; ergo differt realiter à motu, cuius eſt duratio. Maior probatur, tùm ex D. Thom. *loco* proximè *citato*. Tùm quia, quod aduenit enti in actu, aduenit accidentaliter, debetquè proindè ab eo diſtingui realiter: ſed duratio creata aduenit enti in actu, ſiue exiſtenti: ſiquidem priùs eſt rem exiſtere, quàm durare: ergo duratio creata diſtinguitur realiter à re, quæ durat. Tùm etiam, quia duratio Dei, nempè æternitas diſtinguitur virtualiter ab eſſentia diuina: ergo duratio creaturarum diſtinguitur realiter à re durante: quandoquidem tunc datur diſtinctio virtualis inter prædicata diuina, quando datur æquiualentia, ſiue eminentia æquiualens illis prædicatis, quæ diſtinguuntur realiter in creaturis.

15 Tertiò probatur ſpecialiter ratione deſumpta ex Ariſtot. & D. Thom. 4. *Phyſic. cap.* 11. quoniam poſſunt duo motus eſſe realiter inæquales in multitudine partium, quin eorum durationes habeant realiter illam inæqualitatem: ergo motus, & tempus non ſunt realiter idem. Conſequentia videtur euidens. Antecedens autem oſtenditur: quoniam in duratione vnius horæ poteſt vnum mobile percurrere ſpatium vnius leucæ; & aliud mobile duplo velociùs, percurrere ſpatium duarum leucarum: conſtat autem, quod in hoc caſu motus eorum mobilium ſunt inæquales in multitudine partium; ſiquidem magnitudo motus debet proportionari magnitudini ſpatij, quod percurritur: è contra verò eorum motuum durationes ſunt æquales; cùm durent per eandem horam: ergo fieri poteſt, quod duo motus ſint inæquales, & nihilominùs eorum durationes æquales ſint.

Reſpondet Suarez negando antecedens, ad cuius probationem occurrit dicens, quod durationes intrinſecæ illorum motuum ſunt inæquales in multitudine partium, ſicut ipſi motus, adæquantur tamen durationi extrinſecæ primi mobilis, ob tarditatem vnius motus, & velocitatem alterius: ſicut etiam duæ quantitates permanentes inæquales in multitudine partium, queunt eidem loco correſpondere ob condenſationem quantitatis maioris, & raritatem minoris: quo pacto comparantur ad motus eorum tarditas, & velocitas.

Sed contra: quia poſitis velocitate, & tarditate, non poteſt fieri, quod illi motus ſint æquales, vel habeant eaſdem partes, vt ex ſe liquet: & tamen fit, quòd habeant æquales durationes, ſiquidem fundant æqualem correſpondentiam ad tempus extrinſecum: ergo motus, & illius intrinſeca duratio non ſunt omninò idem realiter: aliàs ſicut ob velocitatem, & tarditatem adæquantur durationes, deberent pariter adæquari ipſi motus.

16 Explicatur hoc ampliùs: etenim velocitas motus non efficit, quod illius extenſio ſit parua, ſeu breuis; quippè ſtante velocitate motus, ſtat huiuſc maximè extendi in multitudine partium, vt videre eſt in exemplo adducto: atqui velocitas motus efficit, quod illius duratio intrinſeca ſit breuis, & exigua; ſiquidem velocitas efficit, quod motus extenſus per magnum ſpatium, illud ociſſimè percurrat, & breuiter dilabatur: ergo motus, atque duratio eius intrinſeca diſtinguuntur ante intellectum. Probatur conſequentia: quoniam ſi motus, & eius duratio intrinſeca eſſent idem realiter, deberent adæquari in extenſione, ac breuitate: ſed ſtante in

te in vtroque eadem velocitate, motus eſt magnus, & eius duratio breuis: ergo motus, & duratio illius nequeunt non diſtingui realiter.

Inſtantia autem illa raritatis, & denſitatis, qua vim argumenti effugere conatur Suarez, nihil opis affert illi, ſed ſubſidium confert rationi noſtræ: quoniam ideo quantitates habentes diuerſam extenſionem in ordine ad ſe, ſiue inæqualitatem partium, valent affectæ denſitate, & raritate coëxiſtere eidem loco; quia extenſio in ordine ad locum diſtinguitur realiter ab extenſione in ordine ad ſe: quod ſi extenſio in ordine ad ſe, & extenſio in ordine ad locum eſſent realiter idem, impoſſibile foret, quod duæ quantitates eſſent inæqualiter extenſæ in ordine ad ſe; & æqualiter extenſæ in ordine ad locum: atqui poſitis velocitate, & tarditate in motibus queunt eſſe inæquales in entitate, & æquales in duratione: ergo ſignum manifeſtum eſt, quod motus, & duratio eius realiter diſtinguuntur.

17 Obſerua autem (vt tacitę obiectioni occurramus) quod licèt tempus conſequatur ad motum, & partes illius debeant huius partibus reſpondere: attamen non exigitur, quod quælibet pars temporis, tantùm extendatur, quantum pars motus. Poteſt enim optimè fieri, quod pars breuiſſima temporis correſpondeat adæquatè parti motus valdè extenſæ; quoniam cùm motus modo velocitatis afficitur, velociter fluit; fundatquè proinde breuem durationem, per quam menſuretur, & correſpondeat tempori primi mobilis. Recolenda etiam ſunt in fauorem noſtræ aſſertionis, quæ *in Logica* diximus, nempè tempus eſſe veram ſpeciem quantitatis; ſecùs verò motum: illud collocari directè in prædicamento; illum autem ob ſuam imperfectionem à prædicamentis excludi, & eſſe poſtprædicamentum. Poſſet enim ex iis non leue argumentum formari; quod tamen propter breuitatem, cui ſtudemus, duximus omittendum.

§. II.

Reſpondetur rationibus negatiuæ ſententiæ.

18 TEmpus diſtingui realiter à motu negant Scotus *in 1. diſt. 2. q. 3:* Durand. *in 2. diſt. 2. q. 3:* Gabriel. Greg. Okam, & alij plures, quibus ſubſcripſit Suarez *diſp.* 50. *Metaph. ſect.* 1. & *ſect.* 9. Et probatur primò hæc ſententia ratione, quæ ſpecialiter vrget in tempore, & motu: quia numerus numeratus non diſtinguitur realiter à rebus numeratis; vt decem vlnæ panni numerati, non differunt realiter ab ipſo panno: ſed tempus eſt numerus numeratus partium motus, vt tradit Ariſtot. *in hoc libro:* ergo tempus non diſtinguitur realiter à motu.

Reſpondetur, tempus dici numerum motus, quia eſt menſura intrinſeca illius, vt ſupra dictum eſt. Vnde ſicut quantitas eſt menſura ſubſtantiæ, & ab ea realiter diſtinguitur; ita tempus debet differre ante intellectum à motu. Dicitur tamen numerus numeratus partium motus, quia ita menſurat illas, vt tamen ſit à nobis menſurabile per ordinem ad tempus extrinſecum primi mobilis.

19 Suadetur ſecundò eadem opinio argumento, quo conuinci videtur, nullam durationem diſtingui realiter à re durante: quoniam duratio nihil aliud eſt, quam perſiſtentia rei in ſuo eſſe, quandoquidem hoc ipſo, quod res perſiſtat in eſſe, durat: ſed permanentia rei in ſuo eſſe non diſtinguitur realiter ab ipſo eſſe: ergo duratio non diſtinguitur realiter ab eſſe rerum. Probatur minor; nam creatio, & conſeruatio ſunt eadem actio, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 104. *art.* 1. *ad* 4. ac proinde debent habere eundem terminum: ſed terminus creationis eſt eſſe, & terminus conſeruationis eſt permanentia in eſſe: ergo eſſe, & permanentia in eſſe ſunt idem realiter.

Reſpondetur, quod ſicut ſimilitudo inter duas albedines eſt duplex, alia fundamentalis, & altera formalis: ex quibus prior non diſtinguitur ab ipſis albedinibus; poſterior verò eſt relatio illas conſequens, ab eiſquè ante intellectum diſtincta: ita pariter duplex permanentia rei in eſſe diſtinguenda eſt, alia fundamentalis, quæ coincidit realiter cum eſſe rei, alia verò formalis, quæ eſt quantitas formalis, vel virtualis, per quam eſſe rei dimetimur. Duratio autem formalis creaturarum non eſt idem, ac permanentia earum fundamentalis; ſed coincidit cum permanentia formali, quæ ab eſſe rerum diſtinguitur. Ideo verò creatio, & conſeruatio ſunt eadem actio, & attingunt eundem terminum: quia conſeruatio non terminatur ad perſiſtentiam formalem, quæ eſt idem, ac duratio; ſed ad permanentiam fundamentalem, quæ coincidit cum eſſe rei, ad quod etiam terminatur creatio. Vndè optimè ſaluatur diſtinctio realis inter durationem, & eſſe; licèt permanentia fundamentalis rerum, non diſtinguatur ab eſſe illarum.

Sed replicabis: quoniam poteſt Deus conſeruare ſubſtantiam abſque omni accidenti, cùm ab eis eſſentialiter non dependeat: ſed ſubſtantia in eo caſu duraret: ergo duratio non eſt aliquod accidens diſtinctum ab eſſe rerum. ¶ Reſpondetur diſtinguendo minorem, & ſi intelligatur de duratione fundamentali, concedatur; ſi de duratione formali negetur. Etenim ſicut ſi à duobus albis ſepararentur relationes ſimilitudinis, quibus inuicem referuntur, manerent ſimilia fundamentaliter per ipſas albedines; non verò formaliter ob abſentiam relationis, quæ eſt ipſa ſimilitudo formalis: ſic ſimiliter in caſu replicæ, ſubſtantia illa duraret duratione fundamentali, quæ non diſtinguitur ab eſſe rei continuato; non tamen duratione formali. Hæc enim diſtinguitur ab eſſe rei non interrupto, vt conſtat, tùm ex rationibus ſupra factis, tùm quia humanitas Chriſti Domini exiſtit per eſſe diuinum non interruptum, & tamen durat duratione creata, vt communiter docent Thomiſtæ.

QVÆSTIO IV.

An tempus exiſtat ſolùm ratione inſtantis.

DIfficultas hæc, quamvis ſolùm procedat expreſsè circa tempus, vrget æqualiter in quolibet ente ſucceſſiuo. Illius autem ſenſus eſt, an præter partem præteritam, quæ iam non eſt, & futuram, quæ nondum eſt, habeat tempus aliquam partem præſentem, ratione cuius exiſtat actu; an verò ſortiatur exiſtentiam ratione ſolius inſtantis nectentis partem præteritam cum futura.

§. I.

Elucidatur veritas Thomiſtica.

20 DIcendum eſt, tempus non exiſtere ratione alicuius partis præſentis; ſed ſolùm per ſua indiuiſibilia, ſiue inſtantia. Ita expreſsè Ariſtot. *in hoc lib. cap.* 10. *tex.* 89. cuius verba interpretans D. Thom. ibidem inquit: *Aſſignat rationem eorum, quæ dicuntur de nunc: & primò eius, quod dicitur, quod nihil eſt temporis,*

Digitized by Google

ris, niſi nunc. Vndè hanc ſententiam amplectuntur B. Albertus, Auerr. Themiſtius, Philopponus, Simplicius, & communiter Doctores, vt fatetur Suarez *lib. 50. Metaph. ſect. 9.*

Probatur primò auctoritate D. Auguſt. *lib. 11. Confeſſ. cap. 5.* vbi hanc ſententiam approbat, & acutè ſuadet his verbis: *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas, vel minutiſſimas momentorum partes diuidi poſſit, id ſolùm eſt, quod præſens dicatur: quod tamen ita raptim à futuro in præteritum tranſuolat, vt nulla morula extendatur; nam ſi extenditur, diuiditur in præteritum, & futurum; præſens autem nullum habet ſpatium.* ¶ Confirmatur ex D. Thom. 1. *p. q. 46. artic. 3. ad 3.* vbi ait: *Nihil fit, niſi ſecundum quod eſt: nihil autem eſt temporis niſi nunc.* Et infra *q. 66. a. 4. ad 5.* inquit: *Nihil eſt actu accipere de tempore, niſi nunc.* Idem repetit in aliis pluribus locis, quæ facilè lector offendet.

21 Secundò probatur ratione eiuſdem S. Doct. *opuſc.* 44. quam ſub his verbis proponit: *Qualibet pars cuiuſlibet ſucceſſiui eſt diuiſibilis in diuerſas partes: ſi ergo aliquod ſucceſſiuum exiſteret, non ſolùm ſecundum aliquod indiuiſibile ſui, ſed ſecundum aliquam ſui partem, ſequitur, quod multæ partes alicuius ſucceſſiui ſimul eſſent: quod eſt contra rationem ſucceſſiuorum.*

Reſpondebis, partem præſentem temporis, & aliorum ſucceſſiuorum non eſſe diuiſibilem in plures partes præſentes præſentia permanenti; ſed labili, ac fluenti: rei autem ſucceſſiuæ ſolùm aduerſatur, quod habeat plures partes præſentes permanentes; non verò, quod ſimul habeat plures partes fluidas. ¶ Hæc tamen euaſio ſolùm conſiſtit in verbis, & poteſt facilè præcludi; quoniam cùm dicitur, partem illam præſentem habere ſimul plures partes præſentes, ex quibus conſtat, præſentia tamen labili, & tranſeunti, vel ſignificatur, quod ſimul illæ partes exiſtant: vel denotatur, quod vna pars extiterit, & alia extitura ſit. Si primum: ergo dantur plures partes exiſtentes ſimultaneè, hoc eſt ita exiſtentes, quod vna non ſit poſt aliam: & ſic ſequitur exiſtere permanenter. Si ſecundum: ergo non datur pars temporis; quæ per ſe, & ratione ſui ſit præſens; ſed partes temporis erunt præteritum, & futurum, quæ ſolùm exiſtent ratione inſtantis, per quod nectuntur.

Confirmatur: quia inſtans præſens minùs durat, quam duraret illa pars: & nihilominus quia exiſtit de præſenti, habet eſſe ſimultaneè, & quaſi permanenter: ergo ſi pars temporis eſſet præſens per ſe, & ratione ſui, iam haberet eſſe ſimulataneè, & permanenter; & per conſequens omnes illæ partes, ex quibus conſtaret, coexiſterent inter ſe, & eſſent ſimul præſentes: hoc autem eſt contra eſſentiam ſucceſſiui, de cuius ratione eſt habere partem poſt partem: ergo &c.

22 Vltimò ſuadetur noſtra concluſio: quia tempus eſt menſura motus ſecundum prius, & poſterius, vt Ariſtot. definit, & admittunt communiter Philoſophi: ergo tempus non habet partem præſentem, & quę ratione ſui ſit actu exiſtens. Probatur conſequentia: quia ſi in tempore, & aliis ſucceſſiuis daretur pars præſens, hæc eſſet potiſſima illorum pars, ac proindè tempus non ſolùm eſſet menſura motus ſecundum prius, & poſterius, hoc eſt ſecundum partem præteritam, & futuram; ſed multò magis ſecundum partem præſentem. Ex quo vlterius fieret definitionem traditam ab Ariſtot. eſſe mutilam, & æquiuocationi ſubiectam, cùm non explicaret præcipuam partem, tam motus, quàm temporis; ſed ſatis iſ ſ indicet eam non dari. Maneat igitur, tempus exiſtere per ſua indiuiſibilia, ſiue inſtantia; partes autem ratione illorum.

§. II.

Conuelluntur argumenta opinionis aduerſæ.

23 Contra noſtram concluſionem opinatus eſt Durand. *in 2. d. 2. q. 4.* cui poſtea conſenſere Suarez *loc. citat.* Conimbr. Murcia, Rubio in præſenti, & alij Iuniores. Probatur primò hæc ſententia ratione: quoniam nihil eſt præteritum, niſi quod fuit præſens; nec futurum, niſi quod erit præſens: ſed in tempore verè datur pars præterita, & pars futura: ergo datur pars præſens, & actu exiſtens.

Confirmatur primò: quia præteritum, & futurum dicuntur talia per ordinem ad præſens; ſed in tempore datur pars, quæ per ſe, & ratione ſui tranſeat de futura in præteritam: ergo datur etiam pars, quæ per ſe, & ratione ſui ſit aliquando præſens, & per conſequens adæquata exiſtentia partium non erit per ſolum inſtans. Patet conſequentia: nam ſi pars temporis ſolùm exiſtit per inſtans, & ratione illius, ſicut ob hanc inadęquatam præſentiam, non dicitur abſolutè præſens; nec diceretur abſolutè præterita, aut futura: quandoquidem futuritio, & præteritio præſentialitati reſpondent, & modo illius.

Confirmatur ſecundò: quia pars præterita iam non eſt, & futura nondum eſt: ergo, vel tempus non habet ſufficientem actualitatem, vt exiſtat, & ſit ens reale; vel pręter partem pręteritam, & futuram habet aliquam partem præſentem.

Confirmatur tertiò: nam implicat, quod pars pręterita, & pars futura exiſtant per eandem exiſtentiam: ergo non exiſtunt ratione inſtantis præſentis; ſed quia pars quæ erat futura, ſit actu præſens, & poſtea præterita. Patet conſequentia: quia ſi exiſterent ratione inſtantis præſentis, cum illud ſit idem, & indiuiſibile, non poſſent non exiſtere per eandem exiſtentiam. Antecedens autem ſuadetur: quoniam priuſquam exiſtant partes futuræ, pereunt partes præteritæ, vt ex ſe conſtare videtur: ſed perire nequeunt, quin pereat exiſtentia earum: ergo priùs ceſſat exiſtentia partium præteritarum, quàm adueniat exiſtentia futurarum; & per conſequens pars præterita, & futura non poſſunt exiſtere per eandem exiſtentiam.

24 Reſpondetur animaduertendo, quod partes temporis præteritæ, & futuræ ſunt in duplici differentia: quædam enim ſolùm ſunt remotè præteritæ, & futuræ, nempè illæ, quæ non habent actu aliquid ſui, per quod reddantur vllo modo exiſtentes: aliæ autem ſunt præteritæ, & futuræ immediatè; eæ videlicet, quæ nectuntur per inſtans actu exiſtens. Porrò iſtud inſtans comparatur ad partem præteritam temporis, quam immediatè terminat, eo proportionali modo, quo ex parte motus comparatur *mutatum eſſe ad moueri.* Vnde ſicut mutatum eſſe ſe habet ad partes motus, ſicut factum eſſe illarum, & id per quod completè motus ponitur extra cauſas, & exiſtit, ita ſimiliter inſtans; ſeu momentum præſens complet, & terminat partem præteritam temporis, quam immediatè attingit; redditque illam aliquo modo exiſtentem, & præſentem. Et hic eſt proprius modus exiſtendi ſucceſſiuorum; neque enim par omnium rerum exiſtentia quærenda eſt; ſed quemadmodum ſucceſſiua vendicant eſſentiam valde diuerſam à rebus permanentibus, ſic debent ſortiri modum exiſtendi diuerſum. Hinc ad argumentum reſpondetur, non eſſe neceſſarium ad hoc, vt pars tranſeat de futura in præteritam, quod fuerit actu, & adæquatè præſens ratione ſui; ſed ſatis eſt, quod tranſeat ab eſſe immediatè futurum ad eſſe præteritum immediatè. Pars enim poteſt dici pręte-

rita per habitudinem ad præſentialitatem inſtantaneam, quam habuit, cum eſſet immediatè futura, & eodem modo poteſt dici pars futura per ordinem ad præſentialitatem inſtantaneam, quam habebit, cùm fuerit immediatè præterita.

Ad primam confirmationem conſtat ex modo dictis, quod vt pars dicatur adæquatè præterita, vel futura per habitudinem ad præſens, ſatis eſt, quod fiat aliquando pręſens modo ſibi poſſibili, videlicet in ratione immediatè pręteritæ, & terminatę per inſtans pręſens: nam hoc ipſo, quod iſtam pręſentialitatem propriam rei ſucceſſiuæ aliquando habuerit, tranſit in pręteritam adęquatè: non ſecùs, ac res permanens tranſit in pręteritam, hoc ipſo, quod aliquando habuerit præſentialitatem propriam, & debitam rei permanenti.

Ad ſecundam dicendum eſt, partes remotè pręteritas, & remotè futuras, nullo modo eſſe pręſentes; ſed vel extitiſſe; vel extituras eſſe adęquatè, partes verò immediatè pręteritas, & futuras actu exiſtere per exiſtentiam propriam rei ſucceſsiuę, quoniam actu datur inſtans, quod eſt illarum nexus, & exiſtentia. Exiſtunt tamen per illud inſtans diuerſo modo: nam pars immediatè futura ratione illius inſtantis exiſtit initiatiuè: pars verò immediatè pręterita exiſtit completè per illud, & in facto eſſe. Et hoc ſufficit, vt tempus ſit ens reale.

Ad tertiam reſpondemus, quod vna, & eadem pars nequit ratione eiuſdem inſtantis eſſe immediatè futura, & immediatè pręterita; ſed in ratione immediatè futurę exiſtit per inſtans antecedens, & initiatiuum, in ratione verò immediatè pręteritę exiſtit per inſtans ſubſequens, & completiuum: atque ideo redditur adęquatè exiſtens per diuerſa inſtantia. Si autem loquamur de diuerſis partibus, fatemur eſſe impoſsibile, quod partes remotè pręteritę, & partes remotè futurę exiſtant per eandem exiſtentiam; quippè cùm non continuentur immediatè per idem inſtans. Cęterùm, loquendo de parte immediatè præterita, & parte immediatè futura, neceſſarium eſt, quod exiſtant per eandem exiſtentiam: ſiquidem nectuntur per idem inſtans, licèt diuerſo modo: quoniam illud inſtans reſpectu partis præteritę, quam immediatè afficit, habet rationem termini, & facti eſſe: reſpectu verò partis immediatè futurę habet rationem initiatiui. Et hęc eſt ratio, quare priùs ceſſet pars pręterita, quam adueniat pars futura, vt tangitur in hac confirmationem; nempè quia cùm pars futura ſit vltimatè præſens, tranſit in immediatè præteritam; ſiquidem ad pręſentialitatem adęquatam requiritur, quod pars afficiatur per inſtans præſens vtroque modo, videlicet initiatiuè, & completiuè. Conſtat autem, quod quando pars immediatè futura tranſit in immediatè præteritam; tunc pars, quę in inſtanti antecedenti erat immediatè pręterita tranſit in præteritam remotè, & omnibus modis, & per conſequens priùs ceſsat pars pręterita, quam pars futura fiat adęquatè pręſens. Cum quo tamen benè componitur, quod pars immediatè præterita, & pars immediatè futura exiſtant per eandem exiſtentiam, & per idem inſtans; ſed vna terminatiuè, & alia initiatiuè, vt explicatum eſt.

25 Secundò arguitur: quia ea, quæ exiſtunt per exiſtentiam præſentem; ſunt abſolutè pręſentia: ergo ſi partes temporis exiſtunt per inſtans præſens, iam non erunt partes præteritę, vel futurę; ſed præſentes. ¶ Confirmatur: quia ea, quæ exiſtunt per eandem indiuiſibilem exiſtentiam, coëxiſtunt inter ſe: ſed ſecundum noſtram ſententiam pars immediatè præterita, & pars immediatè futura exiſtunt per idem inſtans præſens: ergo coexiſtunt ſimul inter ſe. Ex quo vlteriùs fit, quod deſtruatur ſucceſsio temporis; incidamuſquè proinde in abſurdum, quod vitare intendimus, dum excludimus partem præſentem.

Reſpondetur, quod vt aliquid ſit abſolutè præſens, requiritur, quod ſimul habeat actu ſuam adęquatam exiſtentiam: hoc autem eſt proprium rei permanēti, & partibus rei ſucceſsiuè conuenire non poteſt. Illa quippè, pars, quæ eſt immediatè futura, ſolùm exiſtit initiatiuè, quia exiſtit per inſtans, quod eſt initium ſui; pars verò quæ eſt immediatè præterita, tantùm exiſtit terminatiuè, quia exiſtit per inſtans, quod eſt terminus illius. Neutra tamen habet ſimul actu ſuam exiſtentiam adæquatam: ad hoc enim oportebat, vt ſimul terminaretur vtroque inſtanti, initiatiuo videlicet, & terminatiuo; quod eſt impoſsibile, quia nequeunt duo inſtantia eſſe ſimul. Sunt igitur partes illæ præſentes non abſolutè, ſed inadæquatè, & modo ſucceſsiuo. ¶ Vnde etiam patet ad confirmationem: quia rationi entis ſucceſsiui ſolùm aduerſatur, quod illius partes coëxiſtant per exiſtentiam adæquatam vtriuſque: ſic enim partes illius forent ſimul præſentes ſimpliciter, quod eſt proprium rei permanentis. Minimè verò opponitur rigoroſæ partium ſucceſſioni, quod vna ſit præſens terminatiuè tantùm, & alia initiatiuè tantùm: nam hoc, abſolutè loquendo, eſt non adæquari in coëxiſtendo ſimul.

26 Tertiò arguitur: quoniam ſi poſt hoc inſtans præſens ſequeretur immediatè aliud inſtans præſens, iam tempus componeretur ex ſolis inſtantibus, & hæc immediatè eſſent inter ſe coniuncta, quod eſt omninò falſum, vt infra oſtendemus agentes de compoſitione continui: ergo poſt inſtans præſens ſuccedit immediatè aliqua temporis pars, quæ proinde fiet præſens per ſe, & ratione ſui, non minus quam inſtans, cui ſuccedit.

Reſpondetur, quod poſt inſtans præſens ſequitur immediatè illa pars, quæ ratione ipſius inſtantis exiſtebat in ratione immediatè futuræ. Cæterùm per hanc ſucceſſionem non tranſit in partem adæquatè præſentem; ſed in immediatè præteritam, fitquè præſens aliquo modo ratione alterius inſtantis præſentis, quæ illam vltimè complet, & terminat.

QVÆSTIO V.

Vnde ſit deſumenda differentia eſſentialis inter tempus, æternitatem, & æuum.

NOtitia perfecta temporis plurimum pendet ex deciſione huius difficultatis; cùm idem ſit conſtitutiuum, & diſtinctiuum eſſentiale. Et autem ideò non dedimus priorem locum, vt ea, quæ ad tempus vnicè ſpectant, ſimul iuncta traderentur faciliùs, antequam ad alia, vel communia, vel extranea progrederetur doctrina. Supponimus autem in præſenti, tres durationes in titulo recenſitas diſtingui eſſentialiter, & realiter inter ſe: tùm quia hic eſt communis Doctorum ſenſus: tùm quia menſura, & duratio debent proportionari rei menſuratæ, & duranti: ſed Deus, qui durat per æternitatem, ſubſtantia creata incorruptibilis, quæ durat per æuum, & res corruptibiles, quarum propria menſura eſt tempus, diſtinguuntur inter ſe realiter, & eſſentialiter: ergo æternitas, æuum, & tempus ſunt durationes realiter, & eſſentialiter inter ſe diſtinctæ. Difficultas verò conſiſtit in aperiendo radicem propriam iſtius differentiæ eſſentialis.

§. I.

Deciſio difficultatis iuxta mentem D. Thomæ.

27 DIcendum eſt primò, differentiam eſſentialem inter hæc tria non conſiſtere in eò, quod æternitas non habeat prius, & poſterius; tempus verò habeat prius, & poſterius cum innouatione, & inueteratione; æuum autem habeat prius, & poſterius, ſed abſque inueteratione, & innouatione. Hanc aſſertionem ſtatuimus

contra

Digitized by Google

contra Henricum, & alios infrà referendos; illamquè amplectuntur omnes Auctores, quos dabimus pro concluſione ſequenti. Fundamentum eſt ſatis efficax, & poteſt breuiter proponi: quoniam prædicta Henrici poſitio inuoluit contradictoria: ergo differentia quidditatiua inter prædictas durationes, nequit conſiſtere in diuerſitate, quam adſtruit illius opinio. Antecedens oſtenditur; quoniam prius, & poſterius nequeunt eſſe ſimul: ergo ſi æuum habet prius, & poſterius, neceſſum eſt, quod adueniente poſteriori, recedat, & pereat prius: at vbi datur deſtructio vnius, & aduentus alterius, ibi datur inueteratio, & renouatio, vt liquet ex terminis: ergo dicere, quod æuum habet prius, & poſterius, & quod hoc non obſtante, caret inueteratione, & innouatione, inuoluit manifeſtam contradictionem.

Confirmatur: quia duratio debet proportionari rei duranti: ſed æuum eſt duratio Angeli, qui caret omni diuiſibilitate, & ſucceſſione: ergo æuum nequit eſſe duratio ſucceſſiua, & per conſequens, nec habere prius, & poſterius. Ad hæc: prius, & poſterius in menſura prouenit ex tranſmutabilitate rei menſuratæ, quæ in ſe ipſa patitur variationem, vt apertè docet Ariſtot. *in hoc lib. cap. 2. text. 99. & lib 6. cap. 4. text. 37.* ſed ex parte rei æuiternæ non datur prius, & poſterius; cùm habeat ſimul, & indiuiſibiliter totum ſuum eſſe, & ſit omnino intranſmutabilis: ergo æuum nequit habere prius, & poſterius. Vnde neceſſariò ſequitur, quod vel res, quæ menſuratur æuo, ſubiecta ſit inueterationi, & innouationi, & conſequenter ipſum æuum; vel quod æuum non habeat prius, & poſterius. Ponere, ergo quod æuum ex vna parte habeat prius, & poſterius; & quod ex alia careat innouatione, & inueteratione, apertam implicat repugnantiam.

28 Dicendum eſt ſecundò, has tres durationes diſtingui eſſentialiter penès hoc, quod æternitas eſt duratio rei omnino immutabilis; æuum verò eſt duratio rei immutabilis ſecundum ſubſtantiam, ſed mutabilis ſecundum accidentia; tempus verò eſt duratio rei omnino mutabilis, tàm ſecundum eſſe, quàm ſecundum accidentia. Ita Angelicus Doct. 1. p. q. 10. art. 50. Gaietanus, & Zumel ibidem, Oña in præſenti, & alij plures.

Probatur ratione: quoniam æternitas eſt duratio propria Dei, qui eſt omnino immutabilis, tàm ſecundum eſſe, quàm ſecundum operationes, & hæc immutabilitas eſt ratio à priori æternitatis, vt docent communiter Theologi: ſed tempus eſt duratio maximè diſtans ab æternitate, eiquè oppoſita: ergo propria ratio temporis ſita eſt in eo, quod ſit duratio rei omnino mutabilis, nempè ſecundum eſſe, & ſecundum accidentia: atqui æuum medio modo ſe habet inter æternitatem, & tempus; ſiquidem eſt duratio propria Angelorum, qui mediant inter Deum, & res temporales: ergo ratio quidditatiua æui conſiſtit in eo, quod ſit duratio rei immutabilis ſecundum ſubſtantiam, & mutabilis ſecundum accidentia: ergo eæ durationes diſtinguuntur eſſentialiter, penès differentias in aſſertione deſcriptas. Patet conſequentia: nam propria ratio menſuræ ſumitur per reſpectum ad menſuratum.

Confirmatur: nam illæ ſunt differentiæ propriæ, & eſſentiales iſtarum durationum, ex quibus oriuntur earum proprietates: ſed ita ſe habent differentiæ ſuprà propoſitæ: ergo &c. Suadetur minor: quia proprium eſt æternitatis carere principio, & fine: hoc autem ideo eſt, quia æternitas eſt duratio rei omnino immutabilis. Deinde proprium eſt temporis habere principium, & finem: quod ideo eſt, quia res tempore menſurata eſt omnino mutabilis, etiam quoad ſubſtantiam: vnde habet eſſe poſt non eſſe, & tandem perit. Denique proprium eſt æui habere principium, & carere fine; & hoc ideo eſt, quia menſurat rem ſecundum eſſe immutabilem, petentemquè proinde, vt ſemel producta duret in æternum; mutabilem verò ſecundum operationes, & cui conſequenter conuenit habere principium, vt ſic eius oſtendatur mutabilitas. Ergo proprietates harum durationum radicantur in differentijs, quas ſtatuimus.

§. II.

Soluuntur argumenta contraria.

29 ADuerſus noſtras aſſertiones ſentiunt Henricus *quodlib. 5. quæſt. 13. & Scotus in 2. diſt. 2. quæſt. 1.* Proceditquè præcipuè illorum opinio contra primam concluſionem: exiſtimant enim, quod æuum non eſt duratio omnino indiuiſibilis, ſed quod verè habet prius, & poſterius, ac formalem ſucceſſionem. Quod poteſt ſuaderi primò: quoniam duratio, in qua datur maius, & minus, non eſt omnino indiuiſibilis; ſed habet prius, & poſterius, veramquè ſucceſſionem partium: atqui in æuo datur maius, & minus: ergo æuum non eſt omnino indiuiſibile, ſed habet prius, & poſterius. Probatur minor: quia ſi Deus modo crearet vnum Angelum, & poſt vnam horam illum annihilaret; duratio prædicti Angeli eſſet minor duratione aliorum Angelorum, ſiquidem non correſponderet omni tempori primi mobilis, cui aliorum duratio correſpondet: ergo in æuo, ſiue duratione angelica datur maius, & minus.

Confirmatur, & explicatur: quia Angelum duraſſe in inſtanti ſuæ creationis, & Angelum durare in hoc inſtanti, non eſt omnino idem *durare*; ſed diſtinguuntur realiter inter ſe: ſi enim Deus annihilaret Angelum in hoc inſtanti, eſſet verum dicere, quod Angelus durauit in inſtanti ſuę creationis; & quod non durat in hoc inſtanti: ſed *durare*, cùm ſit effectus primarius durationis, non diſtinguitur realiter ab ea; ſaltem in recto, & ex parte rei ſignificatę: ergo duratio Angeli, nempè ęuum, non eſt prorſus indiuiſibilis, & non ſimul, ſed verè habet ſucceſſionem partium.

Reſpondetur argumento negando minorem: ad cuius probationem dicimus, ęuum eſſe durationem, quantum eſt de ſe, ſufficientem ad conferendum Angelo, vt coëxiſtat per illam omni tempori poſſibili, licèt nihil intrinſecum ipſi ęuo ſuperaddatur. Ob conditionem tamen generalem creaturę, indiget concurſu Dei conſeruatiuo ad perſiſtendum, & vt actu communicet Angelo in genere cauſę formalis omnem effectum, quem ei poteſt, quantum eſt de ſe, impertiri. Quare, quod in caſu argumenti duratio illius Angeli non coëxiſteret omni tempori, cui coëxiſtunt aliorum durationes, non proueniret ex eo, quod vnum ęuum ſit in ſe entitatiuè maius alio; ſed quia vnum deſtruitur, & impeditur à communicatione proprij effectus, alia verò conſeruantur. Quod ſi illud ęuum conſeruaretur à Deo, abſque aliqua partium additione, correſponderet omni durationi temporali. Vnde ſatis elucet diſtinctio eius à duratione ſucceſſiua: hęc quippè expoſcit, non ſolùm conſeruari à Deo; ſed etiam, quod ei aliquid continuò, & intrinſecè ſuperaddatur: aliter enim non poteſt correſpondere tempori futuro. Quamobrem, ſi Deus in hoc inſtanti Angelum annihilaret, non ideo verificaretur, Angelum in hoc inſtanti non durare, quia eius duratio indiguerit aliquo intrinſeco ſibi ſuperaddito ad menſurandum in hoc inſtanti eſſe angelicum; ſed quia non conſeruatur à Deo in hoc inſtanti. Si autem Deus illam durationem conſeruaſſet, eadem indiuiſibilis duratio, quę menſurauit Angelum in primo inſtanti ſuę creationis, menſuraret

illum

Digitized by Google

illum in hoc inſtanti præſenti, ſine aliqua intrinſeca additione. Vnde Angelum durare in primo inſtanti, & durare in hoc inſtanti præſenti, eſt idem durare realiter, & ex parte formæ: petit tamen tanquam connotatum eandem Dei conſeruationem. Quare Angelo annihilato, verificatur, quod in hoc inſtanti non durat: non quidem, quia formæ, ſiue durationi aliquid intrinſecum defuerit; ſed ob defectum conditionis neceſſariæ. Per quod, ſatis conſtat ad confirmationem.

30 Sed contra obijcies, & ſit ſecundum argumentum: nam ſi æuum eſſet duratio omnino indiuiſibilis, & tota ſimul, ſequeretur eſſe durationem ſimpliciter infinitam: conſequens eſt abſurdum, vt conſtat *ex ſupra dictis tota diſput.* 18. ergo &c. Sequela oſtenditur primò: quia æuum poteſt coëxiſtere tempori infinito: ergo ſi eſt duratio tota ſimul, & non eget aliqua additione, erit infinitum in ratione durationis: ſicut ſi daretur corpus, quod per id, quod actu haberet, & abſque aliqua additione valeret replere omnem locum, non poſſet non eſſe immenſum. Secundò: quia ideo æternitas eſt duratio ſimpliciter infinita, quia ſimul, & indiuiſibiliter continet præſens, præteritum, & futurum: ſed ſi æuum caret omni ſucceſſione, habet id ipſum; ſiquidem eſt forma indiuiſibilis, & potens ſine aliqua additione correſpondere omni tempori: ergo erit duratio ſimpliciter infinita.

Reſpondetur negando ſequelam, ad cuius primam probationem dicendum eſt, quod licèt æuum ſit duratio indiuiſibilis, & tota ſimul, adhuc tamen non eſt infinitum ſimpliciter, & in actu, ſed ſolùm infinitum ſecundùm quid, & in potentia. Et ratio eſt: quia æuum non correſpondet actu omni tempori vero, & imaginario, nec omnibus rebus, quæ per totam æternitatem futuræ ſunt; ſed tantùm coëxiſtit illis ſucceſſiuè, & cùm ipſæ adueniunt. Hic autem coëxiſtendi modus non arguit infinitatem ſimpliciter; ſed cum exigua ſatis perfectione componi poteſt, vt ipſo exemplo in argumento adducto videre licet: nam ex eo, quod aliquod corpus queat abſque additione replere ſucceſſiuè infinita loca, minimè ſequitur fore immenſum. Et ſimiliter ex eo, quod ſaxum exiſtens in flumine coëxiſtat ſucceſſiuè omnibus aquis circa ipſum defluentibus, neutiquam infertur, quod omnes illas adæquet in extenſione. ¶ Ex quibus patet ad ſecundam probationem: nam æternitas non habet ſucceſſiuè coëxiſtere omni tempori; ſed ſimul actu per modum menſuræ ſuperioris, & continentis omnium durationum differentias, eo modo, quo eſſe Dei continet omne eſſe creatum, atque ideo gaudet infinitate ſimpliciter. Cæterum æuum non continet actu omnes temporis differentias, ſicut neque eſſe angelicum continet eminenter perfectionem rerum temporalium.

31 Vltimò ſuadetur opinio hæc: quoniam inter primum eſſe Angeli, & permanentiam illius in eſſe, datur verus ordo, & ſucceſſio: ſed vtrumque, nempè eſſe, & permanentia in eſſe menſuratur æuo: ergo Angelus in duratione proprij eſſe admittit ſucceſſionem. Probatur maior: tum quia creatio Angeli, quæ terminatur ad primum eſſe illius, iam eſt præterita; conſeruatio verò, quæ terminatur ad permanentiam in eſſe; eſt modo præſens: ergo inter eſſe, & permanentiam in eſſe datur ſucceſſio, & ordo, ſicut inter actiones, quas terminant. Tum etiam, quia terminus creationis eſt eſſe, vt primò factum ex nihilo; terminus verò conſeruationis eſt permanentia in eſſe: ſed prius eſt, quod eſſe producatur, quam quod permaneat: ergo inter primum eſſe Angeli, & eius permanentiam datur ordo ſucceſſionis.

Reſpondetur negando maiorem: quoniam eadem indiuiſibili duratione menſuratur eſſe Angelicum, & illius conſeruatio paſſiua; quippè quæ ſunt indiuiſibiliter idem. Et ad primam probationem in contrarium dicendum eſt, creationem, & conſeruationem eſſentialiter acceptas eſſe eandem omnino actionem Dei, habereque proinde eundem formaliter terminum; licèt diſtinguantur, quaſi materialiter, & ex parte connotati, quatenùs creatio ſub conceptu creationis importat nouitatem eſſendi ex parte termini, quam non dicit ſub expreſſione conſeruationis. Vnde creatio Angeli, qui nunc conſeruatur, non eſt præterita; ſed nunc actu perſiſtit continuò producens Angelum. Et ideo non ſequitur ex vi huius, quod eſſe Angeli, & permanentia in eſſe habeant inter ſe ſucceſſionem, & debeant duratione ſucceſſiua menſurari; ſed potiùs infertur oppoſitum. Per quod etiam conſtat ad ſecundam probationem: nam licèt inter eſſe, & permanentiam in eſſe concipiatur à nobis aliquis ordo; attamen ex parte rei conceptæ, ſicut nullam habent inter ſe diſtinctionem, ita nullam habere queunt ſucceſſionem. Quare ſicut creatio terminatur ad eſſe Angeli, vt factum ex nullo præſuppoſito ſubiecto; ita conſeruatio continuò terminatur ad idem eſſe producendo illud ex nihilo. Nec in his oportet ampliùs in præſenti immorari: ſed videantur Theologi ad locum D. Thom. *ſupra* citatum.

32 In calce huius quæſtionis obſeruandum eſt primò, quod non ſolùm Angeli, ſed etiam ſubſtantiæ corporeæ incorruptibiles, quales ſunt cœli, ſecundum ſuum eſſe ſumptæ menſurantur per æuum: quamvis huiuſmodi æuum ſit alterius rationis ab æuo Angelico. ¶ Secundò obſerua, operationes Angeli corruptibiles, & variabiles non menſurari per æuum, ſed per tempus angelicum diſcretum, vel continuum. Illæ enim operationes, quæ inter ſe non continuantur; & aliàs habent ordinem ad inuicem, debent menſurari tempore diſcreto; illæ verò, per quas Angeli agunt continuò, vel tangendo aliquod corpus, vel producendo aliquem effectum, menſurantur tempore angelico continuo. Aliæ autem operationes, quæ nullum ordinem, aut ſucceſſionem obſeruant, ſed diſparatè ſe habent, menſurantur per inſtantia temporis Angelici.

QVÆSTIO VI.

An ſubſtantiæ generabiles, & corruptibiles ſecundum ſuum eſſe menſurentur tempore.

EX dictis *quæſt. præced.* conſtat, ſaltem maiori ex parte, quæ ſint durationes propriæ vniuſcuiuſque rei. Adhuc tamen ſupereſt examinandum, vtrum ſubſtantiæ generabiles, & corruptibiles habeant, non ſolùm ratione motus, ſed etiam ratione ſui *eſſe* exiſtentiæ exercitæ menſurari per tempus; vel vendicent ſibi hac ratione acceptæ aliam peculiarem, & diuerſam durationem.

§. I.

Defenditur affirmatiua ſententia.

33 DIcendum eſt, ſubſtantias generabiles, & corruptibiles ſecundum ſuum eſſe ſumptas menſurari tempore. Ita Ariſtot. & D. Thom. vt ſtatim videbimus, B. Albertus M. *lib.* 4. *Phyſic. tract.* 3. *c.* 10. Caiet. Soncin. Iauel. Fonſeca, & alij plures, quos ſequitur Maſius *in hoc lib. ſect. vlt. quæſt.* 5.

Probatur primò ex Ariſtot. *in præſenti cap.* 12. vbi ſtatuit, & probat, quod res, quæ patiuntur à tempore, men-

menſurantur per illud: ſed ſubſtantiæ generabiles, & corruptibiles ſecundum ſuum eſse acceptæ patiuntur à tempore; ſiquidem ſeneſcunt, & dilabuntur, vt experientia liquet: ergo prædictæ ſubſtantiæ ſecundum Philoſophum, non ſolùm ratione motus, ſed etiam per ſuum eſse menſurantur tempore.

Confirmatur ex D. Thom. 1. *p. q.* 10. *art.* 4. *ad* 3. vbi noſtram ſententiam apertè tradit ijs verbis: *Eſſe ergo rerum corruptibilium, quia eſt tranſmutabile, non menſuratur æternitate, ſed tempore: tempus enim menſurat, non ſolùm, quæ tranſmutantur actu, ſed quæ ſunt tranſmutabilia. Vnde non ſolùm menſurat motum, ſed etiam quietem, quæ eſt eius, quod natum eſt moueri, & non mouetur. Et in art.* 5. ait: *Quædam autem ſic recedunt à permanentia eſſendi, quod eſſe eorum eſt ſubiectum tranſmutationis, vel in tranſmutatione conſiſtit: & huiuſmodi menſurantur tempore, ſicut omnis motus, & eſſe etiam omnium corruptibilium.*

In quibus verbis adeò manifeſtè S. Doct. propriam reuelauit ſententiam, vt facilè elidatur robur alterius auctoritatis eiuſdem Angelici Præcep. quæ poſset aliàs vrgere, & habetur *opuſc.* 44. *cap.* 3. vbi inquit: *Mobilia verò, quantum ad id, quod ſunt, ſicut homo, aut lapis, non menſurantur tempore: quia eſſentia eorum eſt in quolibet nunc temporis, nec habet prius, & poſterius, ſiue ſucceſſionem.* Nam cùm mentem D. Thom. in locis proximè citatis ex prima parte, certam, ac indubitatam habeamus; non eſt cur premamur auctoritate deſumpta ex illo opuſculo, quod etſi eruditiſſimum, non tamen eſt indubitatæ fidei: quia non conſtat omninò, quod ſit proprium D. Thom. vt benè obſeruauit Maſius. Quare in Romana editione iuſſu Pij V. facta fuit diuerſis characteribus expreſsum. Staremus autem illi, niſi S. Doct. alibi propriam mentem non expreſſiſset: & ideò prędicto opuſculo libenter vtimur in his, quę ſcriptis à D. Thom. in alijs locis non contradicunt.

34 Secundò probatur noſtra concluſio ratione deſumpta ex locis D. Thom. ſupra citatis, quę poteſt ad hanc formam reduci: quoniam in hoc diſtinguitur tempus ab ęternitate, quod hęc eſt menſura rei omninò intranſmutabilis; illud verò eſt menſura omninò tranſmutabilis; vt conſtat ex dictis *quæſt. præced.* atqui ſubſtantię generabiles, & corruptibiles, non ſolùm ſecundum operationem, & motum, ſed etiam ſecundum eſſe ſunt tranſmutabiles; ſiquidem ſunt ſubſtantialiter corruptibiles: ergo etiam ſumptę ſecundum eſse debent tempore menſurari.

Confirmatur: quia ęternitas menſurat, non ſolùm operationes rei intranſmutabilis; ſed etiam eius eſse: at tempus eſt menſura omninò oppoſita ęternitati: ergo debet menſurare, non ſolùm operationes, & motum rei tranſmutabilis; ſed etiam eſse illius: conſtat autem, ſubſtantias generabiles, & corruptibiles eſse tranſmutabiles: ergo ſecundum ſuum eſse tempore menſurantur.

Ad hęc: vt aliquid menſuretur tempore, ſufficit quod habeat eſse tranſmutabile, licèt actu non tranſmutetur; nam, vt inquit D. Thom. tempus non ſolùm eſt menſura motus, ſed etiam quietis, ſiue rei, quę eſt apta moueri: at ſubſtantię generabiles, & corruptibiles ſunt ſecundum ſuum eſse tranſmutabiles: ergo non ſolùm ratione motus, & cùm mouentur actu, ſed etiam ſecundum ſuum eſse debent ſubijci tempori, & illo menſurari.

§ II.

Sententia contraria, & illius fundamenta.

35 ADuerſam nobis opinionem tuentur Scotus *in* 2. *d.* 2. *q.* 4. Durandus ibidem *quæſt.* 6. Suarez *diſput.* 50. *Metaph. ſect.* 7. & alij: qui licèt plurimum inter ſe diſſideant in aſſignando propriam durationem ſubſtantię corruptibilis ſecundum ſuum eſse conſideratę; omnes tamen negant, quod tempore menſuretur.

Probatur primò ex Ariſtot. *in hoc lib. cap.* 12. *text.* 118 & 119. vbi docet, corpus non menſurari tempore in quantum quoddam eſt; ſed in quantum motus eius quantus eſt: ergo ſentit, quod menſurari tempore non conuenit ſubſtantijs materialibus ſecundum ſuum eſſe conſideratis, ſed ſolùm quatenus actu mouentur.

Reſpondetur negando conſequentiam: quia Ariſtot. ſolùm intendit, quod eſse rerum corruptibilium non ſit tempore menſurabile, omnino independenter à motu; ſed per reſpectum ad illum, vel actu exercitum, vel futurum: id quod libenter admittimus; ſed aſsertionem ſupra ſtabilitam neutiquam labefactat. Quoniam eſse rerum corruptibilium, eatenus aſserimus eſse menſurabile tempore, quatenùs eſt tranſmutabile: conceptus autem tranſmutabilitatis ſumitur per reſpectum ad motum, ſiue tranſmutationem: quocirca repugnat, quod omninò independenter à motu, eſse rerum corruptibilium tempore menſuretur. Vnde meritò aſserit Philoſophus, quod corpus, quatenus precisè eſt ens, & non exprimit tranſmutabilitatem, non eſt tempore menſurabile. Cæterum hoc pacto conſideratum, ſicut pręſcindit à gradu tranſmutabilitatis, ita pręſcindit à conceptu menſurabilis: at cùm re ipſa ſecundum ſuum eſse dicat ordinem ad tranſmutationem, debet ſecundum ipſum eſse tempore menſurari.

36 Secundò arguitur: nam illud tempore menſuratur, cuius quantitas per ipſum tempus dignoſcitur: at per tempus non cognoſcimus eſse rerum corruptibilium, ſed ſolum quantitatem motus: ergo ſolùm motus rerum corruptibilium menſuratur tempore; ſecùs verò illarum eſse. ¶ Reſpondetur, quod licèt eſse rerum corruptibilium ſecundum ſe acceptum, & quatenùs pręſcindit, tùm à motu exercito, tùm ab habitudine ad illum, non ſubijciatur tempori, nec dignoſcatur per illud; ſed habeat menſurari quantitate permanenti: nihilominùs ipſum met esse, quatenus eſt transmutabile, & habet in ſe ipso senescere, & labefactari; nequit non tempori ſubijci. Et hac poſteriori ratione, prędictum esse in ratione transmutabilis manifeſtatur per tempus, à quo proinde mensurari debet.

37 Tertiò arguitur: quia mensura, & mensuratum debent esse eiusdem rationis: sed tempus, & esse rerum corruptibilium non sunt eiusdem rationis; ſiquidem tempus est ſucceſſiuum, substantię verò prędictę, & secundum suum esse acceptę, sunt entia permanentia: ergo huiusmodi substantię ratione sui esse, nequeunt mensurari per tempus.

Respondetur, quod inter tempus, & substantias corruptibiles est ſufficiens proportio, vt eę mensurentur per illud: quoniam secundum suum esse sunt transmutabiles, & subiectę variationi; qua ratione poſſunt dici entia ſucceſſiua. Etenim ſucceſſiuum bifariam poteſt dici: vno modo proprijſſimè, quo pacto importat, quod nullę partes eius ſint ſimul; ſicut se habet motus: alio modo minus rigorosè, qua ratione ſolum exigit, quod aliquę eius partes adueniant, & alię ſuccedant, licèt

alię

Digitized by Google

aliæ ſint ſimul; vti ſe habent ſubſtantiæ corruptibiles. Et quoquo ex ijs modis aliquid ſit ſucceſſiuum, habet ſufficientem proportionem, vt tempore menſuretur.

38 Quartò arguitur: quoniam eadem menſura correſpondet rei, cum incipit, & cùm perſeuerat in eſſe: ſed eſſe ſubſtantiæ corruptibilis, quando primo incipit, non menſuratur per tempus; ſiquidem ſubſtantia habet primum ſuum eſſe in inſtanti, vt *infra* oſtendemus *diſputatione* 24. *numero* 12. ergo tempus non eſt menſura ſubſtantiæ corruptibilis, dum conſeruatur in eſſe.

Reſpondetur negando conſequentiam: quia tempus componitur ex partibus, & indiuiſibilibus: & ideo poteſt per aliquid ſui, videlicet per inſtans, ſaltem temporis primi mobilis, menſurare primam inceptionem ſubſtantiæ corruptibilis; & deinde ſecundum ſe totum, & quatenùs includit partes, & indiuiſibilia menſurare eſſe prædictæ ſubſtantiæ, dùm continuatur: quoniam eius inceptio eſt omnino indiuiſibilis; continuatio verò habet aliquam latitudinem, & ſucceſſionem. Vnde ſemper ſaluatur, quod eſſe rei corruptibilis, & cùm incipit, & cùm conſeruatur, habet menſurari per tempus, ſeu per id, quod ad integritatem temporis ſpectat.

39 Quintò arguitur: nam in creatis actus primus, & ſecundus debent menſurari per diuerſas durationes: ſed motus, qui ſe habet, vt actus ſecundus ſubſtantiæ corruptibilis, menſuratur tempore: ergo eſſe prædictæ ſubſtantiæ, quod eſt actus primus, debet menſurari alia menſura diuerſæ rationis. Maior ſuadetur: quoniam actus primus, & ſecundus in creatis important diuerſas rationes: ergo petunt menſurari per durationes diuerſæ rationis. Et ob hanc cauſam eſſe, & operatio Angeli vendicant ſibi menſuras diuerſas.

Reſpondetur, majorem vniuerſaliter intellectam eſſe falſam, vt conſtat in Angelis, in quibus operationes indefectibiles, qualis eſt intellectio, qua ſe perpetuò cognoſcunt menſuratur per æuum, ſicut ipſamet ſubſtantia, & actus primus. Et ratio eſt: quia prædicta operatio eſt in eodem gradu intranſmutabilitatis cum ſubſtantia, quocirca debet eadem duratione dimetiri. Quod ſi aliæ operationes angelicæ, quales ſunt actus liberi, non menſurantur æuo, ideò eſt, quia ob intrinſecam defectibilitatem deflectunt à gradu intranſmutabilitatis, in quo eſt Angelus ſecundum eſſe. Cùm ergo eſſe ſubſtantiarum corruptibilium, & motus earum ſint actus primus, & ſecundus conuenientes in eodem gradu tranſmutabilitatis, debent menſurari per eandem temporis durationem. Quamobrem argumentum iſtud in Aduerſarios retorquendum eſt.

40 Vltimò arguitur: quia ſi ſubſtantia ex ſe corruptibilis nullas haberet qualitates actiuas, & paſſiuas, nullam actu ſubiret tranſmutationem; ergo non menſuraretur tempore; quandoquidem tempus eſt menſura motus ſecundum prius, & poſterius, quæ abſque aliqua tranſmutatione nequeunt intelligi: atqui ſubſtantia in eo caſu menſuraretur per eandem durationem, qua menſuratur modo; cùm ſemper habeat idem eſſe: ergo ſubſtantia corruptibilis ſecundum ſuum eſſe conſiderata non debet tempore menſurari. ¶ Confirmatur: quoniam ſubſtantia corruptibilis pro illo priori, pro quo præcedit omnia ſua accidentia, habet aliquam durationem: ſed pro illo priori non menſuratur tempore; ſiquidem pro illo priori nulli ſubeſt tranſmutationi: ergo vendicat pro tunc aliquam durationem à tempore diuerſam: quam etiam poſtea retinebit, cùm nulla ſit ratio in contrarium.

Reſpondetur ad argumentum, & confirmationem, quod ſubſtantia in illo caſu, & in illo priori, adhuc menſuraretur tempore: quia eſſet ab intrinſeco tranſmutabilis, licèt nullam actualem pateretur tranſmutationem. Sicut etiam Angelus poteſt à Deo annihilari; & nihilominùs quia ab intrinſeco eſt indefectibilis, menſuratur per æuum. Si autem aliqua ſubſtantia, quæ ſibi relicta eſt corruptibilis, redderetur per aliquam virtutem intrinſecam ſibi ſuperadditam intranſmutabilis, non menſurabitur tempore; ſed alia menſura: & hoc pacto ſe habent corpora glorioſa Beatorum. Videatur Caiet. 1. *p.* *q.* 10. *art.* 5.

Sed ad perfectiorem intelligentiam eorum, quæ hactenùs diximus, obſerua, quod ſicut dùm aliquis mouetur duplici motu, v. g. augmentationis, & alterationis, habet duo tempora numero diſtincta, quia ſubiectum *quo* illorum motuum eſt realiter diuerſum: ita in ſubſtantia corruptibili, quæ actu mouetur, duplex tempus intrinſecum diſtinguendum eſt: aliud, quod menſurat motum, & illi inhæret; aliud verò, quod menſurat prædictam ſubſtantiam, eamquè media quantitate afficit. Ex quibus hoc poſterius eſt magis intimum, & menſurat, abſque interruptione prædictam ſubſtantiam, ſicut ipſa continuò durat. Quo pacto intelligendum eſt quod fortè alibi ſcripſimus, nempè tempus oriri a quantitate medio motu: loquebamur enim de tempore, quod menſurat motum, & ab omnibus citra controuerſiam admittitur.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVINTVS PHYSICORVM.

POST notitiam motus abſolutè accepti, & eorum, quæ rem mobilem, atque ipſum motum comitantur, qualia ſunt locus, & tempus; quibus elucidandis operam nauauit Ariſtot. duobus libris præcedentibus: incipit in præſenti tractare de multiplicitate, ſpeciebus, & contrarietate motuum. Cuius doctrinam ſequenti diſputatione complecti, & illuſtrare curabimus.

DISPVTATIO XXII.

De vnitate, diſtinctione, & contrarietate motus.

EO' intentio Philoſophi principaliter reſpicit in hoc libro, vt genera ſuprema, & ſpecies ſaltem ſubalternas motus deſignet. Motus autem vnitatem, & diſtinctionem accipit à termino *ad quem* per ſe inſpecto, & ideo Ariſtotel. poſtquam in primo capite huius libri prælibauit diſtinctionem inter mutationem, & motum; ſtatim in ſecundo oſtendit ad tria tantùm prædicamenta dari per ſe motum; & conſequenter tria dumtaxat eſſe ſuprema genera motus. Quod quia difficultate non vacat, particulare expoſtulat examen, cui ſequens quæſtio deſeruit.

QVÆSTIO I.

Ad quæ prædicamenta detur per ſe motus.

VT cum majori luce procedamus in reſolutione huius difficultatis, operæ pretium eſt nonnulla præmittere, quæ facilem viam ad illius deciſionem ſternant.

§. I.

Aliquæ obſeruationes.

1 PRimò obſeruanda eſt differentia inter mutationem, ſiue motum phyſicum communiter acceptum, & inter motum ſtrictè dictum: nam indiſtinctio inter hæc, ſolet non leuem in hac materia parere confuſionem. Motus communiter dictus, vt ſupra *diſp.* 16. *q.* 2. vidimus, ex Ariſtot. ſolùm expoſcit, quod ſit actus entis in potentia, prout in potentia; ſiue actus vialis, incompletus, imperfectus, & promouens mobile ad vltimiorem, & perfectum actum. Qua ratione omnis motus, quamvis non exerceatur in tempore, ſed in inſtanti; & ſiue ſit accidentalis, ſiue ſubſtantialis; ſiue recipiatur in ſola materia prima, ſiue in toto compoſito; ſiue procedat à termino *à quo* poſitiuo, ſiue priuatiuo, appellatur motus phyſicus: omnes quippè eæ differentiæ, & modi ſunt accidentales reſpectu motus phyſici communiter accepti. Motus autem ſtrictè, & particulariter dictus, eſt motus ſucceſſiuus, conſumens tempus, entitatiuè accidentalis, & procedens à termino poſitiuo in poſitiuum, vt ſtatim magis declarabimus. Igitur in præſenti diſputatione non loquimur de motu phyſico communiter dicto; de quo jam plura dedimus ſupra *diſp.* 16. ſed tractamus de motu phyſico ſtrictè accepto, qui eſt motus ſucceſſiuus.

Secundò obſeruandum eſt, quod *dari per ſe motum ad aliquod prædicamentum*, nihil aliud eſt, niſi quod tale prædicamentum ratione ſui, & immediatè terminet motum: quia ly *per ſe* non appellat ſupra motum, ſed ſupra terminum. Quod ſatis patet ab exemplo: nam *agere per ſe*, eſt agere ratione ſui: ergo pariter *terminare motum per ſe*, eſt illum terminare ratione ſui, & non ratione alterius, cui coniungitur. E contra verò terminare per accidens motum conuenit ei, quod non attingitur ratione ſui, ſed ratione alterius. Eo hoc contingit dupliciter: primò cùm aliquid verò in ſe ipſo attingitur per motum, non tamen immediatè, ſed ratione alterius termini primariò attacti: qui attingentiæ modus eſt proprius termini ſecundarij: hic enim eatenùs dicitur attingi per acci-

Digitized by Google

accidens, quatenùs attingitur per aliud, vel mediante alio; ſed tamen verè attingitur in ſe ipſo. Secundò quando aliquid non attingitur per motum, nec terminat illum; coniungitur tamen per accidens cum termino attacto: qua ratione dicitur, quod Statuarius dealbatur: & hic terminus ſolet frequentiùs appellari terminus per accidens, ſortiturquè impropriiſſimè nomen, & rationem termini.

2 Tertiò obſeruandum eſt, tres conditiones requiri, vt detur motus ſtrictè dictus. Prima eſt, quod illius terminus reſpiciat aliquod contrarium poſitiuum, ex quo fiat, tanquam ex termino *à quo*. Ratio eſt: quia ex hac parte præcipuè diſtinguuntur motus communiter dictus, ſiue mutatio, & motus ſtrictè acceptus: illa quippè non determinat, quod terminus *à quo* habeat poſitiuam contrarietatem, & repugnantiam cum termino *ad quem*: motus autem ſucceſſiuus id neceſſariò expoſcit, in eoquè fundat ſuam ſucceſſionem, & continuitatem. ¶ Secunda conditio eſt, quod inter terminum *à quo*, & *ad quem* detur aliqua latitudo, & diuiſibilitas, quæ valeat ſucceſſiuè pertranſiri. Ratio eſt: quoniam ideo generatio, & aliæ mutationes inſtantaneæ perficiuntur in inſtanti, quia inter earum terminos nulla datur latitudo, ſed oppoſitio immediata, & tranſitus immediatus: ergo ad ſucceſſionem propriam motus ſtrictè dicti, requiritur, quod inter terminos illius detur aliqua latitudo, quæ poſſit ſucceſſiuè; ſiue in tempore percurri. ¶ Tertia conditio eſt, quod ſubiectum motus ſtrictè ſumpti ſit ens in actu. Et ratio eſt perſpicua: quia prædictus motus eſt entitatiuè accidens: nullum autem accidens queit recipi in ſola materia prima, ſed debet recipi in compoſito, vt oſtendemus *in lib. de Generatione*: ergo ſubiectum motus ſtrictè dicti, non poteſt eſſe ſola materia, quæ eſt ens in potentia; ſed debet eſſe corpus, ſiue ens in actu. Omnes has conditiones proponunt in præſenti Ariſtot. *cap.* 1. & D. Thom. *lect.* 2. & ideo, qualibet deficiente, non poterit dari per ſe motus ad aliquod prædicamentum. Quibus ſuppoſitis, peruium erit præſentem difficultatem abſoluere; reſpondebimus tamen per diuerſas concluſiones, vt maior diſtinctio, maiorem claritatem conciliet.

§. II.

Quid de quantitate aſſerendam ſit?

3 Dicendum eſt primò, dari per ſe motum ad quantitatem. Ita Ariſtot. *in præſenti cap.* 2. D. Th. ibidem, & communiter omnes Interpretes. Fundamentum eſt: quia concurrunt omnes conditiones, vt motus terminetur ad quantitatem per ſe: ergo ad illam datur per ſe motus. Suadetur antecedens: nam in primis inter quantitatem magnam, & paruam datur contrarietas ad motum requiſita; ſiquidem vna, & altera ſunt aliquid poſitiuum, & ſe formaliter expellunt ab eodem ſubiecto: deindè habent latitudinem ſucceſſiuè percurrendam; quandoquidem à quantitate parua ad magnam non eſt peruenire, niſi per quantitatem inter vtramque mediam: deniquè ſubiectum quantitatis non eſt ſola materia prima; ſed compoſitum ex materia, & forma coaleſcens: ergo omnes conditiones requiſitæ ad terminandum motum ſtrictè dictum, quas ſupra recenſuimus, concurrunt in quantitate. ¶ Confirmatur: quia augmentatio eſt motus ſucceſſiuus, & ſtrictè dictus, vt tenet communis Philoſophorum ſententia: ſed augmentatio terminatur ad quantitatem: ergo hæc terminat per ſe motum.

4 Oppoſitum placet Galeno, & poteſt ſuaderi primò: quia quantitati nihil eſt contrarium ex Ariſtot. *cap.* de quantitate: ergo deficit quantitati vna ex conditionibus ad terminandum per ſe motum requiſitis. ¶ Confirmatur primò: quia ſi in quantitate daretur contrarietas, maximè inter magnam, & paruam: at magnum, & paruum non opponuntur contrariè; ſed solùm relatiuè; ſiquidem eadem quantitas relata ad vnam quantitatem eſt magna, & comparata ad aliam eſt parua: ergo in genere quantitatis non datur contrarietas ad motum requiſita. ¶ Confirmatur ſecundò: nam vnum contrarium deſtruitur, adueniente alio: ſed quantitas, quæ erat parua, non perit, quando fit maior, vt ex ſe liquet: ergo quantitas magna, & parua non contrariantur. ¶ Confirmatur tertiò: quia contraria maximè diſtant: ſed inter duas quantitates non datur maxima diſtantia; ſiquidem data qualibet quantitate, poteſt dari alia, & alia maior ſine termino: ergo inter quantitates non datur vera contrarietas.

Reſpondetur ad argumentum, quod duplex eſt contrarietas: alia ſpecifica, & omninò rigoroſa, quæ inuenitur inter duas formas eiuſdem generis ſpecie inter ſe differentes, vt inter calorem, & frigiditatem: alia modalis, & minus rigoroſa, quæ reperitur inter modos, vel terminos eiuſdem rei, vt inter calorem intenſum, & remiſſum. Prima ergo contrarietas, non inuenitur in genere quantitatis, et meritò excluditur à Philoſopho loco citato: quià non dantur duæ quantitates, quæ per ſuas ſpecies, & independenter à modo ſibi ſuperaddito fundent prædictam oppoſitionem. Secunda autem contrarietas reperiri poteſt in quantitate, quandoquidem quantitas magna, & parua ita proportionabiliter contrariantur, ſicut calor intenſus, & remiſſus, quos certum eſt contrariari. Porrò vt aliqua forma terminet per ſe motum, ſufficit quælibet ex prædictis oppoſitionibus.

Ad primam confirmationem reſpondetur cum D. Thom. *in prima diſt.* 19. *q.* 3. *art.* 1. *ad* 2. magnum, & paruum mathematicè ſumpta opponi ſolum relatiuè; phyſicè verò accepta habere contrarietatem, ſaltem minus rigoroſam, ſufficientem tamen ad motum. Et ratio eſt: quia quantitas mathematicè conſiderata, non concernit ſubiectum ſenſibile, ſed potiùs abſtrahit ab eo: phyſicè autem ſumpta concernit ſubiectum, cui eſt connaturalis. Et hac ratione illa quantitas dicitur magna, quæ eſt apta ad hoc, vt ſubiectum proprias operationes debitè exerceat: parua autem appellatur ea, quæ eſt inſufficiens ad munia naturæ. Quo pacto quantitas magna, & parua non opponuntur ſolum relatiuè, ſed abſolutè, & contrariè: vnde poſſunt terminare motus contrarios augmentationis, & diminutionis.

Ad ſecundam confirmationem dicimus, quantitatem magnam, & paruam bifariam accipi: vno modo quoad entitatem: & ſic non contrariantur, nec comparantur, vt terminus *à quo*, & *ad quem*: quare mirum non eſt, quod eadem entitas quantitatis perſeueret, cum tranſit à parua ad magnam. Alio modo quoad tantitatem, ſiue modos terminationis: et hac ratione quantitas magna, et parua contrariantur, queuntquè proinde eſſe termini motus augmentationis, aut diminutionis. Cæterùm in hoc ſenſu, quando quantitas fit maior, perit quantitas formaliter, vt minor: quoniam deſtruitur prior terminatio, ſiue modus ille, à quo quantitas conſtituebatur in eſſe minoris.

Ad vltimam confirmationem conſtat ex dictis ad ſecundam: nam licèt in quantitate conſiderata mathematicè, et ſecundum ſe non ſit deſignabilis vltimus terminus, benè tamen in quantitate phyſicè ſumpta; et reſpectiuè ad ſubiectum, vt infra dicemus *diſp.* 25. *quæſtione prima*.

5 Secundò arguitur contra eandem concluſionem: quia quantitas ſemper fit in inſtanti, et per reſultantiam: ergo quantitas non terminat per ſe motum. Conſequentia eſt euidens. Antecedens autem oſtenditur: nam quanti-

Digitized by Google

quantitas totalis eſt paſſio ſubſtantiæ totalis: ergo ex vi generationis inſtantaneæ, per quam ſubſtantia totalis producitur, reſultat tota quantitas illius. Deinde quantitas partialis acquiritur per nutritionem: ſed nutritio fit in inſtanti, & terminatur per ſe primò ad ſubſtantiam: ergo quantitas partialis fit inſtantaneè, & per reſultantiam à ſubſtantia partiali. Nam ſicut quantitas totalis eſt paſſio ſubſtantiæ totalis, & debet ei in modo productionis proportionari: ita quantitas partialis eſt paſſio ſubſtantiæ partialis, cui proinde debet in ſuo produci commenſurari.

Reſpondetur negando antecedens, cuius probationi, vt occurramus ſupponendum eſt ex ijs, quæ fuſiùs dicemus *in lib. de Generat. diſp. 5. & in lib. de Anima diſp. 8.* potentiam generatiuam, nutritiuam, & augmentatiuam eſſe tres potentias realiter diſtinctas, quibus fines, & actus adæquatè diuerſi correſpondent. Nam finis potentiæ generatiuæ eſt ſpeciem conſeruare: quod aſſequitur per generationem noui indiuidui, quæ ſumpta in eſſe mutationis fit in inſtanti, attingitque primariò ſubſtantiam totalem, & conſequenter, ſiue per reſultantiam, quantitatem totalem illius. Finis autem potentiæ nutritiuæ ſolùm eſt reſtaurare partes viuentis, quæ deperduntur vi caloris naturalis, quod conſequitur per nutritionem, ſiue tranſitum materiæ primæ, à forma alimenti ad formam aliti. Deniquè finis potentiæ augmentatiuæ eſt perducere indiuiduum ad certam, & ſibi debitam quantitatem, quam habere non potuit in inſtanti generationis: & ideo hæc potentia reſpicit per ſe primò quantitatem, vt majorem. Vbi maximè elucet differentia inter nutritionem, & augmentationem; illa enim intendit, vt finem reparare deperditum: non verò augmentum viuentis, & ideo durat tranſacto tempore augmenti, vt patet in ijs, qui poſt prædictum tempus nutriuntur. Augmentatio autem reſpicit, vt finem augmentum viuentis: quo fine aſſecuto in debito tempore ſtatim ceſſat. Ex quo vlterius fit, quod nutritio attingat per ſe primò ſubſtantiam æqualem deperditæ: augmentatio verò terminetur per ſe primò ad quantitatem maiorem, & quia hæc nequit dari abſque noua ſubſtantia, ideo tunc concomitanter producitur noua ſubſtantia per potentiam nutritiuam, vt ſit ſubiectum maioris quantitatis per augmentatiuam productæ: hunc quippe ordinem terminorum poſtulant fines harum potentiarum.

Hinc ad probationem illius antecedentis facilis eſt occurſus: concedimus enim, quod quantitas totalis producta per generationem fiat in inſtanti: admittimus etiam, vel potius omittimus diſputationis gratia, quod quantitas partialis producta per nutritionem puram, id eſt, in qua nulla interuenit augmentatio, non fiat ſucceſſiuè (nolumus enim in præſenti examinare, an nutritio, vt condiſtincta ab augmentatione ſit mutatio ſucceſſiua, ſed id reſeruamus *lib. de Generat.* vbi id diſcutiemus ex profeſſo) aſſerimus tamen, quod quantitas producta per augmentationem fit ſucceſſiuè, & per verum motum. Et ratio diſparitatis eſt, quod quantitas in generatione, & nutritione pura fit ſecundariò, & ſolum vt proprietas ſubſtantiæ corporeæ: & ideo poteſt ex vi huius, illi in modo productionis accommodari. Cæterum in augmentatione attingitur quantitas per ſe primò, & ratione ſui, & non ſub formalitate paſſionis: vnde cum habeat omnes conditiones requiſitas ad terminandum motum ſucceſſiuum, vt conſtat ex ſupra dictis; nulla eſt ratio, quare actu non terminet illum, & ſucceſſiuè producatur. Quare ſicut quantitas Chriſti Domini in Euchariſtia eſt indiuiſibiliter, quia eſt ad modum ſubſtantiæ, & ratione illius; è contra verò ſubſtantia eiuſdem corporis in cœlo eſt diuiſibiliter, quia eſt ibi ratione quantitatis: ita quia quantitas in generatione, & nutritione pura, producitur ratione ſubſtantiæ, poteſt ſequi modum productionis illius: quia verò in augmentatione producitur ratione ſui, debet attingi diuiſibiliter, ſucceſſiuè, & per motum ſtrictè dictum: & ſubſtantia, quæ in augmentatione attingitur ob quantitatem, debet illius productioni proportionari, atque ideo fieri ſucceſſiuè: de quo latè *in lib. de Generat.*

§. III.

Quid tenendum circa qualitatem, & vbi.

6 Dicendum eſt ſecundò, ad qualitatem dari per ſe motum. Hæc concluſio eſt communis inter Doctores, & probatur eodem fundamento, quo præcedentem oſtendimus: quoniam inter qualitates v. g. albedinem, & nigredinem datur vera contrarietas, vt ex ſe patet: præterea inter vtramque datur latitudo, quæ poſſit ſucceſſiuè percurri; ſiquidem ab vna in aliam fit tranſitus per colores medios, viridem v. g. aut rubeum: tandem ſubiectum qualitatis eſt ens in actu: ergo in qualitate inueniuntur omnia requiſita, vt terminet per ſe motum. Vnde alteratio, quæ terminatur per ſe primò ad qualitatem, vt omnes docent, eſt motus ſucceſſiuus, & continuus, vt latè oſtendemus *in lib. de Generat.*

Sed objicies primò: id, quod fit per reſultantiam ex alio, non terminat per ſe motum: ſed albedo, nigredo, & omnes ſecundæ qualitates reſultant ex permixtione primarum: ergo eæ qualitates non terminant per ſe motum. ¶ Secundò objicies: terminus motus, ſecundum quod terminus, atque ideo ſecundum vnam, & eandem rationem debet habere omnes conditiones ad terminandum per ſe motum: at calor v.g. per ſuam eſſentiam contrariatur frigori, latitudinem verò habet ratione intenſionis, quæ eſt extra eſſentiam: ergo nequit per ſe terminare motum. ¶ Tertiò oppones: calor ignis eſt perfectiſſimus omnium calorum, et tamen non fit per motum; cùm ſit proprietas ignis: ergo neque alij calores, et qualitates.

Reſpondetur ad primam obiectionem, quod qualitates ſecundæ dicuntur reſultare ex primis; non quia ſequantur per puram, et naturalem ſequelam, quo pacto paſſiones ab eſſentia dimanant: ſed quia licèt fiant per verum, et nouum motum, ſupponunt tamen permixtionem primarum qualitatum. Adde, hanc obiectionem ad ſummum probare, quod non detur per ſe motus ad omnes, et ſingulas qualitates ſecundas. Id tamen aſſertioni noſtræ minimè præjudicat: quippè vt verificetur indefinitè, quod qualitas terminat per ſe motum, ſufficit, quod id conueniat aliquibus qualitatibus. ¶ Ad ſecundam reſpondemus, calorem v. g. et frigiditatem ſecundum eandem rationem habere contrarietatem, et latitudinem quia licèt intenſio ſit extra conceptum eſſentiæ; nihilominùs eſſentia eâdem fundat latitudinem, et contrarietatem proximam. ¶ Ad tertiam neganda eſt conſequentia: quoniam calor ignis eſt proprietas illius, et ideo fit per reſultantiam ab eo: hæc autem ratio non militat in alijs pluribus caloribus, et qualitatibus: quare non adeſt ratio denegandi, quod fiant per verum motum; cùm aliàs habeant omnes conditiones ad id deſideratas.

7 Dicendum eſt tertiò, ad *vbi* dari per ſe motum. Hæc aſſertio eſt æquè communis, ac præcedentes, et ſuadetur eiſdem fundamentis: quia inter duas præſentias locales, verbi gratia inter eſſe ſurſum, et eſſe deorſum datur contrarietas: aliàs etiam datur latitudo; ſiquidem non eſt peruenire ab extremo ad extremum, niſi per loca intermedia: prætereà vterque terminus recipitur in corpore locato: ergo nihil deſideratur, vt detur per ſe motus ad *vbi*, ſiue præſentiam localem. Quamobrem la-

tio, ſeu motus localis, qui per ſe primò terminatur ad *vbi*, eſt motus ſtrictè dictus, vt cum Ariſt. in præſenti tradunt communiter Philoſophi.

Nec refert, ſi opponas, quod mobile, cùm mouetur motu propriè dicto, debet eſſe partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: nam ſi præciſè eſſet in termino *à quo*, adhuc non moueretur; & ſi præciſè eſſet in termino *ad quem*, iam non moueretur, ſed eſſet motum: atqui dùm mobile mouetur à loco ſurſum ad locum deorſum, nequit eſſe partim in vno loco, & partim in alio; cùm prædicta loca maximè diſtent inter ſe: ergo ad *vbi*, ſeu præſentiam localem nequit dari per ſe rigoroſus motus. ¶ Non inquam hoc refert: reſpondetur enim, quod medium inter duo extrema, habet quodammodo eſſe vtrumque extremum: ſicut fuſcum, quod mediat inter album, & nigrum, comparatum albo eſt nigrum; & comparatum nigro eſt album: & eodem modo locus medius inter ſurſum, & deorſum, ſi comparetur ad eſſe ſurſum, eſt deorſum; & ſi referatur ad deorſum eſt ſurſum. Vnde quando mobile tranſit ab extremo ad extremum, & eſt in medio, dicitur quod partim eſt in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: eò quod eſt in medio, quod ſecundum diuerſas rationes participat de vtroque extremo. Nec amplius requiritur ad veritatem illius proloquij, vt conſtat inductiuè in alijs motibus ſucceſſiuis. Videatur D. Thom. *in præſenti lect. 1. in fine, & text. 22. lect. 5.*

§. IV.

Reſolutio quæſtionis, quoad alia prædicamenta.

8 DIcendum eſt quartò, ad ſubſtantiam non dari per ſe motum. Ita Ariſtot. & D. Thom. *in hoc lib. cap. 2.* & communiter Interpretes. Probatur ratione deſumpta ex D Thom. 11. *Metaph lect.* 12. quoniam vt aliquid terminet per ſe motum, debet habere aliquod contrarium poſitiuum, ex quo directè, & per ſe fiat: at ſubſtantia non fit directè, & per ſe ex aliquo contrario poſitiuo; ſed ſolùm ex priuatione ſui, vt apparet in productione ignis, qui non petit determinatè fieri ex ligno, vel ex aëre &c. ſed hoc accidit illi: ergo ſubſtantia non terminat per ſe motum.

Confirmatur: quoniam à contrario in contrarium non eſt tranſitus, niſi per determinata media; & ideo ad maximum calorem non peruenitur, niſi per medium, nec ad magnam quantitatem, niſi per minorem: ſed in acquiſitione formæ ſubſtantialis non eſt hic procedendi ordo: ergo intra genus ſubſtantiæ non eſt contrarietas ad terminandum per ſe motum requiſita. Minor conſtat: quia materia prima, cùm exuitur vna forma, poteſt indifferenter, quantum eſt de ſe, recipere quamcumque aliam: quamobrem Ariſtot. 2. *de Generatione* dixit, quod cùm ex terra fit ignis, non oportet, quod ſit tranſitus per elementa media: ergo à forma in formam ſubſtantialem non eſt proceſſus per media determinata. ¶ Ad hæc: motus ſtrictè dictus eſt entitatiuè accidens, debetquè proinde recipi non in ſola materia, ſed in toto compoſito, vt *ſupra* ſtatuimus *num.* 2. ſed acquiſitio, vel productio formæ ſubſtantialis recipitur in ſola materia prima, ſicut & ipſa forma: ergo ad formam ſubſtantialem non datur motus ſtrictè dictus, de quo in præſenti; ſed ſolùm generatio, aut nutritio, quæ ſunt motus communiter acceptus, ſiue quædam mutationes.

9 Sed obijcies primò: Ariſtot. 2. *de Generatione* aſſerit, ignem eſſe contrarium aquæ: ergo intra genus ſubſtantiæ inuenitur contrarietas. ¶ Reſpondetur cum D. Thom. *in præſenti lect.* 3. aquam, & ignem contrariari, non ſecundum formas ſubſtantiales, ſed ſecundum qualitates: quia ignis eſt ſiccus, & calidus; aqua verò eſt humida, & frigida. Verum quidem eſt, quod cùm contrariorum effectuum debeant eſſe cauſæ contrariæ, nequeunt non formæ ſubſtantiales ignis, & aquæ aliqua oppoſitione gaudere. Hæc tamen non eſt contrarietas formalis, qualis ad motum requiritur; ſed ſolùm radicalis, & priuatiua, quæ attenditur penès excellentiam, & defectum. Quæ oppoſitio diuagatur per omnes ſpecies cuiuſcumque generis: & eſt prima radix cæterarum oppoſitionum: inſufficiens tamen, vt aliquid terminet per ſe motum, vt apparet in ipſo exemplo ignis, & aquæ: hæc quippè non petit determinatè fieri ex illo, neque è conuerſo.

10 Obijcies ſecundò: forma cadaueris fit determinatè ex forma viuentis, & forma animalis ex forma embrionis, & terminus nutritionis fit per ſe ex forma alimenti: ergo habent contrarietatem ſufficientem, vt terminent per ſe motum. ¶ Reſpondetur negando antecedens: nam omnes prædictæ generationes habent pro termino *à quo* per ſe inſpecto, ſolam priuationem formæ generandæ: & ideo fiunt, vel poſſunt fieri in inſtanti; quia inter *non eſſe*, & *eſſe* eſt immediata oppoſitio, & nulla latitudo ſucceſſiuè percurrenda. Cæterùm quia forma animalis petit aliquas diſpoſitiones, quas agens naturale nequit materiæ imprimere, quandiu eſt ſub forma v.g. lapidis; ſed ſolùm dum eſt ſub forma ſeminis, vel embrionis, ideo debent huiuſmodi formæ præcedere formam animalis: non quidem, vt hæc fiat ex illis, ſicut ex termino à quo; ſed quia nequit aliter materia diſponi ab agente naturali. Si autem Deus induceret eaſdem diſpoſitiones in materia terræ, vel ligni; eodem modo fieret per ſe generatio animalis. Quod ſatis manifeſtat, prædictam formam non fieri per ſe ex aliqua forma, vel termino poſitiuo, ſed duntaxat ex ſui priuatione. Et eodem modo reſpondetur ad inſtantias formę cadauericę, & formę terminantis nutritionem. Alia exempla, quę poſſent noſtræ concluſioni opponi; maximè verò, quod nutritio ſit verus motus ſucceſſiuus, conſultò omittimus in pręſenti; quia propriam ſedem habent *in lib. de Generat.* nec poſſunt pro meritis hic examinari; niſi exturbemus doctrinę ordinem, & prolixitatem, quam vitare intendimus, incurramus.

11 Vltimò dicendum eſt, non dari per ſe motum ad alia ſex prędicamenta, videlicet *relationem*, *actionem*, *paſſionem*, *quando*, *ſitum*, *& habitum*. Sic docent Ariſtot. & D. Thom. *in præſenti, cap.* 3. & alij Interpretes. Et probatur breuiter vnico fundamento: quia illud terminat per ſe motum, quod fit immediatè per ſe, & ratione ſui: ſed nullum ex his ſex prędicamentis terminat actionem per ſe, & ratione ſui: ergo nullum ex illis terminat per ſe motum. Minor poteſt ſingillatim oſtendi: nam in primis ad *actionem*, et *paſſionem* non datur per se actio; aliàs daretur proceſſus in infinitum: ſimiliter *relatio* non terminat per se actionem; sed resultat ex vi actionis terminatæ ad fundamentum illius, eo proportionali modo, quo paſſiones dimanant ab essentia: idemquè contingit in alijs tribus prędicamentis: *quando* enim reſultat ex inſidentia temporis; *ſitus* ex circumſcriptione loci; & *habitus* ex adiacentia veſtium.

12 Obijcies: generatio substantialis est terminus pręcedentis alterationis: ergo terminat per se motum; sed generatio est actio: ergo ad actionem datur per se motus. ¶ Reſpondetur negando primam conſequentiam: quia vt generatio terminaret per se motum, debebat esse terminus primarius pręcedentis alterationis: quod non ita contingit; sed poſita vltima diſpoſitione antecedenti, ſtatim naturali ſequela ſequitur, tum generatio, tùm forma genita, & quę illam conſequuntur. Pręterquam quod generatio, ſecundum quod est terminus alterationis, et

Digitized by Google

ab ea diſtinguitur, non habet rationem actionis, nec motus ſucceſſiui, ſed vel eſt pura ſequela, vel ſimplex mutatio, vt oſtendemus *in lib. de Generat. diſp. 2.*

QVÆSTIO II.

A quo ſumat motus vnitatem ſpecificam.

REduximus in *quæſt. præced.* omnes motus ad tria genera ſuprema, nimirùm ad augmentationem, alterationem, et lationem: modo videndum eſt, quę ſint ſpecies motuum. Minimè tamen intendimus recenſere omnes motus in ſpeciali; hoc quippè eſſet in infinitum abire: ſed duntaxat ſtatuemus generalia principia, ex quibus vnitas, ac diuerſitas ſpecifica motus queat facilè deprehendi. Ad quod prçſtandum nulla eſt aptior via, quam deſignare id, à quo vnitas ſpecifica motus deſumenda eſt. Tria autem ſunt, de quibus poteſt eſſe difficultas, nempè terminus *ad quem*, terminus *à quo*, et medium, ſiue diſtantia, quę inter vtrumque intercedit: vnde inquirimus, quodnam ex his prçſtet ſpeciem motui.

§. I.

Proponitur communis ſententia.

13 DIcendum eſt, motum ſpecificari à termino *ad quem*, non verò à termino *à quo*. Ita Ariſt. *in præſenti cap. 4.* D. Thom. *1. p. q. 23. art. 1. ad 1.* Ferrara *in hoc libro quæſt. 4.* Iauell. *quæſt. 7.* Sotus *quæſt. 5.* Toletus *quæſt. 2.* et communiter Philoſophi.

Probatur primò ratione ſimul, et auctoritate: quoniam de facto omnes motus, qui attingunt eundem ſpecie terminum *ad quem*, ſunt eiuſdem ſpeciei; tametſi procedant à terminis *à quibus*, ſpecie differentibus: ergo manifeſtum ſignum eſt, quod motus ſpecificatur à termino *ad quem*, non verò à termino *à quo*: ſi enim ſpeciem caperet à termino *à quo*, multiplicatis ſpecie terminis *à quibus*, non poſſent non motus ſpecie inter ſe differre. Antecedens oſtenditur: quia omnes dealbationes, quas certum eſt, non ſemper procedere ab eiſdem ſpecie terminis *à quibus*, ſunt eiuſdem ſpeciei; et idem eſt in denigrationibus, vt tradit Ariſt. *cap. citat. text. 31.* dicens: *Omnis autem dealbatio omni dealbationi vnum ſecundum ſpeciem erit, & omnis denigratio denigrationi; albedini autem non amplius. Vnde ſpecie vna dealbatio albationi omni.* Vbi D. Thom. *lection. 6. Motus qui ſunt ſecundum colores poſſunt eſſe diuerſi ſpecie, ſicut dealbatio, & denigratio; ſed omnis dealbatio eſt eadem ſecundum ſpeciem: ſimiliter, & omnis denigratio: quia albedini non ſunt amplius ſpecies, in quas diuidatur.* Et loco citat. *ex prima parte* inquit: *Nihil refert quantum ad rationem dealbationis, vtrum ille, qui dealbatur, fuerit niger, aut pallidus, aut rubeus.*

14 Secundò probatur ratione deſumpta ex eodem S. Doct. *10. Ethic. lect. 5.* quia via inter duos terminos deſumit ſpeciem ab eo, quem reſpicit per ſe primò, et ratione ſui; atqui motus eſt via inter terminum *à quo*, et terminum *ad quem*; reſpicitquè terminum *ad quem* per ſe, et ratione ſui; terminum verò *à quo* non reſpicit per ſe, ſed ratione termini *ad quem*; ſiquidem recedit ab illo, vt accedat ad iſtum; ergo motus accipit ſpeciem à termino *ad quem*; non verò à termino *à quo*. ¶ Confirmatur; quoniam motus ab eo ſpecificatur, à quo ſumit denominationem primariam; hęc quippè debet eſſe, per ſe loquendo, iuxta ſpeciem, ſiue eſſentiam rei: ſed motus habet denominationem primariam à termino *ad quem*, non verò à termino *à quo*: ergo &c. Minor poteſt inductiuè oſtendi: etenim augmentatio denominatur à quantitate maiori, diminutio à quantitate minori, dealbatio ab albedine, motus localis ab vbi, ad quæ terminantur prædicti motus; minimèque attenditur ad terminos *à quibus* in his denominationibus: ergo motus non denominatur à termino *à quo*, ſed à termino *ad quem*.

15 Cæterùm pro maiori intelligentia huius concluſionis obſerua, quod terminus *ad quem* poteſt conſiderari dupliciter, videlicet materialiter, ſiue in eſſe entis, & formaliter, ſiue in eſſe termini. Primo modo dicit ſuam entitatem abſolutè acceptam, & præſcindit à medijs, per quæ valet attingi. Secundo modo exprimit modum, ac medium attingibilitatis, ſiue illam rationem formalem, ſub qua terminat motum. Vnde ſicut concluſio ſcientifica, quamvis ſit eadem in eſſe entis, diuerſificatur formaliter in eſſe ſcibilis ob diuerſitatem mediorum, ſiue principiorum, per quæ attingitur: ita terminus motus, licèt ſit idem in eſſe entis, queit eſſe diuerſus in ratione termini ob diuerſa media, per quæ fit motus ad ipſum. Igitur cùm aſſerimus, quod motus ſortitur ſpeciem à termino *ad quem*, loquimur de termino ſumpto non materialiter, & in eſſe entis; ſed formaliter, & in ratione termini. Sic enim contingit in omnibus reſpectiuis, & quæ ſpeciem habent per habitudinem ad terminum extrinſecum, vt puta in potentijs, habitibus, operationibus, &c.

Quam doctrinam tradunt *in præſenti* Ariſtot. *text. 32.* & D. Thom. ibidem, *lect. 6.* vbi inquit: *Ad hoc, vt motus ſit idem in ſpecie, non ſolùm requiritur identitas termini ſecundum ſpeciem; ſed etiam identitas eius, per quod tranſit motus. Manifeſtum eſt autem, quod linea recta, & circularis ſunt diuerſæ ſecundum ſpeciem. Vnde motus circularis, & rectus, & voluntarius non ſunt idem ſecundum ſpeciem, quamvis ſint circa eoſdem terminos: quia via non eſt eadem ſecundum ſpeciem. Sed ſi ſint ijdem termini, & eadem via ſecundum ſpeciem, ſunt idem motus ſecundum ſpeciem.*

§. II.

Refertur opinio contraria.

16 COntra noſtram concluſionem ſentiunt Albert. de Saxonia *in præſenti quæſt. 6.* Aſtudillo *quæſt. 5.* Burleus *quæſt. 2.* & alij, qui aſſerunt motum, ſpecificari non ſolùm à termino *ad quem*; ſed etiam à termino *à quo*. Pro qua ſententia arguitur primò ex Ariſt. *hic cap. 1. & 4.* vbi aſſerit, intrinſecum eſſe motui verſari inter terminos contrarios, & ex D. Thom. *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 2.* vbi docet, motum ſecundum rationem ſuę ſpeciei requirere terminum *à quo*, & terminum *ad quem*: ſed motus ſpecificatur ab eo, quod ſecundum ſuam ſpeciem reſpicit, & requirit: ergo ſpecificatur, non ſolum à termino *ad quem*, ſed etiam a termino *à quo*.

Reſpondetur, quod vnumquodque ſpecificatur ab eo, quod reſpicit per ſe, & ratione ſui, ſecus vero ab illo, quod ſolùm reſpicit ratione alterius, ſeu propter aliud: quamvis autem motus ſecundum ſuam eſſentiam verſetur inter duos terminos, & vtrumque reſpiciat: attamen terminum *ad quem* reſpicit per ſe, & ratione ſui, cùm ad ipſum accedat; terminum autem *à quo* non reſpicit ratione ſui, ſed propter terminum *ad quem*: vnde ſpeciem capit ab iſto, & non ab illo.

17 Secundò arguitur: quoniam mutatio inſtantanea, & ſucceſſiua diſtinguuntur ſpecie: ſed hæc diſtinctio ſolùm ſumitur à termino *à quo*: ergo hic confert ſpeciem motui.

Digitized by Google

motui. Suadetur minor: quia idemmet calor, ſi fiat ex priuatione ſui, terminat mutationem inſtantaneam: ſi verò fiat ex termino poſitiuo, nempè ex frigore, terminat motum ſucceſſiuum: ergo differentia inter mutationem inſtantaneam, & ſucceſſiuam desumitur dumtaxat ex termino *à quo*.

Respondetur primò negando maiorem: quoniam calefactio v. g. inſtantanea, & ſucceſſiua solùm diſtinguuntur modaliter; vtraque enim habet eundem specie terminum, nempè calorem: sed calefactio ſucceſſiua attingit calorem, quatenùs importat latitudinem, & dicit modum intenſionis; à quo tamen prȩscindit calefactio inſtantanea. ¶ Secundò respondetur admittendo maiorem, & negando minorem: quia diſtinctio specifica inter dictas mutationes, licèt non sumatur ab eodem termino *ad quem* materialiter, & in esse entis; sumitur tamen ab eo formaliter accepto, & multiplicato in ratione termini. Calor autem, quatenùs explicat latitudinem ſucceſſiuè pertranſibilem, terminat motum ſucceſſiuum; sed quatenùs illam non exprimit, terminat mutationem inſtantaneam: vnde variatur in esse termini.

18 Tertiò arguitur; quoniam augmentatio, & diminutio sunt motus essentialiter diſtincti, & inter se oppoſiti; sed hæc diuerſitas specifica non oritur ex termino *ad quem*; ergo prouenit ex termino *à quo*. Probatur minor; quia tàm augmentatio, quàm diminutio queunt habere eundem terminum *ad quem*, vt ſi quantitas bipedalis augeatur ad tripedalem, & quantitas quadripedalis diminuatur vsque ad tripedalem. ¶ Confirmatur primò; quia motus terræ vsque ad sphæram ignis, & motus ignis ad eandem sphæram diſtinguuntur specie; cùm primus ſit violentus, secundus verò naturalis, & tamen habent eundem terminum *ad quem*; ergo vnitas, & diſtinctio specifica motuum non sumitur adæquatè ex termino *ad quem*, sed poteſt desumi ex termino *à quo*. ¶ Confirmatur secundò; nam motus ab albo in fuscum, & à nigro in fuscum diſtinguuntur specie, vt docent Ariſtot. *in præſenti text.* 52. et communiter Philosophi; sed prȩdicti motus habent eundem terminum *ad quem*; ergo diſtinguuntur ob diuersos terminos *à quibus*. ¶ Confirmatur tertiò; quoniam motus aëris à terra vsque ad mediam regionem, et motus eiusdem aëris à sphæra ignis vsque ad eandem regionem mediam habent eundem terminum *ad quem*, vt liquet ex ipſis terminis; et nihilominùs differunt specie; cùm vnus ſit ascensus, et alter descensus; ergo prædicta diuerſitas sumitur à terminis *à quibus*.

Ad argumentum neganda eſt minor, ad cuius probationem dicendum eſt, quod licèt quantitas tripedalis ſit eadem in esse entis, attamen eſt multiplex in esse termini, eò quod terminat augmentationem, quatenùs eſt major, diminutionem vero, quatenùs eſt minor; quantitas autem, vt major diſtinguitur à se ipsa, vt minori. ¶ Ad primam confirmationem negatur maior. quia naturale, & violentum ſunt differentiæ accidentales reſpectu motus: ſumuntur enim per reſpectum ad agens, à quo reſpectu præſcindit motus eſſentialiter acceptus: quamobrem idem ſpecie motus queit eſſe naturalis, & violentus reſpectu diuerſorum mobilium: & ita contingit in exemplo huius confirmationis. Videatur D. Thom. *quæſt. 7. de Potentia, art.* 8. ¶ Ad ſecundam reſpondemus, diſtinctionem ſpecificam, quam admittimus dari inter illos motus, deſumi ex termino *ad quem* formaliter accepto: nam color fuſcus mediat inter album, & nigrum, & participat de vtroque: & ideo comparatus albo habet rationem nigri, & comparatus nigro habet rationem albi; & ſic terminat prædictos motus ſub diuerſa ratione formali. ¶ Ad vltimam conſtat ex dictis: nam media aëris regio reſpectu aſcenſus aëris à terra eſt locus ſurſum; reſpectu vero deſcenſus aëris ab igne eſt locus deorſum: quapropter multiplicatur in eſſe termini; & conſequenter valet terminare diuerſos ſpecie motus.

19 Sed replicabis: quoniam ex dictis ſequitur, quod terminus *ad quem* conſtituatur in eſſe talis per habitudinem ad terminum *à quo*; ſiquidem, vt conſtat exemplis adductis: quantitas tripedalis habet rationem majoris, quia comparatur bipedali, ſicut & minoris, quia confertur cum quadripedali: ſimiliter color fuſcus habet rationem albi, & nigri comparatiuè ad diuerſos terminos, à quibus procedunt motus: & deniquè idem locus habet rationem ſurſum, & deorſum propter ſimilem comparationem: ergo motus etiam ſpecificatur à termino *à quo*. Probatur conſequentia: nam inde colligimus, potentias ſpecificari ab obiectis, quia ſpecificantur ab actibus, & ij dicunt eſſentialem habitudinem ad obiecta: ergo ſi motus ſpecificatur à termino *ad quem*, & iſte ſumitur per reſpectum ad terminum *à quo*, ſequitur, quod motus ſpeciem capiat à termino *à quo*.

Reſpondetur negando ſequelam: quoniam etſi terminus *ad quem* nequeat explicari abſque termino *à quo*; nihilominùs in ſe ipſo quid abſolutum eſt: plura enim non poſſunt intelligi abſque alio, ad quod tamen non dicunt realem habitudinem, vt videre eſt in *ſcibili*; quod licèt nullam dependentiam, aut ordinem habeat ad ſcientiam, nequit intelligi abſque illa ob connexionem, quam habet cum ea. Nec oppoſitum probant exempla inducta: nam ſicut quantitatem eſſe magnam, vel paruam, importat rationem abſolutam conſiſtentem in eo, quod natura habeat, vel non habeat quantitatem debitam ad ſuas operationes: ita quantitatem eſſe maiorem, vel minorem ſignificat quantitatem, per quam natura eſt magis, vel minus diſpoſita ad operandum: quæ ratio eſt quid abſolutum, atque independens à termino à quo; licèt connectatur cum eo. Et eodem modo occurrendum eſt alijs exemplis.

20 Vltimò arguitur: quia motus ab albo in nigrum per diuerſos colores intermedios diſtinguuntur ſpecie, ex eo præcisè, quod vnus fiat v. g. per colorem cæruleum, & alter per colorem viridem: ſed media, per quæ fiunt prædicti motus, habent rationem termini *à quo*, reſpectu termini vltimi: ergo motus ſpecificatur à termino *à quo*. Probatur minor: quia cùm mobile tranſit à medio ad terminum vltimum, acquiritur iſte, & derelinquitur illud: ergo medium habet rationem termini *à quo*.

Reſpondetur negando majorem: omnes enim motus ab albo in nigrum, per quoſcumque colores intermedios fiant, ſunt eiuſdem ſpeciei, quoniam colores medij terminant motum vialiter, quatenùs participant aliquo modo nigredinem, & conſequenter ſub eadem ratione formali. Neque inde inferas, motus factos per lineam rectam, & circularem fore pariter eiuſdem ſpeciei: eſt enim quoad hoc ſatis nota diſparitatis ratio. Quoniam licèt colores medij ſint materialiter diuerſi, & in eſſe entis; nihilominùs non præſtant tranſitum ad terminum vltimum, ſecundum illud, quod habent diuerſitatis, ſed ſecundum aliam rationem, in qua conueniunt, & ſunt formaliter idem, nempè quatenùs participant colorem vltimum, vt explicatum eſt. At linea recta, & circularis ad idem punctum præſtant motui diuerſum modum procedendi ad terminum, ac proinde diſtinguuntur formaliter in eſſe medij: vnde refundunt diſtinctionem formalem in terminum ſumptum in eſſe termini, atque ideo deſeruiunt ad ſpecificandos diſtinctos motus.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

Quid ſufficiat, & requiratur ad vnitatem numericam motus.

POſt deſignatam vnitatem ſpecificam motus, rectus ordo poſtulat, vt explicemus, vnde eius vnitas numerica deſumenda ſit: quapropter præſentem quæſtionem immediatè annectimus præcedenti.

§. Vnicus.

Statuitur communis ſententia.

21 DIcendum eſt, ad vnitatem numericam motus requiri, ac ſufficere vnitatem mobilis, termini, & temporis. Ita Ariſt. *in præſenti, c.4. text.* 34. D. Th. ibid. *lect.*7. & 8. Iauel. *q.*7. Soto *q.* 3. Tolet. *quæſt.* 4. & communiter Doctores.

Fundamentum eſt ſatis manifeſtum, & vrgens: quoniam motus eſt vnus per continuationem: ergo ea requiruntur, & ſufficiunt ad vnitatem numericam motus, quæ requiruntur, & ſufficiunt ad eius continuationem: ſed ad continuationem motus requiruntur, & ſufficiunt illa tria, quæ recenſuimus in concluſione: ergo illa requiruntur, & ſufficiunt ad vnitatem numericam motus. Probatur minor: nam in primis accidentia exiſtentia in diuerſis ſubiectis, licèt ſint contigua, nequeunt eſſe continua: ergo vt motus ſit continuus, debet eſſe in eodem numero ſubiecto, ſeu mobili. Deinde hoc ipſo, quod termini multiplicentur ſpecie, debent motus ſpecie multiplicari; cùm ſpecies motus ſumatur à termino; ſed motus ſpecie diſtincti nequeunt continuari, vt ex ſe liquet: ergo ad continuationem motus requiritur vnitas ſpecifica termini. Imò etiam requiritur, quod terminus ſit vnus numero, ſaltem in eſſe termini. Hanc tamen conditionem Ariſt. non propoſuit expreſsè, quia ſatis ſubintelligebatur in alijs: nam ſuppoſita identitate ſpecifica termini, & vnitate ſubiecti, neceſſariò ſequitur, quod terminus ſit etiam vnus numero; cum terminus recipiatur in eodem mobili, & duo accidentia ſolo numero diuerſa non valeant eſſe in eodem numero ſubiecto. Tandem nequit diſcontinuari duratio, quin diſcontinuetur res durans: ſed tempus eſt duratio motus: ergo, vt motus ſit continuus, requiritur continuitas, ſiue identitas temporis. Sed præter hæc tria, nempè mobile, tempus, & terminum non eſt deſignabile, quid aliud requiratur ad continuationem motus: ergo hæc tria requiruntur, & ſufficiunt ad continuationem motus, & conſequenter ad vnitatem numericam illius.

22 Sed obijcies primò: ſi canis ex alta turri projectus in medio deſcenſus moriatur, adhuc perſeuerat, & continuatur idem numero motus; cùm nulla ibi appareat quies: & tamen non eſt idem numero mobile: ergo ad vnitatem numericam motus non requiritur vnitas numerica mobilis. ¶ Reſpondetur negando maiorem: nam accidentia indiuiduantur à ſubiecto, nempè à compoſito, in quo recipiuntur: vnde cùm canis, & illius cadauer ſint ſubiecta numero diſtincta, nequit motus in eis receptus eſſe vnus numero. In eo igitur inſtanti, in quo eſt verum dicere: *nunc non eſt canis, & antea erat*, verificatur etiam: *nunc non eſt motus canis, & antea erat*, & ſimul verificatur: *nunc non eſt motus cadaueris, & immediatè poſt erit.* Quamobrem datur in illo inſtanti quies negatiua: quia nec datur motus, nec datur aliquod indiuiſibile continuatiuum motus: & ad interruptionem motus ſufficit prædicta quies.

23 Obijcies ſecundò: quando aliquis mouetur continuò per ſpatium vnius leucæ, ille motus eſt vnus numero; aliàs non eſſet continuus, vt ſupponitur: & tamen terminus eius non eſt vnus numero: ergo ad vnitatem numericam motus non requiritur vnitas numerica termini. Suadetur minor: nam terminus motus localis eſt vbi: conſtat autem *vbi* productum in principio motus, non eſſe idem numero *vbi*, quod producitur in medio, & in fine motus: ergo terminus illius motus non habet vnitatem numericam.

Reſpondetur negando minorem, cuius probatio non vrget: quoniam licèt vbicationes productæ in principio, in medio, & in fine motus ſint plura entia in eſſe entis; attamen omnes adunantur; & ſunt vnum in eſſe pertranſibili. Etenim ex ſuppoſitione, quod mobile non quieſcat in vbicationibus v.g. intermedijs, ſed progrediatur ad vltimam; omnes illæ vbicationes quæ aliàs, quantum eſt de ſe, poſſent vltimò terminare motum, ſubordinantur vltimæ vbicationi: atque ideo concurrunt quaſi partes vnius termini totalis; & magis ſe habent, vt continuantia motum, quam vt terminus ipſius. Quamobrem optimè ſaluatur vnitas numerica termini motus localis: quippè cùm hæc debeat attendi penes terminum formaliter ſumptum in eſſe termini, & quatenus vltimò terminat, & nō deſumatur à terminis intermedijs ſumptis in eſſe entis.

24 Obijcies tertiò: tempus accipit vnitatem numericam à motu, cuius eſt duratio; cùm illud reſpiciat, vt ſubiectum, à quo forma indiuiduatur: ergo motus non accipit vnitatem numericam à tempore. Patet conſequentia: nam aliàs daretur circulus vitioſus; ſiquidem motus indiuiduaretur à tempore, & tempus indiuiduaretur à motu. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam; quia ſicut non eſt inconueniens, quod quantitas permanens indiuiduetur à ſubiecto in genere cauſæ materialis; & quod ſubiectum in genere cauſæ formalis indiuiduetur à quantitate, vel per ſigillationem ad illam: ita fieri poteſt, quod quantitas ſucceſſiua, ſcilicet tempus indiuiduetur in genere cauſæ materialis à motu, quem afficit, ac menſurat; & quod motus in genere cauſæ formalis habeat vnitatem numericam dependenter à tempore. Nec hinc ſequitur circulus vitioſus: quia hæc mutua dependentia eſt in diuerſo genere cauſæ. Quibus addi poteſt, quod vnitas motus non deſumitur à priori ab vnitate temporis, ſed ſolùm à poſteriori, & tanquam à ſigno.

25 Vltimò obijcies: ad vnitatem motus requiritur vnitas motoris, tùm quia ita expreſsè docet Ariſt. 8. *Phyſic. text.*49. & *text.* 82. tùm quia motus identificatur, ſaltem largè, cum actione, ad cuius vnitatem certum eſt, requiri vnitatem agentis: ergo præter tres conditiones, quas recenſuimus, requiritur alia ad vnitatem numericam motus. ¶ Reſpondetur, quod motus quatenùs motus eſt, non reſpicit formaliter principium actiuum, ſed ſolum ſubiectum, terminum *à quo*, & terminum *ad quem*: vnde non oportuit ad vnitatem motus meminiſſe agentis. Ariſtot. autem *in locis citatis*, loquitur de motu ſub conceptu actionis, quam ſecum affert concomitanter, & ad cuius vnitatem fatemur requiri vnitatem agentis: ſed hoc identicè ſolùm, & de materiali competit motui.

QVÆSTIO IV.

Vnde contrarietas motuum deſumatur?

COntrarietas motuum conſequitur eorum ſpeciem: quare poſtquam oſtendimus, vnde motuum ſpecificatio

Digitized by Google

ficatio deſumenda ſit, meritò accedimus ad exponendum, quæ ſit radix contrarietatis ipſorum; Supponimus autem, vt ratione, ac experimentò compertum eſt, dari motus inter ſe contrarios, vt videre eſt in frigefactione, & calefactione, & in motibus ſurſum, & deorſum. Difficultas verò eſt, an huiuſmodi contrarietas ortum ducat à terminis *à quibus*, vel à terminis *ad quos*.

26 Dicendum eſt primò contrarietatem motuum deſumendam eſſe per ſe primò ex terminis *ad quos*. Ita Ariſtot. *in præſ. cap.* 5. D. Thom. *lect.* 8. & communiter Philoſophi. Fundamentum eſt: quoniam vnitas, diſtinctio, & contrarietas motuum conſequuntur eorum ſpecificationem: ergo motus ab eo deſumit contrarietatem, à quo ſumit ſpecificationem: ſed motus accipit ſpeciem à termino *ad quem*, vt oſtendimus *quæſt.* 2. ergo contrarietas motuum deſumenda eſt per ſe primò à terminis *ad quos*.

27 Dicendum eſt ſecundò, omnimodam, & adæquatam contrarietatem motuum, etiam deſumi ex terminis *à quibus*; licèt ſolùm materialiter, & conſecutiuè. Hæc etiam eſt communis inter Auctores, & poteſt ſuaderi primò; quia motus verſatur inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem*, cùm ſit via inter vtrumque: ergo, vt duo motus omnibus modis opponantur, debent habere contrarios terminos *à quibus*, & *ad quos*. ¶ Secundò; quoniam etſi terminus *à quo* non ſpecificet motum; reſpicitur tamen eſſentialiter ab eo, non quidem ratione ſui, ſed ratione termini ad quem: ergo, vt vnus motus alteri contrarietur omnibus modis, ſiue ex parte cunctorum principiorum; neceſſarium eſt, quod opponantur ex parte non ſolùm termini *ad quem*, ſed etiam termini *à quo*.

Confirmatur, & explicatur: nam diuerſo modo opponitur motus motui, ac mutatio mutationi, vt docent Ariſt. & D. Thom. *in præſ.* ſed ad hanc diuerſitatem intrat terminus *à quo*; ergo ad omnimodam motuum contrarietatem attendendum eſt etiam ad terminum *à quo*. Probatur minor; quia ideo calefactio, & frigefactio, in ratione mutationis inſtantaneæ opponuntur, quia calefactio eſt à priuatione caloris ad calorem; & frigefactio à priuatione frigoris ad frigus; calefactio verò, & frigefactio, quatenùs ſunt motus ſucceſſiui, ideò opponuntur, quia calefactio eſt à frigore ad calorem, & frigefactio eſt à calore ad frigus: ergo diuerſus modus, qui datur inter contrarietatem duarum mutationum, & contrarietatem duorum motuum, deſumitur aliquo modo ex termino *à quo*. Argumenta verò, quæ poterant impugnare primam concluſionem, ſolùm probant hanc ſecundam: vnde non oportet, quod eis in particulari occurramus.

QVÆSTIO V.

An idem mobile valeat ſimul moueri motibus contrarijs.

SVpponimus in præſenti, poſſe idem mobile moueri diuerſis motibus contrarijs, ſi vterque, vel ſaltem vnus conueniat illi per accidens; quandoquidem Chriſtus Dominus in Euchariſtia mouetur per accidens ſurſum, & deorſum ratione diuerſarum quantitatum ſub quibus eſt: & nauta poteſt ratione ſui moueri verſus vnam partem, & ratione nauis verſus contrariam. Similiter certum eſt, poſſe idem corpus ratione diuerſarum partium ſuſcipere contrarios motus, vt videre eſt in homine, qui ſecundum vnam manum calefit, & ſecundum alteram infrigidatur. Vocamus autem ad examen, an idem mobile, & ſecundum eandem partem queat ſimul, & per ſe moueri motibus contrarijs.

28 Dicendum eſt, idem corpus non poſſe ſimul, & per ſe, & in eadem parte habere motus contrarios. Sic deſumitur ex Ariſtotele *in hoc libro textu* 62. & D. Th. ibidem, quibus ſubſcribunt Soncinas 10. *Metaphy. quæſtione* 22. Iauel. ibidem *quæſtione* 13. Soto *in præſenti q.* 4. & alij plures.

Probatur ratione: quoniam repugnat, ſaltem naturaliter loquendo, quod idem mobile accedat, & recedat ſimul ad eundem terminum: ſed corpus verbi gratia quod calefit, accedit ad calorem; & quod frigefit, recedit à calore: ergo repugnat, quod idem mobile moueatur motibus contrarijs calefactionis, & infrigidationis. ¶ Confirmatur primò: quia mobile ſecundum locum nequit ſimul accedere ad aliquem locum, & recedere ab illo; quamvis ille acceſſus, & receſſus ſit exiguus: ergo idem dicendum proportionabiliter eſt de alijs motibus contrarijs, quamvis non in eodem gradu neceſſitatis.

Confirmatur ſecundò: quia licèt gratis admitteretur, quòd habitus amoris, & odij circa idem obiectum poſſent eſſe ſimul in eadem voluntate; nullus tamen admittet, quod idem obiectum, & ſecundum eandem rationem valeat ſimul amari, & odio haberi: eo quod amor quantumcumque remiſſus affert ſecum priuationem odij; & importat actualem acceſſum ad terminum, à quo receditur per odium: ergo licèt duæ qualitates contrariæ, vt calor, & frigus poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto, ſaltem in gradibus remiſſis; attamen duo motus contrarij non poterunt in eodem ſubiecto coniungi: quia vnus motus eſt non ſolùm impeditiuus, ſed etiam abiectio, & actuale impedimentum alterius.

Reſpondebis: poſſe ita attemperari concurſus duorum agentium contrariorum, vt quantum frigiditatis v. g. abiecerit agens calidum, tantum, & non plus inducat frigidatis agens frigidum: ac proinde mouebitur paſſum motibus contrarijs. ¶ Sed contra: quia ſi agens calidum habet vim abijciendi à ſubiecto frigiditatem, quam ei imprimit agens frigidum, etiam habebit vim ad impediendum illius actionem: ergo non mouebitur paſſum ab vtroque agente, ſed ab vno tantùm, & conſequenter vnicum duntaxat motum habebit.

29 Contrariam nihilominus ſententiam defendunt Pl. ça *in præſent. quæſt. vlt.* Conimbric. *cap.* 5. *huius libri*, & alij. Quæ poteſt ſuaderi primò: nam motus ſumunt ſuam contrarietatem à terminis *ad quos*: ſed duæ qualitates contrariæ v. g. calor, & frigus, queunt eſſe ſimul in eodem mobili, ſaltem in gradibus remiſſis: ergo motus contrarij tendentes ad illas, nempè calefactio, & infrigidatio poſſunt idem mobile ſimul afficere.

Reſpondetur ex dictis negando conſequentiam: quia vna qualitas contraria, licèt ſit expulſiua alterius; attamen non eſt ipſa actualis expulſio: vndè poteſt illi coniungi. Motus autem eſt ipſa actualis abiectio motus contrarij, quia comparantur, vt acceſſus, & receſſus circa eundem terminum: quamobrem neceſſariò ſe excludunt.

Arguitur ſecundò: quia ſi paſſo exiſtenti in potentia ad calorem, & frigiditatem applicentur ſimul agens ſummè calidum, & agens ſummè frigidum, tunc vtrumque agens aget; ſiquidem agens naturale debitè applicatum paſſo neceſſariò agit: ergo idem paſſum mouebitur ſimul motu calefactionis, & infrigidationis.

Reſpondetur negando antecedens: quia ſi illa duo agentia fuerint eiuſdem actiuitatis, mutuo ſe impedient, ſi verò vnum fuerit fortius, ipſum ſolum aget, impedietque actionem alterius. Eſto autem, quod vtrumque ageret, non tamen ſecundum eandem partem; cùm mobile nequeat ratione eiuſdem partis æquè diſtare ab vtroque agente: vnde ſolùm ſequeretur, quod idem paſſum ratione diuerſarum partium moueretur motibus contrarijs: quod non eſt inconueniens, ſed admittitur à nobis.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

TRIA ſunt præcipua, quæ præſtat Ariſtot. in hoc libro. *Primò explicat compoſitionem motus, & cuiuſuis alterius continui, oſtendens non poſſe conſtare ex ſolis indiuiſibilibus. Secundò proponit modum, quo incipit, & deſinit motus. Tertiò diſſerit de terminis entis naturalis, nempe de maximo, & minimo. Complectitur autem hæc omnia decem capitibus: quæ illuſtrare curabimus per ſequentes diſputationes, prætermittentes ea, quæ minoris ponderis ſunt, & noſtro inſtituto non adeò neceſſaria, vt ſunt plura, quibus Ariſtot. errores antiquorum Philoſophorum refert, ac refutat.*

DISPVTATIO XXIII.

De compoſitione continui.

QVIA motus, vt ſupra vidimus, eſt de genere continuorum, meritò Ariſtot. ad explicandam compoſitionem motus, egit priùs de compoſitione continui: cuius ordinem obſeruare cupientes, præſentem diſputationem prædictæ difficultati dicamus.

QVAESTIO I.

Vtrum in continuo dentur indiuiſibilia terminatiua, & continuatiua.

PErfecta intelligentia compoſitionis continui plurimum pendet ex notitia horum indiuiſibilium, quocirca eis primum locum damus in hac diſputatione.

§. I.

Vera Ariſt. & D. Thom. ſententia illuſtratur.

1 DIcendum eſt, dari in continuo indiuiſibilia terminatiua, & continuatiua, quæ ſint aliquid reale poſitiuum. Hanc ſententiam defendunt Ariſt. & D. Tho. vt ſtatim videbimus, Themiſt. Simplic. Philopon. Capreolus *in 2. d. 2. q. 1.* Deza *quæſt. 2. art. 4.* Caiet. *3. p. quæſt. 4. art. 2.* & communiter Thomiſtæ, quibus in hac parte conſentit Suarez *diſp. 4. Metaph. ſect. 5.* cum alijs pluribus ex iunioribus.

Sed priuſquam veritatem huius aſſertionis oſtendamus, animaduertendum eſt, hæc indiuiſibilia in linea eſſe puncta, in ſuperficie lineas, & in corpore ſuperficies. Quod ſatis conſtat ex dictis in *Logica diſp. 13. quæſt. 2.* traditurquè communiter ab interpretibus, & poteſt inſuper breuiter ſuaderi: quia ſuperficies eſt indiuiſibilis verſus profunditatem, & conſequenter eſt apta, vt terminet corpus, quod eſt in profunditate diuiſibile. Linea autem eſt indiuiſibilis verſus latitudinem, atque ideo habet aptitudinem ad terminandam ſuperficiem: hæc quippè eſt verſus latitudinem diuiſibilis. Porrò punctum eſt indiuiſibile omninò: ob idquè valet optimè terminare lineam, quæ solùm eſt diuiſibilis verſus longitudinem. His ſuppoſitis.

Probatur primò concluſio ex Ariſt. *cap.* de Quantitate, vbi inquit: *Linea verò continuum eſt. Sumi namquè communis terminus, quo partes lineæ copulentur, punctum poteſt.* Idem tradit ibidem de ſuperficie, & corpore. Et idem ex profeſſo docet *in hoc lib. cap. 1. 2. & 3.* oſtendens, continuum non conſtare ex ſolis indiuiſibilibus. Cuius doctrinam propugnat, & illuſtrat D. Thom. *quæſt. 28. de Veritat. art. 2. ad* 10. *& in hoc lib. lect. 8. & opuſc. 36. cap. 2.* vbi hæc habet: *In linea tamen ſunt plures puncti, & realiter ab inuicem diuiſi, vt duo eius termini. Et ſimiliter in eius continuatione.*

2 Secundò probatur ratione, quæ (vt cum maiori diſtinctione, & claritate procedamus) applicatur ſpecialiter indiuiſibilibus terminatiuis: quoniam duo corpora contigua ſe tangunt contactu reali, & poſitiuo: ſed prædictus contactus nequit fieri, niſi in diuiſibilibus terminatiuis: ergo in continuo admittenda neceſſariò ſunt huiuſmodi indiuiſibilia. Probatur minor: quia illa corpora nequeunt ſe tangere in carentia extenſionis; cùm hæc ſit realiter nihil: neque ſe tangunt verſus profunditatem, & in partibus; eò quod duæ partes ſe tangentes

habent

habent eſſe ſimul, & coëxiſtere eidem loco: atque ideo penetrantur: quod eſt naturaliter impoſſibile: ergo nequit contactus connaturalis corporum fieri, niſi in aliquibus indiuiſibilibus terminatiuis, & poſitiuis ¶ Confirmatur quia contactus corporum debet fieri in vltimo, ſeu in extremitatibus eorum: ſed non eſt deſignabilis pars vltima, cùm quælibet poſſit diuidi in infinitum: ergo debent dari aliqua indiuiſibilia terminatiua, quibus mediis fiat contactus.

3 Tertiò ſuadetur eadem aſſertio quoad indiuiſibilia continuatiua: nam continuum eſt, cuius partes vniuntur termino communi: ergo vt linea ſit continua, debent dari aliqua indiuiſibilia, quibus vniantur partes illius. ¶ Confirmatur, & explicatur: quoniam ſi non darentur huiuſmodi indiuiſibilia continuatiua; nulla foret diſtinctio inter continua, & contigua: conſequens eſt abſurdum: ergo. Sequela oſtenditur: quia ſi duas partes lapidis eſſe continuas, non addit aliquod indiuiſibile, per quod nectantur; continuatio earum ſolùm conſiſtet in eo, quod ſint eiuſdem naturæ, & non diſtent inter ſe: conſtat autem; quod hoc ipſum habent duo lapides inter ſe contigui: ergo ſecluſis indiuiſibilibus continuatiuis, non diſtinguerentur continua à contiguis.

4 Vltimò probatur noſtra concluſio: quia ſi corpus perfectè ſphæricum poneretur ſuper corpus perfectè planum, tangeret illud phyſicè, & poſitiuè: ſed non tangeret in parte: ergo ſolum tangeret in aliquo puncto, ſiue indiuiſibili; & conſequenter debet admitti in quantitate vera indiuiſibilia poſitiua, & realia, quæ ab illius partibus diſtinguantur. Minor probatur, tùm ex Ariſtot. 1. *de Anima text.* 13. tùm ex Euclide Mathematicorum Principe. Tùm ratione ſatis efficaci: quoniam corpora ſe tangentia adæquantur in eo, in quo fit contactus: ergo ſi corpus perfectè ſphæricum tangit corpus planum in parte; ſequitur, quod corpus perfectè ſphæricum habeat aliquam partem planam, & conſequenter non erit perfectè ſphæricum: in quo datur manifeſta contradictio. Et eodem argumento conuincitur, dari in continuo lineam indiuiſibilem verſus latitudinem, & ſuperficiem indiuiſibilem verſus profunditatem. Si enim columna perfectè rotunda caderet ſupra perfectè planum, solùm tangeret illud in aliqua linea indiuiſibili; minimè verò in parte: alias columna non eſſet perfectè rotunda, ſed haberet aliquam planitiem, ſeu partem planam. Et ſimiliter duo corpora ſolida, & perfectè plana nequeunt ſe tangere verſus profunditatem, niſi in aliquo indiuiſibili: aliàs non poterit non ibi interuenire aliqua penetratio, ſeu coëxiſtentia partium diuerſorum corporum ad eundem locum. Neceſſarium igitur eſt, quod in continuo ſint indiuiſibilia realia, tùm terminatiua, tùm continua.

Reſpondent primò Aduerſarij huic argumento, quod corpus perfectè ſphæricum tangit corpus perfectè planum in parte incerta, & indeterminata: ac proinde tangit rem diuiſibilem indiuiſibiliter, quin ſequatur inde corpus perfectè ſphæricum habere vllam partem planam. ¶ Sed hoc facilè refellitur: quia impoſſibile eſt, quod globus tangat partem planam; & quod non habeat in ſe aliquam partem planam; eò quod corpora adæquantur in eo, in quo ſe tangunt; atqui eſt contra rationem corporis perfectè ſphærici habere vllam partem planam: ergo impoſſibile eſt, quod corpus perfectè ſphæricum tangat planum in aliqua parte, ſiue certa ſit, ſiue indeterminata. Et quidem, quod ſit poſſibile corpus perfectè ſphæricum (vt ſic tacitam euaſionem præcludamus) conſtat, tùm quia cœli ſunt perfectè ſphærici, vt tradunt communiter Aſtrologi. Tùm quia non eſt aliquod rationabile fundamentum, vt id denegetur diuinæ potentiæ: & in hac hypotheſi procedit argumentum.

Reſpondent ſecundò, prædictum contactum fieri in indiuiſibili exiſtente ibi non formaliter, ſed tantùm eminenter. ¶ Hoc tamen falſitatis conuincitur: quoniam ille contactus eſt formalis, & actualis; ergo fieri debet penès aliquod, quod ſit in corporibus actualiter, & formaliter. Et hoc maximè apparet in contactu duorum corporum planorum, ac ſolidorum: fit enim in ſuperficiebus, quæ in illis actu, & formaliter ſunt. Imò verò ſi in continuo non dantur formaliter indiuiſibilia, nequit explicari, qualiter inueniantur eminenter.

§. II.

Referuntur opiniones contrariæ.

5 PRima ſententia noſtræ aſſertioni oppoſita, negat dari in continuo aliqua indiuiſibilia terminatiua, quæ ſint aliquid poſitiuum. Hæc placet pluribus Recentioribus, & ſuadetur: quoniam quælibet quantitas ex ſe eſt finita, cùm non habeat ex ſe eſſe infinitam: ergo vt quantitas finiatur, & terminetur, non ſunt neceſſaria indiuiſibilia terminatiua. ¶ Confirmatur, & explicatur primò: nam etiam ſi per intellectum abſtrahamus puncta terminatiua à linea, adhuc iſta manebit ita finita ſicut antea: ergo ſuperfluunt huiuſmodi indiuiſibilia ad terminandam lineam. ¶ Confirmatur ſecundò, & ſimul præoccupatur tacita quædam ſolutio: quia ratio finiti dicit carentiam maioris entitatis, & perfectionis, ſicut è conuerſo infinitum dicit perfectionem, & poſitiuam entitatem: ergo vt quantitas ſit modo ſufficienti finita, non requiritur aliquis terminus poſitiuus, per quem finiatur; ſed ſufficiet carentia maioris extenſionis.

Ad hoc argumentum conſtat ex dictis pro noſtra concluſione: hæc enim indiuiſibilia terminatiua non ponuntur præciſè ad hoc, quod quantitas ſit vtcumque terminata; ſed vt ſit terminata modo ſufficienti ad contactum, & contiguitatem corporum. Ad contactum autem poſitiuum non ſufficit carentia extenſionis: tum quia hęc carentia eſt nihil: tùm etiam, quia talis carentia nequit impedire contactum partium: eę verò non valent ſe immediatè tangere abſque penetratione. Quamobrem vt duo corpora ſe contingant poſitiuè, & abſque penetratione, debent eſſe finita, & terminata per aliqua indiuiſibilia poſitiua, & non per ſolam carentiam maioris extenſionis. Vnde ad argumentum dicendum eſt, quantitatem ſe ipſa eſſe finitam negatiuè; ſecùs verò poſitiuè: & ad hoc vltimum requiruntur indiuiſibilia terminatiua, quę ſint aliquid reale poſitiuum. Per quod etiam conſtat ad primam confirmationem.

Ad ſecundam reſpondetur, quod infinitum duo dicit: primum eſt habere plures, & plures partes, aut quaſi partes, & hoc eſt aliquid poſitiuum: ſecundum eſt, habere carentiam termini poſitiui, & hoc eſt aliquid negatiuum. Vnde cùm finitum infinito è regione opponatur, debet alia duo importare: vnum eſt carere vlteriori extenſione poſt vltimum ſui, & hoc eſt quid negatiuum: aliud verò habere indiuiſibile terminatiuum, per quod finiatur; & hoc eſt aliquid poſitiuum. Quamobrem ſicut quantitas infinita deberet importare, & poſitiuam entitatem, & carentiam termini; ſic quantitas, vt ſit adæquatè finita, debet habere, & carentiam vlterioris entitatis, & terminum poſitiuum. Et ſi quantitas careret indiuiſibilibus terminatiuis, & poſitiuis, non eſſet terminata omni terminatione, quam ex ſe petit: ſicut etiam ſubſtantia completa, licèt ex ſe fundat negationem eſſendi in alio, adhuc tamen petit terminum poſitiuum, nempè ſubſiſtentiam, ratione cuius ſit poſitiuè per ſe.

6 Secun-

6 Secunda ſententia admittit indiuiſibilia terminatiua, negat verò, quod dentur continuatiua. Ita Fonſeca 5. *Metaph. cap. 16. quæſt. 6.* & alij. Probatur primò ex Ariſt. 3. *Metaph. cap. 5.* vbi docet, ſuperficiem non eſſe actu in continuo, ſed ſolum poteſtate. Quem locum exponit D. Thom. *lect. 13.* dicens: *Quod autem dictum eſt de ſuperficie, intelligendum eſt in linea, puncto, & vnitate: hæc enim in continuo non ſunt actu, niſi ſolùm quantum ad illa, quæ terminant continuum.* Et idem repetit *opuſc. 36. cap. 2.*

Reſpondetur, quod in continuo præter illa indiuiſibilia, quæ actu terminant, dantur alia plura indiuiſibilia, quæ terminant non actu, ſed poteſtate, & in potentia: & hæc ſunt illa, quæ modo non exercent munus terminandi; attamen, poſita diuiſione, reſultabunt in actu, terminabuntque actualiter, & intrinſecè quantitatem. Igitur Ariſtot. & D. Thom. non loquuntur de indiuiſibilibus continuatiuis, ſed terminatiuis in potentia: quod textum legens facilè deprehendet.

Deinde arguitur: quoniam ſi Deus ſepararet à linea omnia indiuiſibilia continuatiua, adhuc maneret continua; ſiquidem adhuc perſiſteret diuiſibilis verſus longitudinem: ergo ad continuationem quantitatis non requiruntur indiuiſibilia continuatiua. ¶ Reſpondetur, impoſſibile eſſe; quod à linea auferantur omnia indiuiſibilia; aliàs quantitas diuideretur actu in omnes ſuas partes, quod repugnat, cùm eæ ſint diuiſibiles in infinitum. Caſu tamen gratis admiſſo, minimè remaneret linea, nec aliquid eius: non quidem quia linea ex ſolis indiuiſibilibus componatur: ſed ob eſſentialem dependentiam lineæ ab illis: eſt quippè linea quantitas continuata punctis, vt omnes Philoſophi tradunt.

QVÆSTIO II.

An continuum componatur ex ſolis indiuiſibilibus.

EX dictis *quæſt. præcedenti* conſtat, quod in continuo inueniuntur indiuiſibilia: ſed examinandum reſtat, vtrum ex ſolis indiuiſibilibus conſtituatur continuum: ad quod determinandum quæſtionem præſentem excitamus.

§. I.

Sententia Ariſtotelis fulcitur auctoritate, & ratione.

7 DIcendum eſt, continuum non componi ex ſolis indiuiſibilibus. Hanc concluſionem ſtatuit, & probauit Philoſophus *in hoc lib. cap. 1. text. 2.* his verbis: *At verò neque conſequenter erit punctus ad punctum, aut ipſum nunc ad nunc ipſum, vt ex his ſit longitudo, aut tempus: conſequenter enim ſunt, intra quæ nihil eſt eiuſdem generis: inter autem puncta ſemper eſt linea, & inter ipſum nunc eſt tempus.* Ariſtotelem ſequuntur D. Thom. & communiter omnes Philoſophi, paucis exceptis infra referendis.

Probatur primò hæc concluſio ex Concilio Conſtantienſi *ſeſſion. 5.* vbi Eccleſia Catholica plurimum noſtræ ſententiæ defert, & oppoſitum dicendi modum appellat errorem in Philoſophia. Nam poſtquam meminit errorum contra fidem, quibus Ioannes Hus irretitus fuerat, volens eius in Philoſophia inſcitiam oſtendere, ac proteruum ingenium, refert quaſdam eius propoſitiones, his verbis: *Linea aliqua Mathematica continua componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis immediatis, aut ſolùm ex punctis ſimpliciter finitis: vel tempus eſt, fuit, vel erit compoſitum ex inſtantibus immediatis. Item non eſt poſſibile, quin tempus, & linea, ſi ſint, aliter componantur.* Quibus ſtatim Concilium debitam cenſuram adhibuit dicens: *Prima pars eſt error in Philoſophia; ſed vltima errat circa diuinam potentiam.* Vbi adeò apertè Concilium noſtræ ſententiæ fauet, & contrariam reijcit, vt pudeat referre euaſiones, quibus Recentes quidam, vel nouarum, vel putrium opinionum cupidi, mentem Sacri Concilij non exponunt, ſed deludunt.

8 Secundò probatur ratione, quam ſupra inſinuauit Ariſt. & poſſumus ad hanc formam reducere: quoniam linea eſt extenſa verſus longitudinem: ſed indiuiſibile additum indiuiſibili nequit cauſare extenſionem: ergo linea non componitur ex ſolis indiuiſibilibus. Maior, & conſequentia conſtant. Minor autem ſuadetur: quia ea, quæ ſecundum ſe tota ſe tangunt, non magis extenduntur, quam vnum ex illis, vt videre eſt in duobus corporibus æqualibus, & penetratis, quæ ob adæquatum ſui contactum non occupant maius ſpatium, ſed eidem loco correſpondent: conſtat autem, quod duo puncta immediata ſe tangunt adæquatè, & ſecundum ſe tota; nam cùm ſint indiuiſibilia, impoſſibile eſt, quod ſecundum aliquid ſui ſe contingant, & non ſecundum ſe tota; ergo indiuiſibile additum indiuiſibili nullam facit extenſionem. Vnde ſicut in ædificio, ſi vnus lapis adæquatè tangeret alium, & penetraretur cum illo, nullatenùs creſceret ædificium, quantumvis lapides adderentur; ſed omnes correſpondetent eidem ſpatio: ita ſi punctum immediatè adderetur puncto, nullam poſſet addere extenſionem: quia vnum non extenderetur vltra aliud, ſed illud adæquatè contingeret.

Confirmatur: nam ſi linea conſtitueretur ex ſolis indiuiſibilibus, fieret, quod linea vndecim punctorum eſſet magis extenſa, quam linea decem punctorum: conſequens (quod Aduerſarij debent admittere, atque concedunt) eſt omninò abſurdum: ergo linea non componitur ex ſolis indiuiſibilibus. Probatur minor: quia linea prior ſolùm excedit poſteriorem in vnico indiuiſibili: ergo repugnat, quod ſit magis extenſa, aut diuiſibilis ratione illius. Nam, vt ex terminis liquet, implicat, aliquid eſſe magis extenſum per id, quod caret omni extenſione, ſicut & quod aliquid fiat album, niſi per albedinem.

9 Reſpondebis rationi, quod licèt in rebus diuiſibilibus, hoc ipſo, quod adæquatè ſe tangant, nequeat vna extendi vltra aliam: attamen indiuiſibilia, licèt ſe adæquatè contingant, queunt cauſare extenſionem, & vnuum eſſe extra aliud. Et poteſt aſſignari ratio differentiæ: quoniam penetratio ſolùm habet locum in rebus diuiſibilibus? vnde hoc ipſo, quod inter eas detur adæquatus contactus, opus eſt, quod etiam detur actualis penetratio, & conſequenter vna non ſit extra aliam: neque extendatur vltra illam. Cæterùm indiuiſibilia nequeunt penetrari: quocirca valent ſe contingere abſque intromiſſione vnius in aliud; ſed erit vnum poſt aliud, ac proinde duo facient maiorem extenſionem, quam vnum. Quod poteſt declarari: quia punctum, quod in noſtra ſententia terminat aliquam partem, tangit ut adæquatè ab illa: & nihilominus non intromittitur, nec penetratur cum ea, ſed ſequitur poſt ipſam. Sic igitur fieri poteſt, quod duo indiuiſibilia ſe adæquatè tangant; & nihilominùs non penetrentur, ſed faciant extenſionem. ¶ Reſpondebis etiam confirmationi, quod ſicut vnitas prædicamentalis eſt in ſe indiuiſibilis, & hoc non obſtante, vnitas addita vnitati facit numerum, qui eſt quantitas extenſa: ita punctum, quod ſe ſolo eſt quid indiuiſibile, ſi coniungatur alijs punctis, poterit efficere quan-

Digitized by Google

quantitatem extenſam, & magis extenſam. Quod valet adhuc explicari alio exemplo: etenim inſtans temporis eſt in ſe ipſo indiuiſibile: & nihilominùs additum tempori reddit ipſum longius; quandoquidem res durans in vna hora, & in inſtanti terminatiuo illius plus durat, quam alia, quæ duraret per eandem horam, non verò in inſtanti terminatiuo eius; in illo quippè inſtanti terminatiuo verificaretur de priori, quod *eſt*, & de poſteriori, quod *non eſt*: ergo optimè concipi poteſt, quod punctum additum lineæ reddat ipſam magis extenſam, etſi punctum in ſe indiuiſibile, atque inextenſum ſit.

10 Sed hęc fruſtra adhibentur, & ſola explicatione noſtrę rationis corruunt, non enim facimus vim in eo, quod indiuiſibilia immediata penetrentur, vel non: ſed libenter concedimus, penetrationem propriè dictam, ſolùm inueniri in corporibus. Cæterùm aſſerimus, quod ſicut duo corpora ęqualia, & penetrata non magis extenduntur, quam vnum: ita duo puncta immediatè ſe contingentia, non efficient maiorem extenſionem, quam vnicum: quia ſicut ex corporibus penetratis vnum non progreditur vltra aliud; ſic ex indiuiſibilibus immediatis impoſſibile eſt, quod vnum ſit extra aliud. Et ratio eſt perſpicua: quia repugnat, vnum indiuiſibile tangere aliud, & non tangere illud totum; cùm in indiuiſibili non dentur partes, quarum vna tangatur, & altera non tangatur; atqui cum prædicto adęquato contactu non compatitur, quod vnum progrediatur vltra aliud, vel efficiat vllam extenſionem; ergo indiuiſibile additum indiuiſibili nequit facere extenſionem. Minor conſtat; quia ſi vnum indiuiſibile eò extenditur, quò alterum non progreditur; ergo non ſe tangunt adęquatè; ſi autem se tangunt adęquatè: ergo vbi eſt vnum eſt aliud, & è conuerſo.

Id autem, quod dicitur de puncto terminatiuo partis, nullius roboris eſt; quia licèt illud punctum immediatè afficiat partem; attamen philoſophicè loquendo, non tangit illam; ea quippè, vt aſſerit Ariſt. *in hoc lib. text.* 1. ſe tangunt, quorum vltima ſunt ſimul, & conſequenter habent aliquid pręter vltimum: quod punctis, ac indiuiſibilibus adaptari nequit, vt ex ſe liquet. Quamobrem prędictum punctum non eſt intra lineam, nec ſequitur poſt eam, nec vllam illi extenſionem addit; nam eſſe intra, vel extra, vel extendere quantitatiuè, & in ordine ad locum, ſolùm competit rei extenſę, ſecùs verò indiuiſibili, quale eſt illud punctum. Vndè ſolùm terminat, & afficit quantitatem entitatiuè.

Exempla verò aduerſus confirmationem adducta, illam minimè labefactant: quoniam etſi indiuiſibile additum indiuiſibili non valeat efficere maius, aut extenſius, poteſt tamen facere plus, & cauſare multitudinem. Vndè cùm quantitas diſcreta, ſeu numerus ſit quædam multitudo; mirùm non eſt, quod vnitates ex ſe indiuiſibiles queant aggregatæ numerum conſtituere. Quibus etiam addendum eſt, partes quantitatis continuæ eſſe eiuſdem rationis cum toto; pars quippè lineæ linea quædam eſt: quocircà ſicut ipſa quantitas continua conſtat partibus, & poteſt diuidi in eas; ita quælibet eius pars debet id ipſum habere, quod indiuiſibilibus non valet conuenire. At partes quantitatis diſcretæ non ſunt eiuſdem rationis cũ toto, non enim pars quinarij v.g. eſt quinarius; vndè fieri poteſt, quod quantitas diſcreta componatur ex ſolis indiuiſibilibus. ¶ Ad aliud exemplum dicendum eſt, quod inſtans additum tempori non reddit tempus longius: quia tempus eſt quid extenſum, & implicat fieri aliquid magis extenſum per id, quod caret omni extenſione. Poſito tamen illo inſtanti, datur maior duratio; hæc quippè abſtrahit ab extenſione: nam ſicut poteſt dari duratio ſucceſſiua, ita & duratio inſtantanea: atque ideò plus durationis poteſt prouenire ab eo, quod eſt indiuiſibile. Ex quo tamen ſolùm concluditur, quod linea ratione puncti terminatiui habeat plus de entitate, ſecùs verò de longitudine, aut extenſione.

§. II.

Aliud fundamentum veræ ſententiæ.

11 Secundò ſuadetur noſtra ſententia ab inconuenienti, quod ex contraria deducitur: quoniam ſi continuum conſtat ex ſolis indiuiſibilibus, ſequitur, quod mobile velociſſimum nequeat in æquali tempore percurrere maius ſpatium, quàm mobile tardiſſimum: conſequens eſt abſurdum: ergo, & antecedens. Sequela oſtenditur: nam dato ſpatio compoſito ex decem v.g. indiuiſibilibus, tunc mobile tardum non poſſet non in quolibet inſtanti temporis acquirere vnum indiuiſibile ſpatij: ſi enim in illo tranſitu tempus conſumeret, priùs acquireret aliquid illius indiuiſibilis, quam totum ipſum: quod rei indiuiſibili manifeſtè repugnat. Mobile autem velox in vnico inſtanti temporis non poſſet acquirere, niſi vnicum indiuiſibile ſpatij: quia minimum ſpatij, quale eſt vnicum indiuiſibile, petit ad ſui acquiſitionem durationem minimam, quale eſt vnicum inſtans temporis. Fieret igitur, quod in æquali duratione non poſſet mobile velociſſimum pertranſire maius ſpatium, quam mobile tardiſſimum.

Reſpondent primò Aduerſarij, mobile velociſſimum poſſe in vnico inſtanti temporis percurrere plura indiuiſibilia ſpatij; & conſequenter poſſe in æquali duratione acquirere maius ſpatium, quam mobile tardum: hoc enim in vno inſtanti temporis vnumdumtaxat ſpatij indiuiſibile percurrit.

Sed contra: quia ex hac doctrina ſequeretur primò, poſſe naturaliter idem corpus eſſe ſimul in duobus locis adæquatis: nam ſi mobile ſolùm habet quinque puncta extenſionis, & ſit ita velox, vt in vnico inſtanti acquirat decem indiuiſibilia ſpatij; erit in eodem inſtanti in quinque prioribus, & etiam in quinque poſterioribus: conſtat autem, quod mobile quinque punctorum correſpondet, vt locus adęquatus ſpatium quinque indiuiſibilium: ergo foret naturaliter in duobus locis ſibi adæquatis. Quod tamen nemo concedet. ¶ Fieret ſecundò, quod ſi mobile duplo velocius, quam alterum percurrit in vnico inſtanti nouem indiuiſibilia ſpatij; tunc aliud in eodem inſtanti percurret quatuor, & dimidium: ſed hoc eſt ridiculum, cùm indiuiſibile careat medietate: ergo prædicta ſolutio nequit ſuſtineri.

12 Reſpondent ſecundò, mobile acquiſito vno indiuiſibili ſpatij, ſtatim quieſcere per aliquam morulam: quamobrem etſi in vno inſtanti non acquiratur, niſi vnicum indiuiſibile, poteſt nihilominùs motus vnius mobilis eſſe velocior, quam motus alterius, & percurrere maius ſpatium: quia non eſt neceſſarium illas morulas eſſe æquales; ſed fieri poteſt, quod vnum mobile magis detineatur, quam aliud.

Sed contra: quia, mota rota figuli, omnes eius partes mouentur cum æqualibus morulis, ſi eæ dantur; quippè cùm partes continuæ ſint, repugnat quod vna moueatur, & alia quieſcat: & nihilominùs partes circumferentiæ velocius mouentur, quam partes axi proximæ; ſiquidem percurrunt maius ſpatium: ergo tarditas, & velocitas motuum nequit ad prædictas morulas reuocari. ¶ Ad hæc: nullus motus eſt ita velox, vt non poſſit dari alius velocior: ergo ſi inæqualitas in velocitate oritur ex morulis, quas iſta ſolutio adſtruit, nullus erit motus, qui illis morulis non interrumpatur, & aliquantulum quieſcat; & conſequenter nullus erit motus rigoroſè

ſè

Digitized by Google

sè continuus: conſequens eſt abſurdum, & contra communem Philoſophorum ſententiam: ergo doctrina, ex qua deducitur falſa eſt.

§. III.

Diluuntur rationes in contrarium.

13 CONtinuum conſtare ex ſolis indiuiſibilibus docuerunt aliqui antiqui Philoſophi, & Ioannes Hus hæreticus, vt vidimus *num* 7. quos ſequuntur nonnulli Moderni ex Societate. Qui dicendi modus poteſt probari primò: quia mobile motu continuo tangit quidquid eſt in ſpatio, per quod mouetur; non enim tranſit ab extremo ad extremum, niſi per medium: ſed ſi globus perfectè ſphæricus moueatur ſuper corpus perfectè planum, ſolùm tanget planum in puncto: ergo totum planum conſtat ex ſolis punctis.

Reſpondetur, quod ſpatium, ſiue medium, per quod ille globus mouetur, non eſt planum, quod tangit ſolùm in puncto, & cui minimè adæquatur; ſed eſt aër circunſtans, à quo vndique circunſcribitur, & cum quo habet debitam commenſurationem puncti ad punctum, & partis ad partem. Vnde ex eo, quod ille motus ſit continuus, minimè infertur, vel quod globus tangat partem plani, vel quod planum conſtet ex ſolis indiuiſibilibus. Sed fieri optimè poteſt, quod ille motus per aërem ſit continuus, cùm inter ſuperficiem conuexam globi, & concauam aëris datur perfecta adæquatio; & quod nihilominùs mobile tangat diſcretè planum, cui innititur, contingendo puncta, & non partes: quia videlicet globus nullam habet partem planam, in qua contingat planum, & ei coæquetur. Et ſi globus, manu ſuperpoſita, traheretur per totum planum, idem adhuc dicendum foret; quamuis ſenſus non percipiat interruptionem contactuum: ſufficit enim ad id ſuadendum ratio philoſophica, quam ſuprà expendimus *num.* 4. cui potius, quam ſenſibus fides habenda eſt.

14 Arguitur ſecundò: nam vel inter primum punctum initiatiuum lineæ, & omnia alia puncta mediat aliquid, vel non? ſi nihil mediat: ergo iam punctum eſt immediatum puncto; & conſequenter tota linea coaleſcit ex punctis. Si mediat linea, ſeu pars lineæ: ergo etiam mediant puncta, ſine quibus dari nequit linea: hoc autem eſt abſurdum; quandoquidem inter primum punctum, & cætera omnia puncta collectiuè accepta, repugnat mediare aliquod punctum, vt conſtat ex ipſis terminis.

Reſpondetur, quod inter primum punctum, & quodlibet aliud diuiſiuè acceptum mediat pars lineæ: at inter primum punctum, & omnia lineæ puncta collectiuè accepta nihil mediat. Quod non contingit ex eo, quod inter punctum, & punctum non mediet pars; ſed quia impoſſibile eſt accipi collectiuè omnia puncta, niſi etiam accipiantur omnes partes. Si enim manet aliqua pars, nequeunt non manere in ea infinita puncta; cùm quælibet pars quantitatis conſtet ex infinitis partibus vnitis per infinita indiuiſibilia. Qua etiam de cauſa implicat, quod Deus ſeparet omnia indiuiſibilia à quantitate, nimirùm quia maneret quantitas, & non maneret.

15 Tertiò arguitur: quia de ratione locati circumſcriptiuè eſt, quod totum correſpondeat toti loco, & pars parti, & indiuiſibile indiuiſibili: ſed dato corpore, cuius vna medietas ſit in aëre; & alia in aqua; tunc ex parte loci dantur duæ lineæ immediatę, nempè aëris, & aquæ: ergo ex parte corporis locati debent dari alię duę lineę immediatę; & conſequenter inter lineam, & lineam non erit pars, ſed totum continuum conſtabit ex ſolis indiuiſibilibus.

Reſpondetur, quod vtrique lineę aëris, & aquę non correſpondet ex parte locati, niſi vna linea: cùm enim vtraque linea ſit ſecundum latitudinem indiuiſibilis, ita ſe habent in ordine ad locatum, ac ſi eſſent vna, quare ſufficit ex parte corporis locati vna linea, vt detur debita correſpondentia inter locatum, & locum. Aliis argumentis, quæ videntur huic opinioni ſuffragari, occurremus *quæſt. ſequenti.*

QVÆSTIO III.

An partes continui ſint finitæ, vel infinitæ.

VT difficultatem hanc, quæ obſcuritati ſatis obnoxia eſt, majori cum luce explicemus, oportet aliqua prælibare, ex quibus illius intelligentiam, ac perfectam reſolutionem omninò pendere arbitramur.

§. I.

Obſeruationes nonnullæ.

16 PRimò ſupponendum eſt, partes quantitatis alias eſſe *aliquotas*, & alias *proportionales*. Pars *aliquota* dicitur, quæ eſt certę, & determinatę magnitudinis cum aliis, quę in continuo reperiuntur: vndè ſi aliquoties repetatur exhauriet, ac menſurabit continuum: quocirca *aliquota* appellata eſt. Et quia nec ipſa, nec aliquid eius continetur in aliis partibus per ipſam menſuratis, ſed omninò eſt extra illas; ideò ſolet etiam *partis non communicantis* titulo inſigniri: & hoc pacto ſe habet primus v.g. palmus ad reliquos vlnę. Pars autem *proportionalis* appellatur, quę in aliquota includitur, ita quod ſit medietas eius, & rurſus medietas primę medietatis, & ſic in infinitum. Qua de cauſa vocatur *proportionalis*, quia cum proportione quadam componit totum: in maiori enim includitur minor, & rurſus in iſta alię minores continentur, & ſic de aliis. Ex quo vlterius fit, quod pars proportionalis nullam ſibi determinet certam quantitatem: ſed poſsit eſſe minor, ac minor ſine termino: omnes tamen habent communicare, & contineri ſub illa portione quantitatis, quam diuidunt: quomodo comparantur duę medietates palmi ad palmum, & iterum duę medietates ad primam palmi medietatem, & ſic in infinitum: & ideò appellantur partes *communicantes.*

17 Secundò ſupponendum eſt, partes quantitatis, tàm aliquotas, quàm proportionales dari actu, & realiter in continuo, & eſſe inter ſe diſtinctas. Quod ſuadetur, tùm ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. vbi inquit: *Totus enim eſt integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quauis ipſius parte; totus item ſub vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit.* Hęc autem verba non ita rectè explicari poſſent, niſi quantitas haberet actu, & realiter partes, ac realiter diſtinctas. Tum etiam, quia id expreſsè docent Ariſtot. 5. *Metaph. cap.* 12. & D. Thom. ibidem *lect.* 15. quibus conſentiunt communiter Interpretes. Tùm præterea, quia duæ medietates vlnæ (& idem eſt de aliis partibus) diſtinguuntur realiter; ſiquidem ſunt per ſe, & ratione ſui ab inuicem ſeparabiles: quod eſt euidens ſignum diſtinctionis actualis: ſed non diſtinguuntur tanquam totum, & totum: ergo tanquam pars, & pars. Tùm denique quia de ratione quantitatis eſt habere partes extra partes, ſiue actu diſtinctas: ſed hoc non habet poſt diuiſionem; tunc quippè iam non

ſunt

ſunt partes, ſed quædam tota: ergo quantitas habet actu partes realiter diſtinctas antecedenter etiam ad diuiſionem.

18 Neque iis contrarius eſt D. Thom. *in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. ad 1.* vbi ait: *Vnitas rei conſequitur eſſe ipſius: partes autem alicuius homogenei continui ante diuiſionem non habent eſſe in actu, ſed potentia tantùm: & ideò nullam habent vnitatem propriam in actu. Vnde in actu non eſt accipere ipſarum numerum, ſed potentia tantùm.* Et hinc conſequenter docet, quod Chriſtus non ſit infinities ſub quantitate hoſtiæ, & eius partibus: quia videlicet non eſt accipere partium illarum numerum in actu, ſed potentia tantùm. Quod etiam ſatis apertè ſignificauit 1. *Phyſic. lect. 6.* dicens: *Hoc autem intelligendum eſt de partibus exiſtentibus actu in toto, ſicut caro, neruus, & os exiſtunt in animali. Et per hoc excluduntur partes totius continui, quæ ſunt potentia in ipſo.* Eodem modo loquitur 7. *Metaphyſic. lectione* 13. Ex quibus deduci videtur, quod iuxta mentem D. Thom. non dantur in continuo partes actu, & realiter diſtinctæ.

Non inquam Angelic. Doctor contradicit obſeruationi proximè factæ: quoniam aliud eſt partes continui eſſe actu, & realiter partes, aliud verò partes continui eſſe partes actu infinitas, vel conſtituentes numerum. Similiter aliud eſt, quod partes continui habeant eſſe actu partes; aliud verò: quod habeant exiſtere ſimpliciter. Nam ad primum ſufficit realis diſtinctio inter illas, quæ ſatis colligitur ex earum mutua ſeparabilitate; ſiue habeant entitatem certam, ac determinatam, ſiue non: ad ſecundum autem requiritur, vel actualis illarum ſeparatio, vel ſaltem, quod dum actu ſunt in continuo, habeant modum eſſendi certum, ſignatum, ac determinatum: quod ſolùm conuenit partibus aliquotis. Ad quod attendens D. Thom. meritò aſſeruit in primo loco, partes continui) quod præcipuè de proportionalibus intelligendum eſt) non habere in actu vnitatem, nec conſtituere numerum, ſed potentia tantùm: intulitquè conſequenter corpus Chriſti, non eſſe infinities ſub hoſtia: quia licèt iſtius partes ſint actu, & realiter partes, attamen non conſtituunt actu numerum finitum, vel infinitum. Et quoniam caro, neruus, & os ſunt certæ, ac determinatæ magnitudinis; secùs verò partes proportionales: idcircò in ſecundo teſtimonio aſſeruit, priores partes exiſtere actu in animali; poſteriores autem exiſtere in potentia in continuo. Quoniam licèt partes, tàm aliquotæ, quàm proportionales diſtinguantur actu realiter inter ſe, & exiſtant actu per exiſtentiam totius continui; nihilominùs aliquotæ exiſtunt ſignatè, ac determinatè; & ideo dicuntur eſſe in actu: proportionales verò exiſtunt modo indeterminato, & confuſo; quamobrem dicuntur eſſe in potentia, non quidem abſolutè, ſed comparatiuè ad aliquotas.

Sed dices: diſtinctio conſequitur vnitatem: ſed pars, quandiu eſt in continuo, nullam habet vnitatem: ergo non diſtinguitur actu ab alia parte: Probatur minor: nam in primis, non habet vnitatem prædicamentalem, hæc quippe ſolum conuenit quantitati totali: nec habet vnitatem tranſcendentalem; cum iſta ſequatur eſſe rei, quod in qualibet re, & partibus eius eſt vnicum, & ſimplex. ¶ Reſpondetur, quod licèt partes quantitatis non habeant propriè, & rigoroſè vnitatem in actu, habent nihilominùs ſuam qualemcumque, ac imperfectam vnitatem partialem. Nam ſicut quantitas ante diuiſionem eſt actu, & ſimpliciter vna: ita petit eſſentialiter conſtitui in ſua entitate per habere partes extra partes: ad quod neceſſum eſt, vt quælibet pars ſit partialiter vna, tùm prædicamentaliter, tum tranſcendenter. Quod etſi non ſufficiat, vt partes habeant eſſe actu ſimpliciter, & conſtituant numerum; ſufficit tamen ad hoc quod ſint actu realiter diſtinctæ. Videantur, quę ſupra diximus *diſputatione 18. numero 5.*

19 Tertiò, & vltimò ſupponendum eſt, partes aliquotas cuiuſcumque continui eſſe numero finitas. Et ratio eſt perſpicua: quoniam pars aliquota habet certam, & ſignatam magnitudinem, & non communicat cum aliis partibus: ergo partes aliquotæ infinitæ in multudine nequeunt non conſtituere corpus magnitudinis ſimpliciter infinitæ: hoc autem eſt impoſſibile, vt conſtat ex dictis *diſput.* 18. *à num.* 21. ergo partes aliquotæ important in quolibet continuo multitudinem finitam. Quamobrem tota difficultas præſens ad partes proportionales reuocanda eſt.

§. II.

Reſolutio quæſtionis.

20 DIcendum eſt, tot dari partes proportionales in continuo, vt in eis non ſit aſsignare primam, & vltimam, nec poſsint dinumerari; ſed ſi haberent modum eſsendi certum, & determinatum, eſsent actu infinitæ; de facto tamen ſolùm ſunt infinitæ in potentia, & ſecundum quid. Addimus hanc poſtremam aſsertionis partem propter ea, quę nuper diximus *num.* 18. Prior autem, quæ directè reſpondet quæſito, eſt Ariſtot. *in cap. de Quantitate, & 5. Metaph. cap.* 13. & D. Thom. *ibidem, & in hoc lib. text.* 37. Quos ſequuntur communiter Thomiſtæ.

Fundamentum eſt: quoniam partes proportionales non ſunt numero, ſiue multitudine finitę: ergo tanta eſt multitudo earum, vt nequeat in eis prima, vel vltima pars deſignari; & conſequenter, niſi obſtaret modus eſſendi harum partium, eſsent actu, & ſimpliciter infinitæ, quantum eſt ex parte multitudinis. Conſequentia liquet. Antecedens autem ſuadetur: quia ſi partes continui ſunt numero finitę, demus, quod ſint v. g. decem. Tunc inquirimus: an quęlibet illarum ſit diuiſibilis, vel non? Si hoc poſteriùs eligatur: ergo quęlibet pars eſt indiuiſibilis, & conſequenter illud continuum conſtabit ex ſolis decem indiuiſibilibus: quod improbatum manet ex dictis *quæſt. præcedenti*. Si dicatur primum: ergo iam partes illius continui non erant tantum decem, ſed viginti: de quibus fiet idem argumentum, & ſic de aliis vſque in infinitum. Vnde, vel aſserendum eſt, continuum componi ex ſolis indiuiſibilibus: quod eſt abſurdum, vel concedendum eſt conſtare ex partibus, quę nullo numero clauduntur, quod intendimus.

§. III.

Solutio plurium argumentorum.

21 SEd quamvis aſsertio à nobis ſtatuta ſit adeo certa, & communis; plures tamen ſunt difficultates, quę illius veritatem obnubilare videntur, & quibus oportet occurrere, vt eam incolumem vindicemus. Igitur contra dictam concluſionem arguitur primò: quoniam ſi in quolibet continuo darentur partes proportionales infinitę, ſequeretur, quod granum tritici tot haberet partes, ac cœlum Empyreum: conſequens eſt abſurdum: ergo. Sequela oſtenditur: quia non ſunt imaginabiles plures partes, quam infinitę infinities; ſed ſi quodlibet continuum haberet partes infinitas, iam granum tritici haberet infinitas partes, & in qualibet earum haberet alias partes infinitas, ac proinde gauderet partibus

tibus

Digitized by Google

tibus infinities infinitis: ergo tot partes haberet granum tritici, quot habet cœlum Empyreum.

Reſpondent Conimbric. huic argumento, concedendo ſequelam, & negando minorem: exiſtimant enim non dari plures partes proportionales in continuo maiori, quam in minori. Quod ſibi perſuadent ex eo, quod ſi darentur duo circuli, quorum vnus eſſet maior, & alium intra ſe contineret, tunc omnes lineæ ductæ à centro vſque ad circumferentiam circuli maioris tranſirent per circulum minorem: ſed quælibet linea in eo tranſitu occupat vnum punctum: ergo tot puncta habet circulus minor; quot habet circulus maior, & conſequenter habebunt æqualem multitudinem partium proportionalium.

Hæc tamen doctrina manifeſtè falſa eſt: quoniam cœlum Empyreum ratione vnius partis æqualis longitudinis cum grano tritici habet tot partes, quot habet granum tritici: ſed cœlum Empyreum habet inſuper plures alias partes, vt ex ſe liquet: ergo plures partes habet cœlum Empyreum, quam granum tritici; & oppoſitum aſſerere eſt rationi euidenti contradicere. Id autem, quod in ſui fauorem aſſerunt Conimbric. nullius roboris eſt; plures enim partes habet circulus maior, quam minor: quod apertè deprehendet, qui lineas vtriuſque circuli extenderit in longitudinem ad modum lineæ rectæ. Tunc enim magis protendetur linea circuli maioris, quam linea circuli minoris: ergo in eo, in quo adæquantur, habent æquales partes; ſed inſuper linea circuli maioris in eo, in quo excedit lineam minoris, habet etiam alias partes: ergo plures partes habet circulus major quam minor. Et quamvis à quouis puncto circuli minoris poſſit duci linea ad aliquod punctum circuli maioris; attamen non è quolibet puncto circuli maioris poteſt duci linea ad punctum minoris: quia plura puncta habet circulus maior, quam minor, vt conſtat ex dictis. Vnde ad argumentum neganda eſt ſequela, ad cuius probationem dicimus, poſſibiles eſſe plures partes, quam infinities infinitas: multitudo quippè partium infinities infinitarum, ſi bis, aut pluries multiplicetur, eſt maior, quam ipſa multitudo infinita non multiplicata, vt ſupra diximus *diſp.* 18. *num.* 19.

22 Secundo arguitur: nam ſi infinitum conſtaret infinitis partibus, haberet extenſionem, ſeu magnitudinem infinitam: conſequens eſt falſum; ergo &c. Probatur ſequela; quia quælibet pars, ſicut habet ſuam entitatem, ita habet ſuam magnitudinem; ergo ſi in continuo dantur infinitę partes, etiam inuenientur infinitę magnitudines; at infinitę magnitudines inter ſe vnitæ nequeunt non conſtituere vnam magnitudinem infinitam: ergo ſi in continuo dantur infinitæ partes, ſequitur continuum habere infinitam magnitudinem.

Reſpondetur negando ſequelam; quoniam magnitudo continui non attenditur penes partes proportionales, ſed penes partes aliquotas; vnde poſſunt partes proportionales in infinitum multiplicari, quin efficiant magnitudinem infinitam; imò verò queunt ſub quantitate ſatis parua contineri. Et ratio eſt; quia non omnes partes proportionales ſunt ęquales vni parti certę, aut incertę magnitudinis; ſed ſunt minores, & minores ſine termino; partes enim totius quantitatis comparantur ad totam quantitatem, vt medietates eius, ſub qua continentur, & cui nullam addunt extenſionem; & ſic in infinitum. Vndè ita in infinitum multiplicantur, vt tamen nullum cauſent augmentum quantitatis; ſed potius quantitatem, ſiue magnam, ſiue paruam interſecent, partiantur, ac diminuant; quocircà ex illarum infinita multiplicatione non infertur magnitudo infinita in quantitate. Non enim ſunt infinitę magnitudines ęquales, & ſe excludentes, ſed infinitę magnitudines, minores, ac minores, & ſe verſus minimum includentes: atque ideo non augent quantitatem: ſed illam diuidunt, & ſub illa continentur. Quamobrem ſicut duę quantitates penetratę, non magis extenduntur quam vna, quia vna non eſt extra aliam; ſic datis duabus medietatibus vnius quantitatis, non magis extenduntur, quam ipſa quantitas: quia licèt vna medietas ſit extra aliam medietatem, vtraq; tamen eſt intra quantitatē, quam diuidunt.

Quæ omnia valent explicari, & confirmari ſequenti exemplo: nam dato vaſe capiente aliquam menſuram aquæ, ſi hanc in vas infundas, & deinde ex illo extractam iterum per medietates medietatum infundas; tunc licèt prius infundas vnam medietatem totius aquæ; & rurſus ex medietate infundas aliam medietatem; & iterum ex medietate manente infundas aliam medietatem; & iterum ex medietate, quæ remanſit, aliam medietatem infundas, & ſic in infinitum: nihilominùs in fine temporis non plus aquæ inuenietur infuſa, quam à principio. Manifeſtum ergo ſignum eſt, quod multitudo infinita partium proportionalium eſt inſufficiens ad efficiendum magnitudinem infinitam.

23 Tertiò arguitur, & ſimul impugnatur præcedens reſponſio: quoniam vbi dantur infinitæ partes non communicantes, ſed ſe excludentes, neceſſarium eſt, quod efficiant extenſionem infinitam: atqui ſi in continuo darentur infinitæ partes omnes ſe mutuo excluderent: ergo cauſarent magnitudinem infinitam. Suadetur minor: quia inter quamlibet, & quamlibet partem mediat punctum, ratione cuius vna eſt extra aliam: ergo ſi in continuo dantur infinitę partes omnes ſunt non communicantes, ſed ſe excludentes. ¶ Confirmatur primò; quia tot ſunt in continuo medietates æquales, & quarum vna ſit extra aliam, quot fieri poſſunt diuiſiones; ſed admittimus, quod continuum poſſit diuidi infinitis diuiſionibus: ergo habet infinitas medietates æquales, & ſe excludentes. ¶ Confirmatur ſecundò; nam partes, quæ diuiſæ facerent multitudinem infinitam in actu, nequeunt non, ſi ſunt vnitæ, facere magnitudinem actu infinitam; ſed ſi partes continui eſſent infinitæ modo à nobis explicato, & actu diuiderentur, efficerent multitudinem infinitam in actu; ergo vnitæ efficiunt magnitudinem infinitam, quod eſt contra euidentem experientiam: ergo partes continui non ſunt infinitæ.

Reſpondetur ad argumentum negando minorem; quia licet duæ medietates inter ſe comparatæ ſolùm communicent in puncto illas nectente, & vna ſit extra aliam; attamen vna, & altera includitur in ea parte, cuius medietates ſunt, & habent in illa communicare; & conſequenter ſunt partes *communicantes* ſimpliciter loquendo. Medietas enim digiti v. g. vtramque ſui medietatem includit; licèt medietas medietatis non includat illam medietatem, cum qua componit medietatem digiti, & ſic de aliis. Quamobrem non efficiunt magnitudinem infinitam; ad hoc quippè neceſſariæ ſunt infinitæ partes ſimpliciter ſe excludentes, & nullo modo communicantes: quod ſolum competit partibus aliquotis. ¶ Per quod patet ad primam confirmationem; nam licèt continuum poſſit in infinitum diuidi in partes minores, & minores, quæ communicant, & clauduntur ſub maioribus; nequit tamen partiri in partes infinitas, & æquales vni certæ: & hoc poſteriùs requirebatur, vt partes infinitæ efficerent magnitudinem infinitam. ¶ Ad ſecundam neganda eſt maior; quia ad multitudinem ſolùm requiruntur plura, ſiue vnum ſit intra aliud, ſiue non: ad magnitudinem verò deſideratur, quod vna pars ſit extra aliam, & cum illa non communicet. Vndè quia partes continui ſunt diſtinctæ, & in infinitum diuiſibiles, efficerent diuiſæ multitudinem infinitam. Cæterùm, quia eædem partes adæquatè non ſe excludunt,

ſed minores clauduntur ſub maioribus, nullamquè ſupra illas extenſionem addunt; idcircò non efficiunt infinitam magnitudinem.

24 Quartò arguitur: quia ſi continuum componitur ex infinitis partibus, ſequitur quod non poſſit ſpatium aliquod diuiſibile v. g. vnius vlnę pertranſiri motu continuo: conſequens eſt manifeſtè falſum: ergo & antecedens. Sequela oſtenditur: nam datis infinitis partibus in ſpatio, ante quamlibet partem erit alia, & ante iſtam alia, & ſic in infinitum: & ſimiliter, acquiſita quauis parte, reſtaret alia, & alia acquirenda ſine termino; cum in partibus infinitis non detur prima, vel vltima pars, vt ex ſe liquet: ergo mobile nunquam illas finiet, ſeu pertranſiet motu continuo, & ſucceſsiuo, nempè acquirendò partem poſt partem. ¶ Confirmatur; quia ſi in tempore finito poſſunt percurri infinitę partes ſpatij, poſſent pariter fieri in eodem tempore infinitę diuiſiones, vel poſſent produci infiniti Angeli ſucceſſiuè, hoc autem eſt abſurdum: ergo, vel dicendum eſt, non dari in ſpatio continuo infinitas partes, vel eas non poſſe finito tempore pertranſiri.

Reſpondetur ad argumentum negando ſequelam: nam ſicut ex parte ſpatij dantur infinitæ partes proportionales, ita etiam dantur ex parte motus; cùm ille ſit de genere continuorum; quamobrem poteſt ſpatium finitum per motum finitum, & exercitum tempore finitò adęquatè percurri. Et ratio eſt: quia non fit tranſitus per partes proportionales dinumerando vnam poſt aliam; quo pacto concedimus eſse impertranſibiles: ſed in vna parte alię infinitę includuntur, quę percurruntur vnico tranſitu, ſiue parte motus, in qua etiam alię infinitę partes proportionales motus includuntur. Vndè ſicut motus durat finito tempore, etſi conſtet infinitis partibus proportionalibus; ita valet percurrere ſpatium, licèt in eo infinitæ partes proportionales includantur.

Sed dices, ſolutionem petere principium; quandoquidem eadem difficultas militat in motu, ac in ſpatio. Nam ſi motus habet infinitas partes: ergo non eſt in eo prima pars, & vltima; & conſequenter non valebit incipere, aut deſinere, quippè cum deberet incipere per primam partem, & deſinere per vltimam. ¶ Reſpondetur, quod motus (& idem eſt de alijs ſucceſſiuis) non incipit intrinſecè, ſeu per *primum eſſe*, ita vt ſit verum dicere, *nunc eſt motus*, ſed incipit extrinſecè, & per vltimum *non eſſe*, quatenus verificatur, *nunc non eſt motus*, *& immediatè poſt erit*: quod magis declarabimus *diſput. ſequenti*. Porrò ad hunc modum incipiendi, non requiritur, quod detur in motu aliqua prima pars determinata, ſed ſufficit, quod poſt hoc inſtans ſequatur re ipſa aliquid motus, in quo non ſit deſignabilis prima medietas, ſed qualibet deſignata, valeat deſignari alia, & alia ſine termino: omnes tamen includantur ſub ea parte, quæ poſt illud inſtans incipit. Et idem proportionabiliter de deſitione motus dicendum eſt.

Ad confirmationem negatur major: & ratio diſparitatis eſt, quod partes motus, temporis, & ſpatij ſunt partes proportionales, quæ proinde clauduntur ſub vna parte certa, & aliquota, & conſequenter valent percurri, aut finiri. At illæ actiones, vel diuiſiones ſunt actiones totales, & non communicant ſub aliqua vna actione; quocircà nequeunt exerceri in tempore finito.

25 Vltimò aduerſus compoſitionem continui ex partibus, & illarum infinitatem poteſt vrgeri argumentum, quo *ſupra num.* 11. impugnauimus conſtitutionem ex ſolis indiuiſibilibus, valetquè ad hanc formam reduci: quoniam impoſſibile eſt, quod mobile velox percurrat in vna parte temporis, niſi vnicam partem ſpatij, & etiam repugnat, quod mobile tardum in vnica parte temporis non acquirat aliquam ſpatij partem: ergo in eodem tempore, vel in eiſdem temporis partibus, tot partes ſpatij percurrit vnum mobile, ac aliud; & per conſequens impoſſibile erit, quod in eadem duratione mobile velociſſimum acquirat maius ſpatium, quam mobile tardum: quod eſt contra manifeſtam experientiam.

Reſpondetur, quod licèt vtrumque mobile in qualibet parte temporis debeat acquirere vnam partem proportionalem ſpatij; nihilominùs vnum valet abſolutè percurrere in eodem tempore maius ſpatiũ, quam aliud. Et ratio eſt: quoniam ſicut vnum quantum poteſt eſſe maius alio; ita partes proportionales vnius debent eſſe maiores, quam partes proportionales alterius. Nam partes proportionales ſunt medietates totius continui; & rurſus medietates priorum medietatum, & ſic in infinitum: quò autem aliquod totum eſt maius, eò medietates eius ſunt maiores proportionabiliter. Vndè in vna parte temporis poſſunt mobile velox acquirere partem ſpatij maiorem, & mobile tardum minorem; & conſequenter in fine durationis, maius ſpatium inuenietur pertranſitum à mobili veloci, & minus à mobili tardo. Hoc autem minimè haberet locum, ſi ſpatium ex ſolis indiuiſibilibus componeretur: quoniam in indiuiſibilibus non datur magis, & minus, ſed omnia æqualiter carent extenſione: vndè in eodem tempore, vel temporis inſtantibus non poſſet mobile velox percurrere maius ſpatium, quam mobile tardum. Conſultò aliquas obiectiones ex dictis ſcaturientes prætermittimus, tùm quia iuxta hactenus tradita, haud difficile erit illis occurrere: tùm ne materiam ex ſe ſatis implexam nouis difficultatibus intricemus: tùm & præcipuè, ne prolixitate, ac rerum multitudine ſtudentium nouitiorum, quibus laboramus, nimis diſcruciemus ingenia.

DISPVTATIO XXIV.

De modo inceptionis, & deſitionis rerum.

1 AD perfectam intelligentiam eorum, quæ in tota hac diſputatione dicemus, ſupponendum eſt, quod licèt quælibet res habeat ſuam intrinſecam durationem, per quam in ſuo eſſe menſuretur; nihilominùs, quia tempus primi mobilis eſt valde notum, & regulare, per illud ſolemus rerum inceptiones, ac deſitiones dimetiri. Et quia inſtantia habent eſſe magis determinatum, quam partes; idcircò in prædicta menſuratione ad inſtantia ſolemus attendere, vt rerum inceptiones, & deſitiones regulemus. Res autem poſſunt dupliciter incipere, aut

aut deſinere in inſtanti: primò intrinſecè, ſeu per coëxiſtentiam ad illud: ſecundò extrinſecè, & ſine coëxiſtentia ad inſtans.

Porrò vt Philoſophi maiori claritate in hac parte loquerentur, quatuor terminos inuenere, quibus modum incipiendi, & deſinendi rerum ſignificarent. Nam quælibet res incipit *per primum ſui eſſe, vel per vltimum non eſſe*. Tunc res dicitur incipere *per primum eſſe*, quando de ea verificatur: *Nunc primò eſt res, & immediatè antea non erat:* & talis res incipit intrinſecè in inſtanti, quia in illo accipit exiſtentiam. Tunc autem dicitur incipere *per vltimum non eſſe*, quando de illa verificatur: *Nunc non eſt res, & immediatè poſt erit:* & huiuſmodi res incipit extrinſecè in tali inſtanti, quia non accipit exiſtentiam in eo, ſed in tempore immediatè ſequenti.

Similiter philoſophandum eſt in deſitione: nam quælibet res deſinit *per primum ſui non eſſe, vel per vltimum ſui eſſe*. Tunc res dicitur deſinere per primum ſui non eſſe, cùm de illa eſt verum dicere: *Nunc primò non eſt res, & immediatè antea fuit:* & talis res deſinit intrinſecè in inſtanti, eò quod in illo amittit exiſtentiam. Tunc verò dicitur res deſinere *per vltimum ſui eſſe*, cùm de illa verè enuntiatur: *Nunc eſt res, & immediatè poſt non erit*; & huiuſmodi res deſinit extrinſecè in inſtanti, quia in eo retinet exiſtentiam, ſed illam amittet in tempore immediatè ſequenti. Quæ poſſunt breuioribus adhuc vocibus ſignificari dicendo, aliqua incipere, ac deſinere *in inſtanti*, ea videlicet, quorum inceptio, & deſitio coëxiſtunt intrinſecè in inſtanti, alia verò incipere, ac deſinere *in tempore*, illa nimirùm, quorum inceptio, & deſitio coëxiſtit intrinſecè tempori. His ſuppoſitis examinandum eſt in particulari, quali ex prædictis modo res incipiant, & deſinant.

QVÆSTIO I.

Quomodo incipiant, & deſinant res ſucceſſiuæ.

AB his potiùs, quam à permanentibus diſputationem ordimur, quia deuicta difficultate circa ſucceſſiua, facilis patet aditus ad alia.

§. I.

Statuitur prima concluſio.

2 DIcendum eſt, res ſucceſſiuas quantum ad entitatem ſuarum partium incipere *per vltimum non eſſe*, & deſinere *per primum non eſſe*. Ita Ariſtot. *in præſenti cap. 5. & 6.* D. Thom. Albert. Auerr. Simplicius, & communiter Interpretes. Probatur concluſio quoad inceptionem: quoniam repugnat, quod ens ſucceſſiuum habeat totum ſuum eſſe ſimul; cùm eſſentialiter conſtituatur ex parte priori, & poſteriori; ergo repugnat, quod entia ſucceſſiua habeant ſuum primum eſſe in inſtanti; & per conſequens non incipiunt *per primum eſſe*, ſed *per vltimum non eſſe*, nempè in tempore. Antecedens eſt certum, & conſequentia liquet ex iis, quæ prænotauimus.

Sed objicies: ſi mulier prægnans moueatur, & in medio motus animetur fœtus, incipit hic in inſtanti, vt conſtabit ex infra dicendis: ergo incipit moueri inſtanti. Patet conſequentia: nam cùm primò incipit habere *eſſe*, mouetur ad motum matris. Reſpondetur negando conſequentiam: quoniam in eo inſtanti nullus eſt motus, quoad entitatem ſuarum partium; ſed tantùm eſt mutatum eſſe motus materni. Vnde quando de fœtu verificatur: *Nunc eſt, & antea non erat*, de motu ipſius ſolùm poteſt enuntiari: *Nunc non eſt motus, & immediatè poſt erit:* quia rei permanenti, qualis eſt fœtus, non repugnat eſſe in inſtanti; rei autem ſucceſſiuæ id omninò repugnat ob ſucceſsionem ſuarum partium.

Deinde probatur eadem aſſertio quoad deſitionem: quoniam ſi res ſucceſsiua deſineret per *vltimum eſſe*, ſiue in tempore, iam de illa verificaretur; *Nunc eſt res ſucceſſiua, & immediatè poſt non erit*, & conſequenter iam quoad entitatem ſuarum partium haberet eſſe in inſtanti: ſed hoc repugnat, vt conſtat ex nuper dictis: ergo res ſucceſsiua deſinit *per primum non eſſe*, & in inſtanti, ita vt de illa verificetur: *Nunc non eſt res ſucceſſiua, & immediatè antea erat.*

3 Oppones *primò*: antequam deſinat pars poſterior, ceſſat pars prior: ſed res ſucceſsiua conſtat ex parte priori, & poſteriori: ergo repugnat, quod deſinat quoad omnes partes ſimul; & conſequenter non habebit ſuam deſitionem in inſtanti. *Secundò*: ideo repugnat; quod motus ſecundum ſuas partes incipiat in inſtanti, quia prædictæ partes nequeunt eſſe ſimul: ſed etiam *non eſſe* illarum nequit eſſe ſimul; ſiquidem *non eſſe* prioris partis eſt priùs, quam *non eſſe* poſterioris: ergo repugnat, quod motus ſecundum omnes ſuas partes deſinat in inſtanti. *Tertiò*: motus exiſtit ratione indiuiſibilis, vt conſtat ex dictis *diſp. 21. quæſt. 4.* ergo quandiù eſt indiuiſibile motus, durat motus: ſed in vltimo inſtanti exiſtit vltimum indiuiſibile terminatiuum motus: ergo adhuc motus durat, ac proindè non deſinet *per primum non eſſe*.

Reſpondetur ad primam obiectionem, quod licèt in ſucceſsiuis priùs deſinat, pars prior, quam poſterior, vtraque tamen habet ſuum *non eſſe* in inſtanti; non quidem in eodem, ſed diuerſo; poſt quamlibet enim partem immediatè ſequitur inſtans, in quo pars habet non eſſe, & conſequenter in vltimo inſtanti totius motus omnes eius partes deſinunt adęquatè. ¶ Ad ſecundam dicendum eſt, quod licèt entitas motus ſit diuiſibilis, ac proinde nequeat eſſe in inſtanti; attamen vltimum non eſse motus eſt indiuiſibile, cùm ſit quædam negatio: quamobrem valet eſse in inſtanti. Sicut etiam linea importat eſsentialiter extenſionem; & ni-

nihilominùs non eſſe lineæ omni extenſione caret. ¶ Ad tertiam reſpondemus, quod motus, cùm ſit vnus per continuationem, exiſtit per indiuiſibilia continuatiua partium: vndè quia vltimum eius indiuiſibile non eſt continuatiuum, ſed terminatiuum; idcircò motus non exiſtit abſolutè in vltimo inſtanti, ſed potiùs in eo conſequitur primum *non eſſe* ſuarum partium: verificaturquè proinde. *Nunc non eſt motus quoad entitatem ſuarum partium, & immediatè ante fuit*. Quomodo autem in vltimo inſtanti motus poſſit aliquid produci per ipſum motum, ſi ſemel non exiſtit abſolutè in illo inſtanti, exponemus *in lib. de Gener.* diſcutientes, an generatio ſit mutatum eſſe præcedentis alterationis, an verò noua actio ab alteratione diſtincta.

§. II.

Alia aſſertio pro complemento quæſtionis.

4 Dicendum eſt ſecundò, indiuiſibilia motus, & temporis incipere *per primum ſui eſſe*, & deſinere *per vltimum ſui eſſe*. Hæc concluſio eſt æquè communis, ac præcedens, & ſuadetur breuiter: quoniam vnicum indiuiſibile ſolùm durat per vnum inſtans; ergo eſt verum dicere de illo in tali inſtanti; *Nunc eſt hoc indiuiſibile, & immediatè antea non erat*: *Nunc eſt hoc indiuiſibile, & immediatè poſt non erit*: quod eſt incipere *per primum eſſe*; & deſinere *per vltimum eſſe*. Ex quo etiam ſit, quod prædictum inſtans ſit intrinſecum reſpectu inceptionis indiuiſibilium, & extrinſecum ad deſitionem eorumdem.

Obijcies: *non eſſe* motus conſiſtit in indiuiſibili: ergo à fortiori *non eſſe* indiuiſibilis debet in indiuiſibili conſiſtere; ſed quia *non eſſe* motus eſt indiuiſibile motus, deſinit intrinſecè in inſtanti: ergo pariter indiuiſibile debet deſinere in inſtanti intrinſeco, ita quod *non eſſe* eius coëxiſtat intrinſecè non tempori, ſed inſtanti.

Reſpondetur; quod etſi illud, cuius *non eſſe* eſt indiuiſibile; queat quantum ex vi huius, deſinere *per primum non eſſe*, ſeu in inſtanti intrinſeco, qua ratione oſtendimus, motum deſinere prædicto modo: nihilominùs valent occurrere aliæ circunſtantiæ, & rationes, propter quas debeat habere ſuum *non eſſe* in tempore, ſaltem per correſpondentiam inadæquatam. Et ita contingit in indiuiſibilibus: nam cùm vnum indiuiſibile duret, duntaxat per vnicum inſtans, & poſt inſtans ſequatur immediatè tempus; neceſſarium eſt, quod habeat ſuum *non eſſe* in prædicto tempore. Quæ ratio neutiquam militat in partibus motus, ſed potiùs contraria; vt conſideranti conſtabit: vndè habet diuerſum modum deſinendi.

5 Inquires, qualiter incipiat, & deficiat quies? Reſpondetur, quod duplex eſt quies: alia negatiua; quæ ſolùm eſt remotio motus: alia verò priuatiua, quæ eſt carentia motus in ſubiecto apto pro tunc moueri. Ex his quies nagatiua incipit *per primum eſſe*, & deſinit *per vltimum eſſe*: quia conſiſtit in indiuiſibili, ac proinde debet incipere, & deſinere ad modum indiuiſibilis poſitiui. Quies autem priuatiua incipit *per vltimum ſui non eſſe*, & deſinit *per primum non eſſe*: tùm quia quies priuatiua eſt ſucceſſiua, ſicut motus: ergo debet incipere, ac deſinere ad modum illius. Tùm etiam: nam quies priuatiua eſt carentia motus in ſubiecto pro ea duratione, in qua natum eſt moueri: ſed nequit ſubiectum moueri in inſtanti: ergo hæc quies non incipit intrinſecè in inſtanti; ſed in tempore, & conſequenter incipit *per vltimum non eſſe*, & debet adinſtar motus deſinere, nempè *per primum non eſſe*, ſiue in inſtanti.

6 Sed oppones: in illa duratione, in qua deſinit motus, incipit quies: ſed motus deſinit in inſtanti; & ideò verificatur: *Nunc non eſt motus, & immediatè antea erat*: ergo quies incipit in inſtanti, ita vt de illa verè enuntietur: *Nunc eſt quies, & immediatè antea non erat*. ¶ Confirmatur: quia in inſtanti terminatiuo motus, vel eſt motus, vel eſt quies; quippè cùm hæc priuatiuè, & immediatè opponantur, opus eſt, quod vnum eorum in illo inſtanti conueniat ſubiecto: atqui in eo inſtanti iam non eſt motus, vt conſtat ex ſupra dictis: ergo eſt quies; ac proinde hæc incipiet intrinſecè in inſtanti.

Reſpondetur ad obiectionem, quod in illo inſtanti, in quo deſinit intrinſecè motus incipit intrinſecè quies negatiua, quæ eſt indiuiſibilis, & poteſt eſſe in inſtanti: quies autem priuatiua ſolùm extrinſecè incipit in illo inſtanti, quatenùs verificatur; *Nunc non eſt quies priuatiua, & immediatè poſt erit*. Nam cùm huiuſmodi quies ſit carentia motus pro duratione, in qua poſſet dari motus, nequit habere eſſe, niſi in tempore, ſicut ipſe motus. ¶ Ex quibus etiam conſtat ad confirmationem. Et ad id, quod ibi additur de oppoſitione immediata inter motum, & quietem, reſpondetur, ex oppoſitione immediata, ſolùm ſequi in duratione, in qua forma poteſt dari, ſi non detur forma, dari priuationem illius. Motus autem nequit eſſe in inſtanti; ſed debet eſſe in tempore. Vnde quies habens rationem priuationis motus, ſolùm poteſt eſſe in tempore, licet quies purè negatiua incipiat in inſtanti.

QVÆSTIO II.

De modo inceptionis, & deſitionis rerum, quæ fiunt, & deſinunt per motum?

POſtquam explicuimus modum, quo motus incipit, & deſinit; ſequitur, vt exponamus modum inceptionis, ac deſitionis rerum, quæ producuntur, & deſinunt cum motu, quales ſunt quantitas, & qualitas. Poſſunt autem huiuſmodi res conſiderari dupliciter: primò abſolutè, & ſecundum partem, aut gradum indeterminatum, & prout afficiunt ſubiectum ſecundum partem indeterminatam, quo pacto dicuntur eſſe in fieri. Secundò conſiderantur, vt tantæ, id eſt, ſecundum partem, vel gradum certum, & determinatum, & quatenus inhærent determinatæ parti ſubiecti, v. g. calor vt duo receptus in quantitate digitali: qua ratione ſumuntur *in facto eſſe*. Et de illis vtroque modo acceptis procedit quæſtio.

§. I.

Qualiter incipiant, & deſinant huiuſmodi res abſolutè ſumptæ.

7 Dicendum eſt primò, accidentia, quæ incipiunt, & deſinunt per motum, ſi ſumantur *abſolutè*, & prout *in fieri*, incipere *per vltimum non eſſe*, ſeu in tempore; deſinere autem per *primum non eſſe*, ſiue in inſtanti. Ita docent communiter Auctores. Fundamentum eſt: nam calor v. g. abſolutè acceptus, prius producitur ſecundum gradum remiſſum, quam ſecundum intenſum; & prius introducitur in parte minori ſubiecti, quam in maiori, ad quod plurimum conducit reſiſtentia contrarij retardantis illius introductionem: ergo calor abſolutè ſumptus incipit ſucceſſiuè, & adinſtar ſucceſſiuorum: ſed hæc incipiunt *per vltimum non eſſe*, ſiue in tempore: ergo calor abſolutè acceptus debet incipere

eodem

Digitized by Google

eodem modo: & idem dicendum eſt de alijs formis ſumptis abſolutè, & provt *in fieri*. Vndè cùm eadem ratio militet proportionabiliter in deſitione, ſequitur, quod ſicut ſucceſſiua deſinunt *per primum non eſſe*, ita prædicta accidentia abſolutè conſiderata debent deſinere *per primum non eſſe*, ſiue in inſtanti. ¶ Ad hæc, accidentia prædicta abſolutè ſumpta incipiunt, & deſinunt per motum: ergo in modo incipiendi, & deſinendi adæquantur motui: hic autem incipit *per vltimum non eſſe*, & deſinit *per primum non eſſe*: ergo & prędicta accidentia abſolutè ſumpta.

8 Sed objicies: introductio frigiditatis v.g. in ligno eſt expulſio caloris ab eodem ligno: ergo in eadem duratione, in qua introducitur frigiditas, deſinit calor: atqui frigiditas abſolutè accepta incipit per *vltimum ſui non eſſe*, ſiue in tempore: ergo calor abſolutè conſideratus deſinit per *vltimum eſſe*, ſiue in tempore, & conſequenter falſum erit, quod huiuſmodi formæ abſolutè acceptæ deſinant *per primum non eſſe*, ſiue in inſtanti.

Reſpondetur, quod quando primò frigiditas introducitur abſolutè, ſiue per partes indeterminatas, & proportionales, tunc calor non deficit abſolutè, ſed vt tantus; præexiſtit enim in ſubiecto ſub gradu certo, & determinato: & idcircò debet priùs deſinere ſecundum illum gradum, quam ſecundum totam ſuam entitatem. Calor autem vt tantus conſiſtit in indiuiſibili, atque ideò debet deſinere adinſtar indiuiſibilium: cùmque hæc deſinant *per vltimum eſſe*, ſiue in tempore; mirum non eſt, quod calor vt tantus deficiat eodem modo. Id autem ſtatutæ aſſertioni minimè præiudicat: quoniam in ea loquimur de deſitione caloris abſolutè conſiderati, & ſecundum omnes ſuas partes. Et hoc modo acceptus deſinit per *primum non eſſe*, ſiue in inſtanti: nam cum introducitur frigiditas vt octo, perit calor totaliter, & abſolutè: frigiditas autem vt octo introducitur in inſtanti; ac proinde calor abſolutè ſumptus debet in inſtanti deſinere. Vndè in eodem inſtanti verificatur: *Nunc eſt frigiditas vt octo, & immediatè antea non erat: & nunc non eſt calor, & immediatè antea fuit*. Quod magis conſtabit ex his, quæ ſtatim dicemus.

§. II.

Explicatur modus, quo prædictæ qualitates, vt ſunt tantæ incipiunt, & deſinunt.

9 Dicendum eſt ſecundò, prędictas qualitates ſumptas *in facto eſſe*, ſiue vt tantas, atque in certo gradu incipere *per primum ſui eſſe*, ſiue in inſtanti: deſinere autem *per vltimum eſſe*, ſiue in tempore; Hæc concluſio eſt communis inter Philoſophos, & ſuadetur: quoniam calor v. g. vt duo conſiſtit quodammodo in indiuiſibili; ſiquidem quidquid illi addas, vel demas, iam non eſt vt duo: ergo calor vt duo debet incipere ad modum rei indiuiſibilis: hæc autem incipit in inſtanti, & deſinit in tempore: ergo idem de calore vt duo aſſerendum eſt: cumquè eadem ratio ſit de omnibus accidentibus ſumptis vt tantis, atque ſub gradu, vel parte certa, ſequitur quod omnia accidentia prædicto modo conſiderata incipiant *per primum ſui eſſe*, ſiue in inſtanti, & deſinant *per vltimum eſſe*, ſiue in tempore.

Confirmatur ſpecialiter prima aſſertionis pars: nam calor vt duo nequit incipere intrinſecè in tempore: ergo incipit intrinſecè in inſtanti. Probatur antecedens: nam ſi calor vt duo incipit in tempore, erit verum dicere de illo in aliquo inſtanti: *Nunc non eſt calor vt duo, & immediatè poſt erit*: ergo in illo inſtanti deeſt calori aliquid diuiſibile, vel indiuiſibile, vt ſit calor vt duo. Si primum, non poterit acquiri immediatè poſt inſtans; ſiquidem diuiſibile priùs acquiritur ſecundum medietatem, quam ſecundum ſe totum: ſi ſecundum, non poterit acquiri in tempore; cùm indiuiſibile debeat acquiri in inſtanti: ergo impoſſibile eſt, quod calor vt duo incipiat intrinſecè in tempore.

Confirmatur ſpecialiter ſecunda pars eiuſdem concluſionis; quoniam calor vt tantus deſinit, quando incipit frigiditas abſolutè: nam cum calor vt tantus conſiſtat in indiuiſibili, petit vt tantus ad minimæ frigiditatis introductionem: ſed frigiditas abſolutè accepta incipit intrinſecè in tempore: ergo calor vt tantus habet etiam in tempore ſuam intrinſecam deſitionem: vnde cùm verificatur: *Nunc non eſt frigiditas, & immediatè poſt erit*, etiam verificabitur: *Nunc eſt calor vt duo, & immediatè poſt non erit*: quod eſt incipere per vltimum eſſe, ſiue in tempore.

10 Sed objicies primò: motus nequit eſſe in inſtanti: ſed calor vt duo producitur per motum: ergo nequit incipere in inſtanti intrinſecè. ¶ Confirmatur: nam ſi calor vt duo incipit in inſtanti: ergo in tempore immediatè antecedenti deficit illi aliquid, vt ſit calor vt duo; vel nõ deficit. Si non deficit: ergo ante illud inſtans iam erit calor vt duo, & conſequenter incipiet intrinſecè in tempore: ſi deeſt aliquid: vel illud eſt diuiſibile; & ſic non poterit incipere in inſtanti ſequenti: vel eſt indiuiſibile; & ita non poterit conducere ad hoc, quod calor præexiſtens ſit maior, & fiat vt duo.

Reſpondetur ad obiectionem, quod licèt calor abſolutè acceptus, & provt *in fieri* incipiat per partes motus, ſeu per motum; attamen idem calor conſideratus vt tantus, & *in facto eſſe*, incipit per indiuiſibilia ſignata, & certa motus, ſeu permutata eſſe illius. Vnde cùm hæc incipiant intrinſecè in inſtanti; ſequitur, quod calor vt duo debeat etiam in inſtanti incipere. ¶ Ad confirmationem reſpõdetur, quod ſicut motus ante vltimum mutatum eſſe ſui terminatiuum, habet eſſe confuſum, & indeterminatum; ita calor quandiu eſt in fieri habet eſſe indeterminatum, & incertum. Quamobrem ſicut illud, quod deficit motui, eſt quoddam mutatum eſſe in indiuiſibili conſiſtens, per quod tamen completur, ac determinatur motus; ita calori pro tempore antecedenti ad vltimum inſtans deficiebat ipſa, vt ſic dicamus tantitas, per quam completur, & fit calor determinatus: quæ cum pro formali ſit indiuiſibilis, queit optime incipere in inſtanti.

11 Objicies ſecundò: quando vna qualitas expellitur ad introductionem alterius, tot gradus vnius amittuntur, quot alterius inducuntur, & non amplius: ergo ſi vna introducitur ſecundum gradus indeterminatos, impoſſibile erit, quod altera deſinat ſecundum gradus determinatos, & vt tanta: ergo non recte aſſeruimus, deſinere vnam qualitatem vt tantam, quando qualitas contraria incipit abſolutè.

Reſpondetur negando vtramque conſequentiam: nam qualitas illa, quæ expellitur, ante introductionem contrariæ, habet modum eſſendi certum, & determinatum. Id autem, quod eſt determinatum, & certum per ablationem cuiuſcumque gradus, aut partis, quantumcumque minima, & incerta ſit, amittit illum determinatum modum, in quo præexiſtebat; atque ideo deſinit vt tantum. Quocircà quando vna qualitas introducitur ſecundum aliquid ſui, licèt indeterminatum, & confuſum, qualitas contraria præexiſtens amittit ſuam tantitatem, ac determinationem: atque ideo cùm vna incipit *abſolutè*, altera deſinit, *vt tanta*.

QVÆSTIO III.

Qualiter ſubſtantiæ generabiles, & corruptibiles incipiant, ac definant?

HAbita notitia modi, quo accidentia materialia incipiunt, & deſinunt, inueſtigandus eſt modus inceptionis, ac deſitionis ſubſtantiarum generabilium. Sed vt majori claritate procedamus, animaduertendum eſt, quod ſubſtantia generabilis poteſt produci dupliciter: vno modo per generationem ſimpliciter, vt cùm primò producitur ſuppoſitum; alio modo per aggenerationem, vt cum ſuppoſitum nutritur, & augetur.

§. I.

Statuitur modus, quo incipit ſubſtantia, cùm generatur.

12 DIcendum eſt primò, ſubſtantiam, quæ habet eſſe per generationem, incipere *per primum ſui eſse*, ſiue in inſtanti. Ita Ariſtot. *in hoc lib. cap.* 5. *text.* 43. D. Thom. ibidem, *& quodlib.* 7. *art.* 9. Quibus etiam conſentiunt communiter Doctores.

Fundamentum eſt: quoniam tunc primò eſt ſubſtantia facta per generationem, cùm primò eſt ipſa generatio: ſed hæc incipit intrinſecè in inſtanti, cùm ſit mutatio inſtantanea, habenſquè rationem vltimi mutati eſſe reſpectu motus alterationis præcedentis; per quam materia diſponitur ad introductionem formæ, vt dicemus *in lib. de Generat.* ergo ſubſtantia facta per generationem incipit in inſtanti, ſiue *per primum ſui eſse*. ¶ Confirmatur primò: quia forma ſubſtantialis non introducitur, vſquedum ſit deuicta tota reſiſtentia contrarij: ergo cum introducitur, nihil eſt, quod eius introductionem retardet: ergo non fit ſucceſſiuè, & in tempore, ſed in inſtanti. ¶ Confirmatur: nam cùm ſubſtantia generatur, & primò fit, petit certam, ac determinatam materiá, ita vt non poſſit introduci in minori, vt oſtendemus diſputatione ſequenti: ergo ſubſtantia facta per generationem non incipit in tempore, ſed in inſtanti. Patet conſequentia: nam ſi produceretur in tempore, deberet introduci per partes minores, & minores, atque ideo priùs eſset in materia inceita, quam in materia determinata.

13 Ex ijs liquidò deducitur, ſubſtantiam, quæ corrumpitur ad generationem alterius, deſinere *per primum non eſse*, ſiue in inſtanti. Ratio eſt quia generatio vnius eſt corruptio alterius: ſed forma denuò facta incipit in inſtanti: ergo forma, quæ ad eius introductionem corrumpitur, debet in eodem inſtanti deſinere. Vndè in illo inſtanti, in quo eſt verum dicere: *Nunc eſt forma ignis, & immediatè antea non erat*, etiam verificatur: *Nunc non eſt forma ligni, & immediatè antea fuit*. Quamobrem ſicut illa incipit *per primum ſui eſse*, ita hæc deſinit *per primum ſui non eſſe*, ſiue in inſtanti. ¶ Ad hæc: materia prima in quolibet inſtanti debet habere aliquam formam, & in nullo poteſt ſimul habere duas: ergo in eodem inſtanti, in quo verificatur: *Nunc eſt foma denuò genita*, debet verificari: *Nunc non eſt forma præxiſtens;* aliàs eſſent duæ formæ ſimul in eadem materia. Et in eodem inſtanti, in quo verè enuntiatur: *Nunc non eſt forma præxiſtens*, debet etiam enuntiari: *Nunc eſt forma denuò genita*; aliàs materia exiſteret in illo inſtanti ſine vna, & altera forma. Maneat igitur, quod ſi ſubſtantia denuò genita ſit in inſtanti, ſiue *per primum ſui eſse*, vt iam oſtendimus: debeat ſubſtantia, quæ ad illius generationem corrumpitur, deficere *per primum non eſse*, ſiue in inſtanti.

14 Sed objicies contra concluſionem: vltima diſpoſitio ad formam ſubſtantialem incipit intrinſecè in inſtanti: ergo forma ſubſtantialis incipit intrinſecè in tempore. Patet conſequentia, tùm quia quęlibet diſpoſitio præcedit formam, ad quam diſponit: ergo ſi illa habet eſſe in inſtanti, hæc non habebit eſſe in eodem inſtanti, ſed in tempore ſequenti. Tùm etiam, quia forma ſequitur immediatè ad vltimam diſpoſitionem; ſed ad inſtans ſequitur immediatè tempus: ergo ſi diſpoſitio incipit in inſtanti: forma genita debet incipere intrinſecè in tempore. Antecedens autem ſuadetur: quoniam vltima diſpoſitio importat certam, ac determinatam intenſionem, & introducitur in determinata materia: ergo conſiſtit ſecundum hanc rationem in indiuiſibili, & conſequenter incipiet intrinſecè in inſtanti.

Reſpondetur, quod diſpoſitio vltima ad formam ſubſtantialem eſt duplex: alia ſimpliciter vltima, quo pacto ſe habet calor vt octo ad formam ignis: & huiuſmodi diſpoſitio non recipitur in compoſito corrumpendo, vt puta in ligno; ſed in compoſito denuò genito, nempè in igne. Quamuis autem prædicta diſpoſitio præcedat formam aliqua prioritate naturæ in genere cauſæ materialis; ſubſequitur tamen ad illam in alijs cauſæ generibus: quamobrem non præcedit formam tempore, ſed ipſi in eadem duratione coëxiſtit. Vndè ſi vltima ſimpliciter diſpoſitio incipit intrinſecè in inſtanti, vt obiectio intendit, & nos libenter admittimus; ex hoc ipſo concluditur, quod forma etiam incipiat in inſtanti, vt in concluſione ſtatuimus. Alia verò eſt diſpoſitio, quæ dicitur vltima non ſimpliciter, ſed cum addito; videlicet vltima ex antecedentibus ad inſtans generationis, vt calor citra ſummum: & huiuſmodi diſpoſitio non eſt certa, & determinata, aut *in facto eſse*; ſed dicit eſſe indeterminatum, & confuſum, atque *in fieri:* vnde habet eſſe intrinſecè in tempore, in eo videlicet, quod præcedit inſtans generationis. Sed de his latiùs agendum eſt *in libris de Generatione*.

§. II.

Declaratur qualiter incipiat ſubſtantia acquiſita per augmentationem.

15 DIcendum eſt ſecundò, ſubſtantiam acquiſitam per augmentationem incipere per vltimum non eſſe, ſiue in tempore. Hæc aſsertio eſt ſatis communis inter DD. & probatur breuiter: quoniam ſubſtantia acquiſita per augmentationem non producitur tota ſimul, ſed incipit per partes, aut quaſi partes proportionales, & incertas, & conſequenter habet eſſe per correſpondentiam ad motum augmentationis: conſtat autem, quod res habens eſſe diuiſibiliter, & per correſpondentiam ad motum non poteſt incipere in inſtanti: ergo ſubſtantia acquiſita per augmentationem incipit *per vltimum ſui non eſse*, ſiue in tempore.

Ex quo ſequitur, ſubſtantiam alimenti, quæ corrumpitur ad productionem ſubſtantiæ acquiſitę per augmentationem, deſinere *per vltimum eſſe*, ſiue in tempore. Ratio eſt perſpicua: quia productio vnius ſubſtantiæ eſt deſtructio alterius, & è conuerſo; ne materia in eodem inſtanti habeat duas formas, vel careat omni forma: ergo in ea duratione, in qua acquiritur vna ſubſtantia, debet altera deficere: atqui ſubſtantia acquiſita per augmentationem incipit intrinſecè in tempore: ergo pariter ſub-

Digitized by Google

ſubſtantia alimenti deficiens ad productionem illius, debet in tempore intrinſecè deſinere. Quocircà in eodem inſtanti, in quo verificatur: *Nunc non eſt ſubſtantia producta ex alimento, & immediatè poſt erit*, etiam enunciatur verè: *Nunc eſt ſubſtantia alimenti, & immediatè poſt non erit*: ac proinde, ſicut illa incipit *per vltimum non eſſe*, ita hæc deſinit *per vltimum eſſe*, vt ita productio vnius, & deſtructio alterius ſint intrinſecè in eodem tempore.

16 Sed obijcies: *non eſſe* ſubſtantiæ conſiſtit in indiuiſibili: ergo ſubſtantia nequit deſinere, ſiue habere *ſuum non eſſe* in tempore, hoc quippè eſt proprium rerum diuiſibilium. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: tùm quia ſubſtantia, quæ acquiritur per augmentationem, incipit ſucceſſiuè ratione quantitatis; ac proinde poteſt etiam alia ſubſtantia deſinere ſucceſſiuè ob eandem rationem: non enim datur ſimul, & indiuiſibiliter deſtructio omnium partium. Tùm etiam, quia licèt ſubſtantia ſit ex ſe indiuiſibilis, valet tamen per accidens incipere, ac deſinere diuiſibiliter ratione quantitatis. Tùm deniquè, quia res indiuiſibilis poteſt habere ſuum *non eſſe* in tempore, vt ſupra ſtatuimus circa indiuiſibilia motus, & ampliùs conſtabit ex ijs, quæ in *quæſt. ſeq.* dicemus.

QVÆSTIO IV.

Quomodo incipiant, & deſinant entia, quæ in ſuo fieri non dependent à motu.

RES, quæ motui in ſua productione non ſubduntur, vel ſunt ſubſtantiæ, vt Angeli, & cœli; vel ſunt accidentia, vt intellectus, ſcientia, & intellectio. Sed quoniam eadem proportionabiliter ratio militat in accidentibus, ac in ſubſtantijs, idcircò ſolùm de iſtis agemus ſpecialiter, & ex profeſſo.

§. I.

Duabus aſſertionibus explicatur vera ſententia.

17 DIcendum eſt primò, ſubſtantias, quæ motui non ſubiacent, incipere connaturaliter loquendo *per primum ſui eſſe*, ſiue in inſtanti; deſinere verò *per vltimum ſui eſſe*, ſiue in tempore. Hæc eſt communis inter Philoſophos, & ſuadetur: quoniam Angeli ſunt ſubſtantiæ indiuiſibiles, cœli autem habent totum ſuum eſſe ſimul, & non ſubditum motui, non minùs, ac ſi eſſent indiuiſibiles: ergo huiuſmodi ſubſtantiæ, connaturaliter loquendo, ſiue iuxta ſuam naturam, debent incipere ad inſtar indiuiſibilium: ſed hæc incipiunt *per primum ſui eſſe*, ſiue in inſtanti; ergo & prædictæ ſubſtantiæ. Qua etiam de cauſa, licèt eæ ſubſtantiæ ſint incorruptibiles; attamen ſi Deo ita diſponente deſinerent, deberent, attentis earum naturis, deficere ad inſtar indiuiſibilium, & conſequenter per vltimum ſui eſſe, ſiue in tempore.

18 Dicendum eſt ſecundò, poſſe prædictas ſubſtantias, Deo ita diſponente, incipere *per vltimum ſui non eſſe*, ſiue in tempore, & deſinere *per primum non eſſe*, ſiue in inſtanti, quamuis hic incipiendi, & deſinendi modus non eſſet eis connaturalis, ſed præternaturalis. Hæc poſterior aſſertionis pars conſtat ex dictis in prima concluſione. Priorem autem docent Sotus in præſenti, & communiter Thomiſtæ. Probatur ratione: quoniam prædictæ ſubſtantiæ non menſurantur in ſuo eſſe per tempus, nec ſubduntur illi; & aliàs producuntur, & conſeruantur liberè à Deo: ergo poteſt Deus illas conſeruare, aut deſtruere, quando ſibi placuerit, hoc eſt per coëxiſtentiam, vel ad partem, vel ad inſtans noſtri temporis. Quæ enim repugnantia datur in eo, quod Deus conſeruet Angelum vſque ad inſtans incluſiuè, & immediatè poſt ſuſpendat concurſum conſeruatiuum?

Confirmatur, & explicatur ampliùs: nam ea, quorum inceptio, & deſitio non menſuratur per tempus noſtrum, nec illi ſubditur, poſſunt incipere per correſpondentiam, vel ad partes, vel ad inſtantia illius; ſiquidem non dependent à noſtro tempore, nec commenſurantur neceſſariò inſtantibus illius: atqui inceptio, & deſitio ſubſtantiarum incorruptibilium non menſuratur per noſtrum tempus; ſed alia altiori menſura, vt docent communiter Theologi 1. *p. quæſt.* 10. & 13. ergo eæ ſubſtantiæ poſſunt abſolutè, Deo ita diſponente, incipere in tempore, & deſinere in inſtanti; quamvis oppoſitus incipiendi, & deſinendi modus ſit illis connaturalior.

§. II.

Satisfit argumentis contra ſecundam concluſionem.

19 TOletus *in præſenti quæſtione 4. concluſ. 4.* Conimbr. *capite 8. quæſtione ſecunda, articulo ſecundo*, & alij ſentiunt, quod ſubſtantiæ incorruptibiles, adeò neceſſariò habent incipere *per primum ſui eſſe*, ſiue in inſtanti, vt oppoſitum nulla virtute fieri poſſit. Quæ opinio poteſt ſuaderi ratione primò: quoniam ea quæ incipiunt *per vltimum non eſſe*, incipiunt intrinſecè in tempore: ergo incipiunt per correſpondentiam ad tempus, hoc eſt ſucceſſiuè, & habendo partem poſt partem: ſed talis incipiendi modus omninò repugnat ſubſtantijs incorruptibilibus; ſiquidem iſtæ, vel carent partibus, vt Angeli, vel habent ſimul omnes ſuas partes, vt cœli: ergo implicat, quod prædictæ ſubſtantiæ incipiant *per vltimum non eſſe*, ſiue in tempore.

Confirmatur, & expenditur vis huius rationis: quoniam Angelus nequit incipere ſecundum ſe totum in toto tempore, & ſecundum partes in partibus; ſiquidem non habet partes: nec valet incipere totus in toto tempore, & totus in qualibet parte: aliàs pluries inciperet, & produceretur, quod repugnat: ergo nulla virtute fieri poteſt, quod Angelus incipiat intrinſecè in tempore.

Reſpondetur ad argumentum, quod illæ res, quæ incipiunt in tempore noſtro, tanquam in propria menſura, cui ſubduntur, & proportionantur, habent inceptionem, ſucceſſiuam. Inceptio autem rei incorruptibilis, non menſuratur inſtanti, aut parte temporis noſtri, ſed per inſtans temporis diſcreti: vndè ſolùm correſpondet tempori noſtro extrinſecè, & inadæquatè, & tamquam menſuræ inferiori. Quapropter non oportet, quod inter prædictam ſubſtantiam, & tempus noſtrum detur correſpondentia ſucceſſionis, & partium; licèt inſtans temporis diſcreti, in quo intrinſecè incipit illa ſubſtantia, coëxiſtat tempori noſtro.

Ad confirmationem concedendum eſt, Angelum non incipere aliquo ex illis modis, qui ibi recenſentur; ſed incipit intrinſecè in aliqua menſura formaliter indiuiſibili, quæ ob ſuam eminentiam coëxiſtit extrinſecè tempori noſtro, & partibus illius, ſicut anima noſtra abſque ſui multiplicatione correſpondet toti corpori, & ſingulis

lis eius partibus. Maximè, quia neceſſarium non eſt, vt hæc correſpondentia ſit adæquata, ſed poſſit eſſe inadæquata: ita vt non detur correſpondentia ad totum tempus, ſed ad medietatem eius; nec ad totam medietatem, ſed ad medietatem medietatis, & ſic in infinitum. Qua ratione, licèt punctum ſit indiuiſibile, poteſt terminare lineam diuiſibilem, & illi, ſaltem inadæquatè correſpondere: & *non eſſe*, indiuiſibilium motus incipit in tempore, & ei inadæquatè coëxiſtit, vt conſtat ex ſupra dictis *num.* 4. Sic ergo in præſenti poteſt proportionabiliter philoſophari.

20 Secundò arguitur: quoniam implicat, quod ens ſucceſſiuum, verbi gratia, motus incipiat *per primum ſui eſſe*, ſiue in inſtanti intrinſeco: ergo pariter repugnabit, quod ens permanens, ac indiuiſibile, vt Angelus incipiat *per vltimum non eſſe*, ſiue in tempore: nam ſicut diuiſibile nequit coëxiſtere inſtanti, ita indiuiſibile non valet coëxiſtere tempori.

Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod aduerſatur naturæ entis ſucceſſiui, habere totum ſuum eſſe ſimul; quocircà nequit incipere, aut exiſtere in inſtanti. Cæterùm non eſt contra rationem entis indiuiſibilis, & independentis à tempore, quod propter ſuam eminentiam coëxiſtat tempori noſtro, non tanquam menſuræ intrinſecæ, ſed tanquam durationi extraneæ: ſicut nulla eſt contradictio in eo, quod anima indiuiſibilis informet corpus extenſum, neque in eo, quod Angelus correſpondeat loco diuiſibili, & ſit verbi gratia in toto gymnaſio. Alia argumenta, quibus hæc ſententia nititur probare, quod *non eſſe* prædictarum ſubſtantiarum indiſpenſabiliter incipit in inſtanti intrinſeco, non oportet in particulari referre: quia eadem ſunt cum præcedentibus, & pari modo ſoluuntur.

DISPVTATIO XXV.

De termino rerum naturalium.

1 AD intelligentiam nonnullarum vocum, quarum in hac diſputat. frequens erit vſus, animaduertendum eſt, duos eſse terminos, cùm magnitudinis, tùm paruitatis entium naturalium: alium videlicet intrinſecum, & alterum extrinſecum. Terminus intrinſecus magnitudinis eſt ille, ſub quo res conſeruari poteſt, & ſub maiori non poteſt: ſoletquè appellari *maximum quod ſic*: quia eſt maxima quantitatum, ſub quibus res conſeruari valet. Terminus autem extrinſecus magnitudinis eſt ille, ſub quo res eſſe nequit, & poteſt ſub quocumque minori, appellaturquè communiter *minimum quod non*: nam ex quantitatibus magnis, ſub quibus res eſse non valet, illa eſt omnium minima.

Terminus intrinſecus paruitatis eſt ille, ſub quo res eſse poteſt, non tamen ſub quocumque minori; & vocatur *minimum quod ſic*: quoniam eſt minima quantitatum, ſub quibus res conſeruari valet. Terminus verò extrinſecus paruitatis eſt ille, ſub quo res eſse non poteſt, benè tamen ſub quocumque maiori; & iſte dicitur *maximum quod non*: quia ex quantitatibus paruis, ſub quibus res eſse nequit, illa eſt maxima.

Vbi obſeruandum, quod licèt corpus mathematicum ſit diuiſibile in infinitum; non tamen corpus naturale, de quo loquimur in præſenti. Et ratio differentiæ eſt, quoniam corpus mathematicè conſideratum, ſolùm importat quantitatem: in hac autem nihil inuenitur diuiſioni repugnans: atque ideò prædictum corpus, nullum ſecundum hanc conſiderationem ſibi terminum præfigit. At in corpore naturali inuenitur forma ſubſtantialis, quæ inter alias diſpoſitiones debet etiam quantitatem certam exigere, vt magis conſtabit ex dicendis. Vnde ad deſignandos terminos quantitatis in entibus naturalibus conuenienter fuerunt inuentæ voces, quas proximè expoſuimus. His prælibatis facilè introducimur ad quæſtiones circa præſentem materiam.

QVÆSTIO I.

Vtrum ſicut viuentia, ita & non viuentia habeant ex natura ſua terminum magnitudinis.

2 PRocedit quæſtio attenta exigentia rerum, & earum ſtatu connaturali: quia non controuertimus in præſenti, quid valeat fieri per potentiam Dei abſolutam: vnde conſultò in titulo addidimus illam particulam, *ex natura ſua*. Supponimus autem in præſenti, viuentia habere terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis, tum quia id docent Ariſtot. 4. *de Generatione animal. cap.* 4. *& lib.* 1. *Phyſic. cap.* 4. D. Thom. 1. *p. quæſt.* 7. *art.* 3. & communiter Doctores. Tùm etiam, quia viuentia augentur per intuſſumptionem, id eſt per conuerſionem alimenti in ſubſtantiam aliti, medio calore naturali, qui quotidie langueſcit, & debilitatur, ac tandem deficit. Tùm præterea, quia augmentum viuentium ſit per potentias augmentatiuam, & nutritiuam, quæ habent terminum intrinſecum in agendo, cùm non ſint infinitæ virtutis. Tùm denique, quia id à fortiori conſtabit ex iis, quæ

quæ circa non viuentia dicemus. Vndè difficultas reducitur ad non viuentia, de quibus ſciſcitamur, an terminentur, non ſolùm extrinſecè, *& per minimum quod non*; ſed etiam intrinſecè, ſeu *per maximum quod ſit*.

§. I.

Defenditur ſententia Ariſtot. & D. Thomæ.

3 DIcendum eſt, non viuentia habere terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis. Hanc concluſionem ſtatuunt Philoſophus, & D. Thom. locis ſtatim referendis, Auerr. 2. *de Anima cap.* 4. Iandunus *in hoc lib. cap.* 16. Caiet. 1. *p q.* 7. *art.* 3. Nazarius ibidem, Ferrara *primo Phyſic. quæſt.* 7. & alij plures.

Probatur primò auctoritate Ariſt. 2. *de Anima text.* 41. vbi hæc habet: *Eorum omnium, quæ natura conſtant, eſt finis, tàm magnitudinis, quàm accretionis*. Quæ verba ſic elucidat D. Thom. ibidem *lect.* 8. *Manifeſtum eſt autem, quod in omnibus, quæ ſunt ſecundum naturam, eſt certus terminus, & determinata ratio magnitudinis, & augmenti, ſicut enim cuilibet ſpeciei debentur aliqua accidentia propria; ita & propria quantitas*. Idem repetit Angelicus Doct. *loco citat. ex prima parte, & in* 2. *diſt.* 14. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4.

Secundò probatur ratione deſumpta ex D. Th. quoniam ad formam ſubſtantialem determinatam conſequuntur determinata accidentia: ſed quodlibet ens naturale habet formam ſubſtantialem determinatam, & finitam: ergo omne ens naturale petit ex ſe inter alia accidentia quantitatem determinatam, & conſequenter terminatam per terminum intrinſecum. ¶ Confirmatur: nam quantitas eſt diſpoſitio ad formam ſubſtantialem: ſed ad determinatam formam requiruntur naturaliter loquendo, diſpoſitiones determinatæ: ergo cùm omne ens naturale habeat formam determinatam; neceſſarium eſt, quod petat determinatam quantitatem, non aliter, ac petit certum terminum in alijs diſpoſitionibus conſeruatiuis.

4 Reſpondebis primò, ex determinatione formæ ſecundum eſſe, non rectè colligi determinationem eius ſecundum magnitudinem: quia huiuſmodi determinationes ſunt valdè diuerſæ. ¶ Sed contra: nam licèt illa duo ſint ſatis diſtincta; attamen ex vna neceſſariò ſequitur aliud. Et ratio eſt: quoniam inter cauſam, & effectum debet dari proportio, vt docet Ariſtot. 2. *Phyſ. text.* 37. *&* 38. ſed forma ſecundum ſuum eſſe eſt cauſa quantitatis; hæc verò ſecundum ſuam magnitudinem eſt effectus formæ: ergo ſi forma eſt determinata ſecundum eſſe, nequit quantitas non eſſe determinata ſecundum magnitudinem. Alias effectus excederet virtutem ſuæ cauſæ; atque ideo in tali exceſſu eſſet, & non eſſet effectus illius: quod inuoluit contradictionem.

Reſpondebis ſecundò, quod ad formam finitam ſequuntur accidentia finita intenſiuè, non verò extenſiuè: vnde forma ignis poterit informare maiorem, & maiorem materiam ſine termino: quia hoc non pertinet ad intenſiuam perfectionem illius, ſed ſolùm ad extenſionem. ¶ Hæc tamen euaſio nihilò melior eſt, quam præcedens, & eodem modo præcluditur: quoniam non minus extenſio quantitatis eſt effectus formæ ſubſtantialis, ac intenſio qualitatum: ergo ſicut forma finita ſecundum eſſe petit qualitates finitè intenſas, ita requirit quantitatem finitæ, ac determinatæ extenſionis. Adde primò, quod ſi forma ſubſtantialis poſſet informare maiorem, & maiorem materiam ſine termino, neceſſariò foret infinita ſimpliciter in informando; licèt actu nunquam informaret materiam infinitam: ſicut quia Deus poteſt producere perfectiorem effectum, rectè colligitur virtutem eius eſſe infinitam ſimpliciter, licèt nunquam producat effectum infinitum in actu. Adde ſecundò; formam ignis non poſſe agere ad quamcumque diſtantiam ſine termino, aliàs eſſet infinita in agendo: ergo pariter non poteſt informare quamcumque materiam ſine termino; aliàs erit infinita in informando.

§ II.

Proponitur opinio contraria.

5 COntra noſtram concluſionem ſentiunt B. Albert. 2. *de Anima tract.* 2. *cap.* 4. Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *quæſt.* 9. Toletus *Phyſic. qu.* 8. *concluſ.* 4. & alij plures, qui non ſolùm denegant non viuentibus terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis, ſed etiam extrinſecum: exiſtimant enim, quod non viuentia poſſunt abſque termino augeri in infinitum.

Probatur primò ex Ariſtot. 2. *de Anima text.* 4. vbi inquit: *Nam cum ignis augeri in infinitum poſſit, quandiu aliquid ſubeſt, quod comburatur, &c.* Vbi D. Thom. *lect.* 8. hæc habet: *Ignis augmentum non eſt vſque ad determinatam quantitatem; ſed in infinitum extenditur, ſi in infinitum materia combuſtibilis inueniatur*. Et hinc probat, vterque ignem non poſſe eſſe cauſam augmenti viuentis, videlicet, quia viuens habet terminum ſuæ magnitudinis, ſecùs verò ignis: ergo ſentiunt, quod ignis caret in ſua magnitudine eo termino, qui competit viuentibus: ſed viuens habet terminum intrinſecum: ergo ignis caret termino intrinſeco, idemquè dicendum erit de alijs non viuentibus.

Reſpondetur, quod ignis dupliciter poteſt eſſe vnus: vno modo ſimpliciter, & quaſi vnicum indiuiduum in ſua ſpecie: altero modo per aggregationem, ſicut aceruus lapidum. Cùm igitur Ariſtot. & D. Th. docent, augmentum ignis non habere terminum, loquuntur de illo poſteriori modo conſiderato, quâ ratione poteſt dilatari in infinitum; ſecùs autem priori modo accepto: ſic enim præfigit ſibi certum terminum, tàm magnitudinis, quàm paruitatis, vt conſtat ex dictis. Quod perſpicuum fiet conſideranti mentem Philoſophi, & S. Doctoris: intendebant enim docere, quod ignis non eſt cauſa augmenti corporis viuentis. Porrò ad hoc oſtendendum ſufficit, quod ignis poſſit aliam, & aliam materiam ſibi indiſtantem comburere, igniquè de nouo genito contiguare, ac proinde fieri vnus per aggregationem. Nam cum augmentum viuentium ſit augmentum per ſe, & deſeruiens enti, quod eſt ſimpliciter vnum, ſequeretur, quod ſi ignis eſſet principium huius augmenti, viuens auctum careret ex vna parte termino ſui augmenti, ob maximam actiuitatem ignis continuò diſponentis quamcumque materiam: & ex altera parte eſſet vnum ſimpliciter, quia hoc eſt de ratione viuentis: & ideò repugnat, quod ignis ſit principium augmenti in viuentibus. Quod non ſic procedit in igne prout in ſe ipſo: hic enim non petit in ſuo augmento eſſe vnum ſimpliciter, ſed poteſt eſſe vnus per aggregationem, & eodem modo ſubire augmentum infinitum in potentia, vt conſtat ex dictis.

6 Sed contra arguitur ſecundò: quoniam ignis, quantumuis magnus ſit, ſi illi applicetur ſtupa, eam comburet, & in ſe conuertet; ſiquidem *ignis nunquam dicit, ſufficit, Prouerb.* 3. & conſequenter fiet maior non per aggregationem, ſed ſimpliciter: ergo non eſt poſſibilis ignis maximus. Patet conſequentia; nam aliàs daretur ignis maior maximo, quod repugnat. ¶ Confirmatur; quia quantitas requiritur, tanquam diſpoſitio ad operandum:

ſed

Digitized by Google

ſed ignis, quo ſit maior, eò ſit actiuior, ac potentior ad operandum, vt experientia liquet; ergo ignis nullam ſibi determinat certam quantitatem.

Reſpondetur ad argumentum, ignem in illo caſu combuſturum ſtupam; non tamen continuari cum illo igne à ſe genito, ſed duntaxat fieri vnum per aggregationem, ſeu contiguitatem cum eo: quippè cùm iam ſit in vltimo termino ſui augmenti, ex hoc ipſo impeditur, ne cum alio continuetur, & ampliùs augeatur. Quod ſi ſenſus oppoſitum iudicauerit, corrigendus eſt per intellectum ob rationes, quas ſupra expendimus. ¶ Vnde ad confirmationem dicendum eſt, ignem per augmentum fieri magis actiuum, & validum vſque ad terminum intrinſecum ſui augmenti. Si verò pertingat ad iſtum: vel non poterit vllo modo ampliùs augeri, vt nuper dicebamus; vel eſto, quod augeatur, non erit in diſpoſitione ſibi connaturali, ac proinde nec meliùs diſpoſitus ad agendum: ſed erit in via corruptionis. Oppoſitum autem nequit ſuaderi vlla experientia: quia nos nunquam vidimus ignem ſub vltimo termino ſuæ magnitudinis, qui proculdubio eſt ſatis amplus, vt conſtat in ſphæra ignis, quæ excedit alia tria elementa ſimul ſumpta, vt tradit D. Thom. *opuſc. 2. cap. 18.*

7 Vltimò arguitur: nam ideo viuentia nequeunt in infinitum augeri, quia eorum accretio prouenit à virtute interna, quæ eſt finita, vſuquè minuitur: ſed augmentum non viuentium, ſolùm fit per iuxta poſitionem, in quo nulla facultas interna laborat, aut langueſcit, ſed potiùs perficitur: ergo non viuentia nullum ex ſe petunt terminum intrinſecum, vel extrinſecum ſui augmenti. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: quoniam licèt non viuentibus non repugnet augmentum infinitum ob eas rationes, quæ ſpecialiter militant in viuentibus; repugnat nihilominùs ob generalem rationem, quam ſupra expendimus, nimirùm quia formæ ſubſtantiali determinatæ debetur determinata quantitas, ſicut reliqua accidentia.

QVÆSTIO II.

Vtrum ſicut viuentia, ita & non viuentia habeant terminos ſuæ paruitatis.

8 IN hac quæſtione, non minùs, ac in præcedenti, vnum ſupponimus, vt verum, & de alio dubitamus. Supponimus, quod viuentia habent terminum intrinſecum, & extrinſecum ſuæ paruitatis: tùm quia ita docent Ariſtot. D. Thom. & communiter Doctores. Tum quia forma viuentium eſt determinata, ac proinde petit determinatas diſpoſitiones, & quantitatem, & in maius, & in minus. Tùm quia ſi viuentia non haberent terminum intrinſecum verſus paruitatem, cùm primò generantur, inciperent *per vltimò non eſſe*, ſiue in tempore; cuius oppoſitum oſtendimus *diſp. præc. nu. 12.* Nam data in hoc inſtanti quantitate, quæ ſit *maximum quod non*, reſpectu hominis, ſiue ſub qua non poſſit homo generari, benè tamen ſub quacumque majori, & prædicta quantitas augeatur in tempore immediatè ſequenti: tunc ſicut in hoc inſtanti verificabitur. *Nunc non eſt quantitas idonea ad generationem hominis, & immediatè poſt erit*; ita verè enuntiabitur: *Nunc non eſt homo, & immediatè poſt erit.* Quod eſt incipere *per vltimum non eſſe*, & in tempore. Vndè ſuppoſito, quod viuentia habeant certum terminum ſuæ paruitatis, inueſtigamus, an idem conueniat non viuentibus.

§. I.

Eligitur pars affirmatiua.

9 DIcendum eſt, non viuentia terminari intrinſecè verſus paruitatem. Ita D. Thom. *in 4. diſt. 12. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3.* vbi inquit: *Subſtantia panis poteſt corrumpi ex parte qualitatis, vt alteratione; & ex parte quantitatis: quia cùm vnaquæque res naturalis habeat quantitatem determinatam, in tantum poterit fieri diuiſio, quod non remanebit ſpecies.* Idem habet *3. p. q. 77. art. 4.* vbi hac ratione probat, poſſe ita pulueriʒari quantitatem Euchariſticam, & in tam minutiſſimas partes diuidi, vt deſinat eſſe ſub illis corpus Chriſti Domini; eò videlicet, quia deſineret eſſe ſub illis ſubſtantia panis; ſi ibidem eſſet. Vndè S. Doctorem ſequuntur communiter eius diſcipuli, & alij plures.

Et quamvis veritas noſtræ aſſertionis ſatis liquidò conſtet ex dictis *in quæſt. præc.* poteſt nihilominùs alia duplici ratione communiri, quarum prima ſic procedit: quoniam forma ſubſtantialis non introducitur, connaturaliter loquendo, niſi in materia, in qua valeat exercere ſuas operationes; cùm vnumquodque ſit propter ſuam operationem, ex Ariſt. 2. *de Cœlo, cap. 3. & primo Ethic. cap. 7.* ſed poteſt eſſe adeò exigua materia, vt in illa nequeat forma non viuentis operari, vt conſtat, tùm ex ſe, tùm exemplo inſtrumentorum artis pingendi, quæ poſſunt eſſe ita parua, vt nullam valeant exercere artis operationem: ergo formæ non viuentium petunt certum, & intrinſecum terminum verſus paruitatem, ita vt ſub illo eſſe poſſunt, non tamen ſub minori, & minori.

10 Secundò probatur concluſio eneruando præcipuum fundamentum Aduerſariorum: quoniam ideo poſſent non viuentia generari in minori, & minori quantitate, quia ſunt homogenea, ſiue habentia partes eiuſdem rationis: ſed hæc ratio eſt nulla: ergo, &c. Suadetur minor: quia aliàs poſſet etiam generari viuens ſub minori, & minori quantitate: quod ipſi non admittunt. Sequela autem oſtenditur: nam licèt viuens conſtet partibus diuerſæ rationis, vtputa oſſe, carne, &c. nihilominùs quælibet ex ijs partibus ſingillatim ſumpta eſt homogenea; cùm quælibet pars oſſis ſit os, & pars carnis caro: ac proinde, ſi ratio oppoſitæ ſententiæ aliquid probat, poterit dari os in minori, & minori quantitate, idemquè erit de carne, & alijs partibus corporis. Ex quo vlteriùs fiet, quod viuens poſſit generari in minori, & minori quantitate; ſiquidem non diſtinguitur ab omnibus ſuis partibus ſimul ſumptis.

§. II.

Conuelluntur oppoſita fundamenta.

11 COntrariam ſententiam tuentur Scotus *in 2. diſt. quæſt. 9.* Ockam ibidem, *diſt. 28.* & alij. Pro qua arguitur primò: quia ignis, quantumvis exiguus ſit, poteſt diuidi in duas medietates, ſub quarum qualibet maneat forma ignis: ergo in igne non datur quantitas minima; hæc quippè ſi daretur, jam talis ignis ſub ea exiſtens non valeret diuidi. Conſequentia liquet. Antecedens verò ſuadetur, tùm quia ignis eſt quantus: quantum autem eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia. Tùm etiam, quia cùm ignis ſit homogeneus, in qualibet eius parte ſaluabitur natura ignis.

Huic argumento, (quod ſi rectè expendatur, æquè pro-

Digitized by Google

procedit in viuentibus; quibus tamen concedit Scotus minimum naturale) reſpondetur negando antecedens: ad cuius primam probationem dicendum eſt, quod licèt quantitas mathematicè conſiderata, quo pacto præſcindit ab omni materia ſenſibili, queat ſine termino diuidi: quia prædicto modo ſumpta, ſolùm dicit ſe ipſam, cui in quantum tali, non repugnat diuiſibilitas: attamen phyſicè conſiderata, quo pacto ſumitur in præſenti, concernit formam ſubſtantialem, eſtquè diſpoſitio ad illam: vndè determinare debet certum terminum, & in majus, & in minus. Ad ſecundam dicimus, quod licèt quævis pars ignis habeat ignis naturam, quælibet tamen petit ad ſui conſeruationem certam quantitatem verſus paruitatem: quâ deficiente, non poterit natura ignis conſeruari in illa parte, ſed deſinet per diuiſionem.

12 Arguitur ſecundò: nam ignis v. g. applicatus ligno prius, ac fortiùs agit in partem proximam, quam in remotam; ac proinde priùs introducet vltimam diſpoſitionem ad formam, & conſequenter ipſam formam in parte vicina, quam in diſtanti: at quælibet pars eſt diuiſibilis in aliàs infinitas partes igni magis vicinas: ergo ignis introducet formam non in aliqua parte determinata, ſed in minori, & minori: ergo entia naturalia non habent terminum verſus paruitatem.

Reſpondetur, formam ſubſtantialem non introduci in materia vſquedùm hæc ſit vltimò diſpoſita ad receptionem formæ: vltima autem diſpoſitio ad formam ignis, non dicit ſolùm calorem vt ſeptem; ſed etiam importat dilationem illius per certam quantitatem: quocirçà licèt ignis priùs calefaciat vnas partes, quam alias; formam tamen ſubſtantialem non introducet, vſquedùm vltimò diſponatur certa, ac determinata quantitas, ea videlicet, quæ requiritur ad formam ignis. Et in hoc ſenſu conceſſis præmiſſis, negatur vtraque conſequentia argumenti.

13 Tertiò arguitur: quoniam eo modo deſtruitur alimentum, quo conuertitur in alitum: ſed huiuſmodi conuerſio ſit ſucceſſiuè, ideòque per partes minores, & minores: ergo pariter deſtructio alimenti ſit per partes minores, & minores: ergo nunquam pars alimenti erit ita minima, qua non poſſit dari alia minor; & conſequenter non datur minima pars.

Reſpondetur concedendo, quod forma alimenti poſſit via corruptionis eſſe ſub quantitate minori, & minori, quam ſit illa, quæ ad eius generationem, & connaturalem ſtatum deſideratur. Hinc tamen non deducitur argumentum ad perſuadendum, quod entia naturalia ſecundum ſuum eſſe, & ſtatum naturalem, non exigant certam quantitatem, & in majus, & in minus. Viuentia verò ideo poſſunt augeri per partes minores, & minores, quia forma eorum non introducitur primò in illis partibus ſeorſim acceptis; ſed vt aggregatis ijs, in quibus jam forma præexiſtebat: & ideo numquam illorum forma eſt ſub quantitate minori minima.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM.

VT perfectior notitia motus haberetur, diſſeruit Ariſtotel. de illo per comparationem ad motores, & mobilia. Et quamvis plures circa hoc poſſent excitari difficultates; paucis tamen Philoſophus totam materiam abſoluit; & cuncta, quæ in præſenti ſtatuit, vel alibi exponuntur, vel leui manu illuſtrantur. Quamobrem ſolùm ea, quæ hic communiter verſant Interpretes, aliȷs relictis, ſtrictim percurremus.

DISPVTATIO XXVI.

De conditionibus ad agendum.

DVÆ ſunt præcipuæ conditiones ad mouendum requiſitæ, quas Ariſtoteles *in hoc libro* ſtatuit, nimirùm applicatio agentis ad paſſum, & realis diſtinctio inter utrumque: & ideò peculiariter de illis procedit præſens diſputatio. Agemus autem priùs de diſtinctione, quia iſtius conditionis notitia eſt valdè neceſſaria.

QVÆSTIO I.

An idem, & ſecundum idem poſſit ſe ipſum per ſe primò mouere?

PRæſens difficultas ſolùm verſatur circa motum propriè dictum, qui eſt actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia, & per ſe pertinet ad inſtitutum philoſophicum; ob connexionem tamen doctrinæ, non potenimus non attingere aliqua circa omnem motum, ſeu actum. Ly autem *per ſe primò* poſitum in titulo, denotat, quod mouens ſit cauſa principalis: inſtrumentum quippè mouet duntaxat ſecundariò, & in virtute alterius.

§. I.

Reſolutio dubȷ iuxta mentem Ariſtotelis.

1 DIcendum eſt, non poſse idem mouere per ſe primò ſe ipſum; ſed omne, quod mouetur, ab alio moueri. Hanc concluſionem ſtatuit, & probat ex profeſso Ariſt. *in hoc lib. cap. 1. & lib. ſequenti. textu* 40. & alibi ſæpè. Philoſophum ſequuntur D. Thom. 1. *contra Gentes, cap. 13. & prima parte quæſt. 2. art. 3.* B. Albert. Simplicius, Themiſtius, & communiter Interpretes.

Ratio fundamentalis huius aſsertionis proponitur à D. Thom. *loco citato ex primo contra Gentes*, his verbis: *Nihil eſt ſimul in actu, & in potentia reſpectu eiuſdem: ſed omne quod mouetur, in quantum huiuſmodi, eſt in potentia, quia motus eſt actus exiſtentis in potentia, ſecundum quod huiuſmodi. Omne autem, quod mouet, eſt in actu, in quantum huiuſmodi; quia nihil agit, niſi in quantum eſt in actu: ergo nihil eſt reſpectu eiuſdem actu mouens, & motum, & ſic nihil mouet ſeipſum.*

Reſpondet Scotus, quod licet idem nequeat eſse ſimul in actu formali, & in potentia formali reſpectu eiuſdem; valet tamen eſse in actu virtuali, & in potentia formali: quoniam optimè componitur, quod aliquid præcontineat virtualiter actum, ad quem eſt in potentia formali, vt videre eſt in intellectu reſpectu ſuarum intellectionum. Porrò vt aliquid moueat ſe, vel alia, ſufficit præcontinere prædicto modo, tùm motum, tùm terminum illius: vndè non eſt neceſsarium, vt omne, quod mouetur ab alio moueatur.

2 Hæc tamen euaſio poteſt efficaciter refelli: quoniam vt aliquid moueat per ſe primò, ſeu principaliter ſe ipſum, vel alia: non ſufficit, quod ſit in actu virtuali imperfecto reſpectu effectus; ſed debet eſse in actu perfecto formali, vel eminentiali: atqui repugnat, quod idem ſit in actu formali, vel eminentiali, & ſimul in potentia formali reſpectu eiuſdem: ergo nihil poteſt per ſe primò moueri à ſe. Major ſola declaratione indiget: etenim præcontinentia virtualis eſt duplex, alia perfecta, quæ coincidit cum eminentiali: & tunc datur, quando vna entitas continetur in alia magis perfecta, & ſub modo perfectiori, quàm habeat formaliter in ſe ipſa: quo pacto creatura continetur in Deo, & calor in ſole. Alia eſt præcontinentia virtualis imperfecta, & cui frequentiùs nomen præcontinentiæ virtualis adſcribitur: quæ fundatur in actu viali, & minus perfecto, quam ſit res præcontenta: & hac ratione motus præcontinet terminum, & ſemen animal, & quodlibet inſtrumentum effectum, quem producit. Conſtat autem, quod ad rationem

Digitized by Google

tionem cauſæ principalis deſideratur major, vel ſaltem æqualis perfectio cum effectu producendo, & conſequenter, præcontinentiam virtualem imperfectam eſſe inſufficientem ad conſtitutionem cauſæ principalis; ſed requiri continentiam perfectam formalem, vel eminentialem.

Minor autem quoad actum formalem admittitur ab Aduerſarijs, & eſt ſatis manifeſta; alias poſſet idem eſſe actu formaliter calidum, & eſſe in potentia ad calorem: quod manifeſtè repugnat. Quoad actum verò eminentialem, ſiue virtualem perfectum ſuadetur *primò*: quia id, quod eſt in actu eminentiali, habet eſſe in actu perfectiori modo, quam id, quod eſt præcisè in actu formali, vt conſtat exemplis ſupra adductis: ergo ſi repugnat, quod aliquid ſit in actu formali, & in potentia formali reſpectu eiuſdem, multò magis repugnabit eſſe in actu eminentiali, & in potentia formali. *Secundò*: nam id, quod eſt in potentia formali ad aliquid recipiendum reſpicit, & recipit illud ad ſui complementum, & perfectionem: ſed quod continet eminenter aliquam formam, nequit eam recipere, aut per eam formaliter acceptam compleri, & perfici; cum perfectiori modo illam præcontineat, vt patet in ſole, qui hac de cauſa nequit recipere calorem: ergo id, quod exiſtit in actu eminentiali reſpectu alicuius formæ, nequit eſſe in potentia formali ad illam recipiendam. *Tertiò*: nam ideò nequit idem eſſe ſimul in actu, & in potentia formalibus reſpectu eiuſdem, ne ſimul ſit perfectum, & imperfectum in ordine ad idem: hæc autem ratio vrgentiùs probat de actu eminentiali, quandoquidem cauſa continens eminenter aliquem effectum non eſt imperfecta reſpectu illius, cùm ipſum perfectiori modo contineat, quam cauſa vniuoca, in qua continetur ſecundum actum formalem: ergo nequit in eodem, & reſpectu eiuſdem effectus conjungi continentia in actu eminentiali, & potentia ad ipſum recipiendum. *Quartò*: deniquè quoniam agens naturale habens virtutem ſufficientem ad producendum effectum, neceſſariò illum producit: ergo ſi ratione eminentiæ, aut continentiæ virtualis valet illum in ſe ipſo producere, illum de facto producet, & habebit actu in ſe; & conſequenter non erit in potentia ad illum recipiendum. Stet igitur, non poſſe conjungi in eodem ſubiecto continentiam eminentialem cum potentia receptiua reſpectu eiuſdem effectus. Ad id verò, quod in euaſione hactenùs impugnata tangitur de intellectu, & eius actibus, conſtabit ex ſolutione argumentorum.

§. II.

Proponitur opinio contraria.

3 ADuerſus noſtram concluſionem ſentit Scotus 9. *Metaph. q.* 14. Iandunus 8. *Phyſ. q.* 12. Greg. *in* 2. *diſt* 6. *q.* 1. *art.* 3. & alij. Probatur primo hæc opinio ratione: nam plura ſunt, quæ ſe ipſa intendunt, vt patet in calore ventriculi, qui intenſior eſt in hyeme, & in aqua puteorum, quæ frigidior eſt in æſtate; cuius intenſionis nulla cauſa extrinſeca deſignari valet: ergo idem poteſt agere in ſe ipſum, & ſe mouere per ſe primò.

Reſpondetur negando antecedens: & ad inductam probationem dicendum eſt, calorem ſtomachi eſſe vigorosiorem in hyeme ob antiperiſtaſim: frigus enim circumſtans conſtringit poros, impeditquè, ne ſpiritus vitales, qui calidiſſimi ſunt, & ſtomachum fouent, ad extremas partes erumpant. Aqua autem putealis eſt frigidior in æſtate, quia vapores calidi, qui ſubtus terram in hyeme exiſtebant, & aquæ frigiditatem remittebant, ac temperabant, trahuntur virtute ſolis maximè in æſtate vigentis: vnde, eis diſcedentibus, recuperat aqua ſuam naturalem frigiditatem per puram reſultantiam; cuius præcipua cauſa non eſt ipſa aqua, ſed generans, à quo primò producta eſt. Videatur Ariſt. *ſectione* 1. *Problem. quæſtione* 29. & Galenus *libr. in Aphoriſmos Hippocrat.*

4 Secundò arguitur: quoniam viuentia mouent actiuè, & principaliter ſe ipſa; in hoc quippè diſtinguuntur à non viuentibus iuxta illud Philoſ. 8. *Phyſ. text.* 29. *Officium vitæ eſt moueri à ſe*: ergo non repugnat vniuerſaliter, quod aliquid per ſe primò moueat ſe ipſum.

Reſpondetur, hoc argumento ſolùm probari, quod non ſemper requiritur diſtinctio ſuppoſitorum inter mouens, & mobile, minimè verò conuincere, quod non detur diſtinctio realis ſaltem inter partem per ſe mouentem, & per ſe motam in eodem ſuppoſito. Et hoc poſteriùs deſiderabatur, vt idem, & ſecundum idem valeret per ſe primò mouere ſe ipſum. In viuentibus autem dantur partes diuerſæ rationis, & ſecundum vnam earum poteſt viuens mouere, & ſecundum alteram moueri: atque ideo non mouetur à ſe ipſo ſecundum idem, ſed ſecundum diuerſa.

Sed replicabis: quoniam illa prima pars, quæ mouet alias, vti ſe habet cor in animalibus, vel mouetur à ſe, vel mouetur ab agente extrinſeco? Si mouetur à ſe: ergo iam viuens ſecundum vnam, & eandem partem mouet, ac mouetur. Si verò illa pars moueatur ab agente extrinſeco, ſequitur, quod viuens ſecundum illam partem non viuat; ſiquidem officium vitæ eſt moueri à ſe.

Reſpondetur, quod motus cordis tribuitur generanti, tanquam principio *quod* principaliter, & proximè mouenti, vt apertè docet D. Thom. *opuſc. de motu cordis*. Et ratio eſt: quia prædictus motus ſe habet, vt propria paſſio animalis: quandoquidem animal non eſt conſtitutum in debita ſibi diſpoſitione, quouſque ponatur in eo ſtatu, vt poſſit ſe mouere: conſtituitur autem ſimpliciter in illo per primum motum, qui eſt motus cordis: quamobrem debet prædictus motus attribui generanti, ſicut cauſæ principali, & particulari. Neque hinc ſequitur, quod motus cordis non ſit vitalis: quia ſufficit, quod oriatur per dimanationem ab anima, quæ eſt principium vitæ, quippè cum motus petens ex ſe oriri per dimanationem à principio vitæ, nequeat non eſſe intrinſecè vitalis, tametſi proueniat à generante, tanquam à principio per ſe mouente. Cum autem dicitur officium vitæ eſſe moueri à ſe, non eſt ſenſus, quod anima, quæ eſt vita in actu primo, moueat, & moueatur ſecundum eandem partem, vel rationem formalem; hoc enim eſt impoſſibile, vt conſtat ex dictis: ſed ſolùm ſignificatur, quod moueat, & moueatur ſecundum diuerſas partes eiuſdem ſuppoſiti. Et quia talis diuerſitas non reperitur in corde, cum moueatur ſecundum ſe totum: opus eſt, vt recurramus ad extrinſecum motorem, nempè ad generans, cui incumbit conſtituere animal in actu primo proximo ad ſe mouendum, communicando illi primum motum. Qui hac de cauſa à perfectione vitæ declinat, & dicit admixtum aliquid motus naturalis, & ſe habet admitar proprietatis.

5 Tertiò arguitur: nam in motibus, qui ſunt actus perfecti, idem eſt mouens, & mobile; quandoquidem anima per voluntatem, & mouet producendo volitionem, & mouetur recipiendo illam; idemquè præſtat per intellectum producendo, & recipiendo intellectionem: ergo idem dicendum eſt de motibus, qui ſunt actus imperfecti. Patet conſequentia: quoniam ſi requireretur diſtinctio realis inter agens, & paſſum, eſſet ob generalem rationem, & conditiones agentis, & paſſi, vt conſtat ex ratione à nobis facta.

Reſpondetur negando antecedens, quia nec voluntas, nec intellectus mouent, ac mouentur ſecundum idem: etenim voluntas in primo actu, ſiue intentione finis mouetur ab Auctore naturæ, tum per præmotionem, tùm per cognitionem intellectus. Vbi autem eſt ſufficienter conſtituta in actu per actum intentionis, producit actum electionis, qui recipitur in ſola voluntate: ac proinde hæc mouet, & mouetur ſecundum diuerſas rationes. Idemquè proportionabiliter aſſerendum eſt de intellectu: nam in prima cognitione in quolibet ordine, & rerum ſerie, mouetur ſpecialiter ab Auctore naturæ: deinde conſtitutus in actu per hanc cognitionem elicit alias intellectiones, quas ſecundum ſuam entitatem acceptus recipit. Præterquam quod intellectus elicit cognitionem, vt conſtitutus in actu per ſpeciem; recipit verò cognitionem ſumptus ſecundum ſe. Quocircà mouet, & mouetur non ſecundum idem, ſed ſecundum diuerſa. Hinc tamen non inferas, prædictos actus non eſſe perfectè vitales: ad hoc quippè ſufficit; quod à principio vitæ, videlicet anima, & medijs potentijs vitalibus eliciantur; quamvis ad prædictos primos actus requiratur ſpecialis motio Dei, vt agentis particularis.

Vltimò arguitur: quia grauia, & leuia mouent ſe ipſa in proprium locum per modum cauſæ principalis; ſiquidem habent in ſe grauitatem, & leuitatem, quæ ſunt virtutes ſufficientes ad motum localem: & tamen recipiunt in ſe prædictos motus: ergo idem, & ſecundum idem poteſt ſe ipſum per ſe primò, ac principaliter mouere. ¶ Reſpondetur negando maiorem: quoniam cauſa principalis, & proxima prædictorum motuum non eſt corpus graue, vel leue, quod mouetur; ſed generans, à quo eſt productum, vt conſtabit ex his, quæ ſtatim dicemus.

QVÆSTIO II.

An grauia, & leuia moueantur localiter à generante, vel à ſe ipſis.

SVpponimus in hac *quæſt.* grauia, & leuia moueri per accidens à remouente prohibens: nam, vt experientia compertum eſt, qui remouet obſtaculum, vt deſcendat lapis, concurrit per accidens ad motum, quo ille deſcendit. Difficultas autem eſt, an principium per ſe, & principaliter influens in motus grauium, & leuium ſit generans, à quo acceperunt eſſe, an verò ipſum ſuppoſitum, quod mouetur.

§. I.

Statuitur ſententia Ariſtot. & D. Thomæ.

6 DIcendum eſt, grauia, & leuia non moueri localiter à ſe ipſis, ſed moueri per ſe à generante, tanquam à principio *quod* proximo, & principali. Ita Ariſtot. & D. Thom. vt ſtatim videbimus, B. Albert. Magn. 8. *Phyſic. tract.* 2. *cap.* 4. Sotus ibidem *quæſt.* 3. Caietan. 1. *p. quæſt.* 18. *art.* 1. Ferrar. 4. *contra Gent. cap. vltimo*, & communiter Thomiſtæ: quos etiam ſectatur Suarez *diſp.* 18. *Metaph. ſect.* 7. *num.* 21.

Probatur primò ex Philoſopho *lib.* 8. *huius operis text.* 33. vbi inquit: *Quæcumque à ſe ipſis mouentur ab aliquo mouentur, & quæ non à ſe ipſis, vt leuia, & grauia (aut enim à generante, & faciente leue, & graue, aut ab eo, quod impedientia, & prohibentia prohibet.)* Conſtat autem, quod remouens prohibentia motum, ſolùm concurrit per accidens ad motum: ergo ſecundum Ariſtot. generans eſt cauſa, cui per ſe debet tribui motus localis grauium, & leuium. ¶ Confirmatur ex D. Thom. 1. *p. q.* 18. *art.* 1. *in corp. & in ſolutione ad* 2. vbi ait: *Corpora grauia, & leuia mouentur à motore extrinſeco, vel generante, qui dat formam; vel remouente prohibens, vt dicitur* 8. *Phyſic. & ita non mouent ſe ipſa, vt corpora viuentia.* Similia habet 1. *contra Gent. cap.* 27. & alibi frequenter.

7 Secundò probatur ratione deſumpta ex his, quæ diximus *quæſt. præced.* quoniam lapis v. g. nequit moueri localiter à ſe ipſo, tanquam à cauſa effectiua principali: ſed non apparet alia cauſa, in quam poſſimus reuocare motum lapidis, ſicut in principium proximum, & per ſe, niſi generans, à quo lapis eſt productus; quandoquidem remouens prohibens ſolùm concurrit per accidens: ergo motus localis lapidis eſt à generante, vt à principio principali, proximo, & per ſe. Minor, & conſequentia conſtant. Maior autem ſuadetur: tum quia moueri à ſe eſt proprium officium vitæ: ergo lapis, cum non ſit viuens, nequit moueri à ſe. Tum etiam: quoniam inter mouens, & motum requiritur diſtinctio realis, vel ſuppoſitorum, vel ſaltem partis per ſe mouentis, & partis per ſe motæ in eodem ſuppoſito, vt ſuprà oſtendimus: ſed in lapide non dantur, neque diuerſa ſuppoſita, neque diſtinctæ partes, quarum vna ſit per ſe mouens, & alia per ſe mota; cùm omnes partes lapidis ſint homogeneæ, ſiue eiuſdem rationis: ergo repugnat, quod lapis moueatur localiter à ſe ipſo. In qua ratione vigentiùs confirmanda non immoramur ampliùs, cùm quia illius robur ſatis apparet ex dictis *quæſt. præced.* cum vt aliam ſpecialem proponamus, quam iam ſubijcimus.

8 Tertiò ſuadetur eadem concluſio: nam motus, quo res genita acquirit perfectionem ſibi debitam in inſtanti generationis, attribuendus eſt generanti, ſicut cauſæ principali, proximæ, & per ſe: at grauia, & leuia acquirunt per motum localem perfectionem ſibi debitam in inſtanti generationis: ergo prædictus motus prouenit principaliter, immediatè, & per ſe à generante. Minor conſtat: nam quies, & ſitus in determinato loco huius vniuerſi ſe habet, vt propria paſſio grauium, & leuium: qua de cauſa graue propendit ex ſe in locum deorſum, & leue in locum ſurſum. Sicut enim connaturalis diſpoſitio viuentium eſt eſſe in motu, ſeu moueri à ſe: ita propria diſpoſitio non viuentium eſt quieſcere in proprio centro. Quamobrem quoties grauia, & leuia extra proprium locum generantur, toties conantur, vbi primum poſſunt, acquirere medio motu locali prædictum locum. Maior autem oſtenditur: quoniam generans aliquam rem, debet ei conferre, quidquid illi debetur in inſtanti generationis, iuxta illud: *Qui dat formam, dat conſequentia formam*: & hac ratione productio paſſionum conſequentium eſſentiam genitam tribuitur generanti: ergo pariter motus, quo res genita conſequitur ſtatum, ſeu perfectionem, quæ ſibi debetur in inſtanti generationis, & ob aliquod impedimentum occurrens non potuit illi conferri, debet eſſe principaliter, & immediatè à generante. Probatur hæc conſequentia: quia acquiſitio, ſeu recuperatio perfectionis debitæ in inſtanti generationis eſt complementum ipſius generationis: ergo ſicut generatio, ita & prædicta acquiſitio debet tribui generanti, tanquam cauſæ principali, & immediatæ.

Confirmatur: quoniam emanatio proprietatum ab eſſentia ſemper tribuitur generanti, ſiue talis emanatio ſit in inſtanti generationis, ſiue poſtea; ſiue ſit pura reſultantia, ſiue motus: nam hæc variatio eſt per accidens;

ſed

Digitized by Google

ſed ſitus in proprio loco ſe habet ad inſtar proprietatis grauium, & leuium; ſiquidem ratione propriæ quidditatis fundant, & exigunt talem ſitum: ergo acquiſitio loci debet tribui generanti, licèt ibi interueniat motus localis propter diſtantiam.

9 Sed obijcies, ſequi ex noſtra ratione, quod reſpiratio animalis debeat tribui generanti, ſiquidem eſt diſpoſitio connaturaliter requiſita ad vitam, & perfectionem animalis, incipitquè in inſtanti generationis, ſaltem extrinſecè, & per vltimum non eſse: conſequens eſt abſurdum: ergo. ¶ Reſpondetur negando ſequelam: quia licèt ad generans pertineat conſtituere viuens in actu proximo ad ſe mouendum; & ideo motus cordis, qui eſt primus ſimpliciter in animalibus, & per quem conſtituuntur in actu ad eliciendos alios motus, tribuatur generanti, tanquam cauſæ particulari, & immediatæ: cæterùm reſpiratio, cùm ſupponat animal ſufficienter conſtitutum in actu, & diſtinctionem partis per ſe mouentis, & partis per ſe motæ, poteſt eſse ab animali tanquam à cauſa principali proxima. Vndè non eſt cur motum reſpirationis reuocemus in generans, tanquam in cauſam particularem: hoc quippè ſatisfacit muneri ſuo conſtituendo viuens genitum in actu ſufficienti, vt ſe moueat, & communicando ei eas perfectiones, & motus, quorum viuens nequit eſse principium: inter quos non eſt annumeranda reſpiratio.

§. II.

Demoliuntur Scoti fundamenta.

10 CONtraria nobis opinio placet Scoto *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 10. Gregor. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 3. Valleſ 2. *Phyſicor. cap.* 1. & aliis. Et probatur primò: nam effectus in actu petit cauſam in actu: ſed quando mouetur graue, ſæpè non eſt generans in rerum natura, vt experientia liquet: ergo prædictus motus non poteſt eſse à generante, tanquam à cauſa particulari, & immediata. ¶ Confirmatur nam cauſa mouens debet eſse indiſtans à paſso; ſed generans ſolet diſtare à grauibus, & leuibus cùm mouentur localiter: ergo motus localis grauium, & leuium non eſt attribuendus generanti.

Reſpondetur, non requiri, vt motus ſit actu à generante, quod generans exiſtat actu in ſe ipſo; ſed ſufficit, quod exiſtat in aliqua virtute à ſe deciſa, & genito communicata, vt patet in reſultantia paſſionum poſt aliquod tempus, & in generatione viuentum, quæ frequenter perficitur, quando generans non eſt in rerum natura; & tamen illi tribuitur, quia reliquit ſemen, & exiſtit virtualiter in eo. Per quod etiam ſoluitur confirmatio: quia ſufficit, quod agens ſit indiſtans à paſso, vel per ſe ipſum, vel per ſuam virtutem.

11 Arguitur ſecundò: quia graue genitum in loco ſuperiori, quo magis accedit ad centrum, & recedit à generante, eò velociùs mouetur: ergo non mouetur à generante, ſed à ſe. Probatur conſequentia: nam agens fortiùs agit in propinquum, quam indiſtans, atque ideò ſi graue moueretur à generante, eò remiſſiùs moueretur, quo magis diſtat ab illo.

Reſpondetur negando conſequentiam, cuius probatio ſolum procedit cæteris paribus; ſecùs verò, quando cætera non ſunt paria, vt in prædicto caſu contingit; nam quanto magis corpus graue accedit ad centrum, eò magis confortatur grauitas illius ob propinquitatem ad proprium locum, vbi grauitas perfectiſſimè reperitur. Vndè cùm graue reddatur meliùs diſpoſitum, fit aptiùs ad meliùs recipiendum motum generantis: & conſequenter licèt magis diſtet ab illo, poteſt velociùs moueri. Quam ſolutionem tradit D. Thom. *lib.* 1. *de Cælo lect.* 17.

12 Arguitur tertiò: quoniam motus grauium, & leuium procedunt actiuè ab eorum grauitate, & leuitate: ſed non tanquam à forma inſtrumentali; cùm perfectior ſit grauitas v.g. quam motus: ergo tanquam à virtute principali; & conſequenter grauia, & leuia mouentur principaliter à ſe ipſis, & non à generante. Maiorem docent Ariſt. *lib.* 4. *huius operis text.* 86. *& lib.* 8. *text.* 32. D. Thom. 3. *contra Gent. cap.* 24. *& in* 2. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 2. vbi inquit: *Non eodem modo omnes motus dicuntur naturales, ſed quidem propter principium actiuum intus exiſtens, vt motus localis grauium, & leuium.*

Reſpondetur, quod vt ſupra oſtendimus *diſp.* 10. *num.* 33. principium actiuum eſt duplex: aliud quod influit per rigoroſam actionem, ſiue principaliter, ſiue inſtrumentaliter; aliud verò, ad quod effectus conſequitur per ſolam dimanationem: quo pacto eſſentia eſt principium actiuum ſuarum proprietatum, & prima proprietas ſe habet ad ſecundam. Cùm igitur Ariſt. & D. Thom. dicunt, grauitatem, & leuitatem concurrere actiuè ad motus locales, loquuntur de principio actiuo ſumpto poſteriori modo. Quamobrem, ſicut proprietates, licèt fluant actiuè ab eſſentia per dimanationem, tribuuntur tamen à generante, ſicut à principio *quod* rigoroſo, particulari, & immediato: ita quamvis motus locales grauium, & leuium ſint à grauitate, & leuitate, tanquam à virtutibus actiuis per dimanationem, & ſecundum quid; debent tamen attribui ſimpliciter generanti; ſicut principio efficienti vt *quod* particulari, & immediato. Quod ſi Angelicus Doct. (vt ſic vno verbo aliis teſtimoniis occurramus) *in lib.* 2. *de Cælo text.* 9. & in aliis locis denegare videatur omnem actiuitatem grauitati, & leuitati reſpectu motuum; intelligendus eſt de actiuitate rigoroſa, quæ eſt per actionem mediam principalem, vel inſtrumentalem: non verò de actiuitate vtcumque, qualiter ſe habet agere per ſolam dimanationem.

QVÆSTIO III.

Vtrum cauſa efficiens debeat coniungi paſſo, vt in illud agat.

13 ALiis verbis ſolèt hæc difficultas proponi, videlicet, an agens poſſit agere in diſtans, quin priùs agat in paſſum ſibi propinquum, & coniunctum; ſed ſenſus in idem coincidit, vt conſideranti conſtabit. Ad eius autem reſolutionem præmittendum eſt, quod coniunctio agentis ad paſſum eſt duplex, virtualis nimirum, & formalis. Prior tunc datur, quando cauſa attingit effectum virtute propria, & non inſtrumentalis, ſiue talis virtus reſideat in ſola cauſa principali; ſiue communicetur inſtrumento, medio quo effectus attingitur; ſiue diffundatur per aliquod ſpatium quouſque perueniat ad paſſum: quo pacto ſol agens in hæc inferiora dicitur coniungi illis immediatione virtutis. Poſterior autem coniungit, quando inter ſuppoſitum agens, & ſuppoſitum patiens nullum aliud ſuppoſitum mediat, ſed ſunt inter ſe indiſtantia: qua ratione ignis coniungitur ligno ſibi contiguo, in quod agit. Igitur, quod in præſenti diſcutimus eſt, an agens poſſit agere in paſſum, quin illud contingat aliqua ex prædictis coniunctionibus; vel, quod in idem redit, poſſit agere in diſtans, quin priùs agit in paſſum ſibi contiguum.

§. I.

Reſolutio difficultatis ſecundum Ariſtot. & D. Thomam.

14 DIcendum eſt, cauſam efficientem debere eſſe coniunctam coniunctione formali, ſiue ſuppoſiti, illi paſſo, in quo primò ſuum effectum producit; cæteris autem debere ſaltem coniungi immediatione virtutis propriæ, & per contactum ſuppoſiti alieni, cui illa virtus communicatur. Ita Ariſtot. *in hoc lib. cap. 2.* vbi inquit: *Primum autem mouens, non vt id, cuius, cauſa; ſed vndè principium motus eſt, ſimul cum eo, quod mouetur. Simul autem dico; quia nihil inter ipſa eſt. Hoc autem commune eſt in omni, quod mouetur, & quod mouet.* Quæ verba ſic illuſtrat D. Thom. *Intelligit autem hoc de immediatè mouente; & ideo dixit, primum mouens, vt per primum ſignificetur immediatum mobile, non autem id, quod eſt primum in ordine mouentium. Et dictum eſt communiter, quod mouens, & motum ſunt ſimul, & non ſpecialiter de motu locali: quia hoc eſt commune in omni ſpecie motus, quod mouens, & motum ſunt ſimul.* Idem defendunt D. Bonauent. *in 1. diſt. 37. art. 2. quæſt. 1.* Argentinas ibidem *quæſt. 1. art. 1.* Durandus *quæſt. 1.* Capreolus *quæſt. 1. art. 1. & 3.* Gaiet. Bañez, Zumel, Nazar. *1. p. quæſt. 8. articulo primo*, & alii plures, tàm ex antiquis, quàm ex modernis.

Probatur ratione: quoniam virtus actiua debet eſſe immediatè coniuncta actioni, per quam producitur effectus: ſed prædicta actio immediatè coniungitur effectui: ergo omne agens debet eſſe immediatè coniunctum paſſo, ſaltem immediatione virtutis; ergo ſi prædicta virtus exiſtit præciſè in agente principali, dabitur immediata coniunctio ſuppoſitorum inter principale agens, & paſſum; ſi verò communicetur inſtrumento, dabitur contactus immediatus ſuppoſitorum inter inſtrumentum, & paſſum, & priùs cauſa principalis aget, vel in inſtrumentum eleuando illud, vel in medium diffundendo per illud ſuam virtutem. Vtraque conſequentia eſt ſatis nota. Minor autem ſuadetur: quia actio attingens effectum communicat illi ſuam entitatem, vel extrahendo illum ex nihilo, vel educendo eius formam ex materia: ergo nequit non eſſe intimè præſens effectui, illique immediatè coniungi. Quod maximè verificatur in actionibus tranſeuntibus: iſtæ enim recipiuntur in paſſo, vt ſupra oſtendimus *diſp. 17. quæſt. 3.* Maior etiam oſtenditur: tùm quia actio eſt ipſa datio, & communicatio, qua virtus actiua ſe diffundit: ſed nihil poteſt ſe communicare per id, quod eſt ab eo diſtans: ergo virtus debet eſſe immediatè coniuncta actioni, per quam attingit effectum. Tùm etiam, quia actio eſt cauſalitas virtutis actiuæ, ſed quęnis cauſa eſt immediatè præſens ſuæ cauſalitati, & ab ea indiſtans: ergo virtus immediatè coniungitur actioni.

Confirmatur, & explicatur primò: nam vel agens operatur per virtutem à ſe deriuatam, & receptam in alio; vel per virtutem exiſtentem ſolùm in ipſo. Si primum: ergo priùs agit in propinquum, quam indiſtans; ſiquidem priùs eſt, quod communicet virtutem medio, quam quod eo mediante, agat in paſſum remotum. Si ſecundum, ergo attingit paſſum immediatione non ſolùm virtutis, ſed etiam proprij ſuppoſiti: nam cùm virtus non ſit diffuſa, ſed maneat in ſuppoſito agentis, ibi ſolùm poteſt eſſe immediatè præſens, vbi ſuppoſitum fuerit.

15 Confirmatur ſecundò: quia ſi agens naturale non priùs ageret in propinquum, quam in diſtans, poſſet agere ad quancunque diſtantiam; ſiquidem nihil eſſet, quod illud determinaret ad hanc diſtantiam potiùs quam ad illam: conſequens eſt abſurdum, vt experientia probat: ergo agens naturale nequit agere in diſtans, quin priùs agat in propinquum. Ad hæc: agens naturale per medium rarius agit ad maiorem diſtantiam, & per denſius ad minorem: ſed ſi non ageret priùs in medium ſibi propinquum, quam in paſſum diſtans, hæc diuerſitas medij nihil conduceret ad prædictam actionis variationem: ergo priùs agit in propinquum, quam in diſtans.

Confirmatur denique ab experientiis: quia generans attingit genitum medio ſemine, quod fuit illi coniunctum, & habet virtutem eius: ſimiliter ea, quæ mouentur localiter, vel mouentur à principio coniuncto, & intrinſeco, vt viuentia; vel ſunt coniuncta mouenti ſaltem in principio motus: ſol item non illuminat partem diſtantem, niſi priùs illuminet proximam; & ideo impeditur eius illuminatio per interpoſitionem corporis opaci: obiecta denique viſibilia diffundunt ſuas ſpecies per medium: idemquè poſſet inductiuè oſtendi in omnibus aliis agentibus: ergo cauſa naturalis, ita attingit paſſum remotum contactu virtutis, quod tamen attingat medium, ſiue paſſum ſibi proximum contactu formali, & immediatione ſuppoſiti, ac virtutis, & conſequenter non valet agere in diſtans, quin agat priùs in propinquum.

§. II.

Fit obuiam argumentis opinionis aduerſæ.

16 COntraria ſententia docet, poſſe agens naturale agere in rem diſtantem, quin priùs agat in propinquam, dummodo contineatur intra ſphæram actiuitatis illius. Ita Auicena *in ſuo lib. de Anima ſect. 4. cap. 4.* Alexand. Afrodiſ. *1. Metaph. comment. 8.* Scotus *in 1. diſt. 17. q. vnica*, & communiter Scotiſtæ. Pro qua opinione arguitur primò: quia ſi cauſa naturalis priùs agit in propinquum, quam in diſtans, ſequitur, quod poſſit agere ad quancumque diſtantiam: conſequens eſt falſum; cùm quodlibet agens habeat determinatam ſuæ actiuitatis ſphæram: ergo &c. ſequela oſtenditur: nam ſi prima v. g. pars medij calefit, poterit ſemel calefacta aliam calefacere, & hæc alteram, & ſic in infinitum: ergo ſi agens priùs agit in propinquum, quam in remotum, poterit agere ad quancumque diſtantiam, & abſque termino.

Reſpondetur negando ſequelam, quam probatio inducta minimè euincit: quoniam virtus diffuſa per medium eò redditur debilior, quo magis diſtat ab agente, cùm ob extraneitatem medij, cui imprimitur; cum ob diſtantiam à ſuo principio, quod fortius agit in propinquum, quam in diſtans, vt eſt commune proloquium Philoſophorum. Quamobrem valet qualitas deriuata ab agente peruenire ad ſtatum adeò remiſſum, & imperfectum, vt nequeat iam agere circa aliam partem; quia agere eſt opus perfecti.

17 Arguitur ſecundò: quia ſi omne agens priùs ageret in propinquum, quam in diſtans, fortiùs ageret in medium ſibi proximum, quam in paſſum remotum: ſed poteſt agere vehementius circa remotum, quam in proximum: ergo ſignum eſt, quod poteſt agere in diſtans, quin prius agat in propinquum. Probatur minor ab experientijs: tùm quia ignis magis calefacit ſtupam diſtantem, quam aërem proximum; & ideò comburit illam, & non iſtum. Tùm quia ignis maiorem calorem imprimit partibus ſuperioribus aquæ exiſtentis in lebete, quam fundo ipſius lebetis; ſiquidem feruentibus illis;

Digitized by Google

lis, ſæpè iſtud eſt frigidum. Tùm etiam, quia ſol magis calefacit parietem diſtantem, quam aërem vicinum. Tùm denique, quia flamma fornacis magis calefacit manum, ſi ex directo illi opponatur, quam ſi ponatur ad latus; licèt ad latus poſita minùs diſtet à fornace.

Reſpondetur, quod licèt agens nequeat attingere paſſum diſtans, niſi agendo priùs circa medium; valet tamen aliquem effectum in parte remota inducere, quem non producit in proxima ob iſtius indiſpoſitionem, & incapacitatem: nam agentis actio dependet in productione effectus à diſpoſitione paſſi. Et hac de cauſa ſtupa diſtans magis calefit ab igne, quam aër illi proximus, eò quod illa ratione ſiccitatis eſt melius diſpoſita; aër autem per ſuam humiditatem obſiſtit intenſiori calori. Per quod conſtat ad primam inſtantiam. Ad ſecundam dicendum eſt, fundum lebetis in principio calefactionis eſſe magis calidum, quam aqua in eo incluſa: qui calor communicatur partibus aquæ, quæ fundo lebetis ſunt magis vicinæ: hę autem leuiores factæ ratione caloris ſtatim aſcendunt; aliæ verò partes frigidæ, & conſequenter magis graues deſcendunt ad fundum lebetis, & contactu ſuo temperant illum. Quod in cauſa eſt, vt feruentibus partibus aquæ ſuperioribus, fundus lebetis non appareat ita calidus. Ad tertiam reſpondetur, calorem aëris intenſiorem eſſe calore parietis, licèt iſte magis ſentiatur ob maiorem denſitatem ſubiecti: ſicut magis ſentitur calor ferri candentis, quam ignis aëris inflammati. Ad vltimam dicimus, quod ex ipſa natura caloris, & aliorum agentium prouenit, vt fortiùs agant circa materiam ſibi è regione obiectam, quam in illam, quæ eſt ad latus; licèt priùs agant in medium, quam in diſtans. Sicut, & quod potentia viſiua non percipiat res à tergo exiſtentes, in ipſius potentiæ naturam reuocandum eſt.

18 Arguitur tertiò: quoniam agens naturale frequenter agit in diſtans nihil circa medium operando: ergo non eſt de ratione agentis naturalis agere priùs in propinquum, quam in diſtans. Conſequentia liquet: Antecedens autem ſuadetur, quia magnes attrahit ferrum diſtans, & non aërem vicinum. Piſcis Torpedo ſtupefacit manum piſcatoris remotam, & non arundinem proximam. Piſcis Remora detinet prætereuntem nauim, & non remoratur aquam fluentem ſibi contiguam. Mulieres ſolent faſcinare pueros eminùs poſitos, & non viros cominùs conſtitutos. Denique Baſiliſcus ſolo viſu interficit hominem; cùm tamen actio videndi ſit formaliter immanens, & nihil imprimat medio.

Reſpondetur negando antecedens, quod nullo ex inductis exemplis poteſt conuinci. Pro quo ſemper conſiderandum eſt id, quod ſupra obſeruauimus, videlicet virtutem, & actionem agentis priùs recipi in medio, quam in termino; ſed non eſſe neceſſarium, quod vtrobique recipiatur eodem modo. Fieri enim optimè poteſt, quod ſtante eadem virtute, & diſpoſitione ex parte agentis, detur in termino diſpoſitio ad aliquē effectum, & hæc non inueniatur in medio: & è conuerſo. Quamobrem licèt agens priùs agat in medio, quam in termino; valet tamen imprimere termino aliquem effectum, quem non communicat medio ob indiſpoſitionem illius, vt rectè tradit D. Thom. 3. *contra Gentes cap.* 103. Et hinc conſtat ad omnes inſtantias: magnes enim non attrahit aërem, quia hic non eſt diſpoſitus, vt trahatur à magnete: idemquè dicendum eſt de effectibus Torpedinis, & Remoræ. Pueri autem faciliùs faſcinantur quam viri: quia ob naturalem teneritudinem ſunt magis diſpoſiti, vt alterentur per qualitates malignas reſidentes in oculis quarumdam mulierum: prædictæ enim qualitates venenatæ ſimul cum ſpiritibus animalibus viſioni deſeruientibus exiliunt ab oculis, & diffunduntur per medium; atque vbi perueniunt ad puerorum corpuſcula illa peſtiferè inficiunt. Per quod etiam patet ad id, quod dicitur de Baſiliſco.

Digitized by Google

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

LIBER hic vltimus Phyſicorum, in quo Ariſtot. de æternitate motus, temporis, & mundi, inſimulquè de primo motore D. O. M. per decem capita diſſerit, ob materiæ excellentiam, ac dignitatem eminet inter alios. Quamobrem poſtremam in hoc opere vendicat ſedem, quia in doctrina tradenda ſeruandus eſt ordo naturæ, quæ ab imperfectis ad perfectiora procedit. Quem ordinem, vt indiuulsè retineamus, priùs de æternitate mundi, & motus agemus; exinceps verò in poſtrema quæſtione dari vnum primum motorem, ac ſupremum rerum opificem cum Philoſopho oſtendemus. Et hanc procedendi rationem ſatis apertè præſcripſit D. Paulus ad Roman. 1. dicens: Inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.

DISPVTATIO XXVII.

De æternitate mundi, ac de primo eius motore.

PLVRA, quę in pręſenti inſerit Ariſtot. circa naturam motus, & quietis, conſtant maiori ex parte ex ijs, quę in diuerſis huius operis locis dicta ſunt. Et ideò ea reſciſis alijs, ſeligere ſtudebimus, in quibus verſandi nouum doctrinę, ac notitię lucrum reportemus.

QVAESTIO I.

Vtrum mundus fuerit conditus ab æterno.

AB hac quæſtione, cuius reſolutio certò nobis conſtat, diſputationem ordimur, vt ad alias, quæ ſatis implexas continent difficultates, liberiùs procedamus. Porrò *mundi* nomine intelligimus hoc vniuerſum cum omnibus ſuis partibus, tàm ſpiritualibus, quàm corporeis.

§. Vnicus.

Statuitur veritas Catholica.

1 DIcendum eſt, mundum non fuiſſe conditum ab æterno, ſed incepiſſe in tempore. Hæc concluſio eſt de fide definita *in Concilio Lateranenſi 2.* & apertè conſtat ex illo *Geneſ. 1. In principio creauit Deus cælum, & terram, & Prouerb. 8. Antequam quidquam faceret à principio.*

Et licèt hæc veritas nequeat ratione naturali demonſtrari; cùm mundi productio, vel ab æterno, vel in tempore dependeat ex libera Dei voluntate; plures tamen ſuppetunt congruentiæ ad ſuadendum conuenientiſſimum fuiſſe, quod mundus non fuerit ab æterno productus, ſed in tempore. *Prima*, vt oſtenderetur, creaturam non eſſe æqualem in duratione ſuo Auctori. *Secunda*, vt apertiùs conſtaret, Deum non indigere ſuis creaturis. *Tertia*, vt euidentiùs innoteſceret, Deum produxiſſe mundum, non ex neceſſitate; ſed cum libertate, & ex mera benignitate. De quo videndus eſt Angelic. Doctor 1. *parte quæſt 46. art. 2.*

2 Ariſtoteles tamen, cui fidei lux non affulſit, pro certo habuit, mundum fuiſſe conditum ab æterno. Cui poſitioni conſenſere Simplicius, Auerr. Auicenna, & alij ex antiquioribus in præſenti. Probatur primò: quia poſita cauſa omninò ſufficienti, & efficaci ad agendum, neceſſariò ſequitur effectus; ſicut poſito ſole, ſequitur illuminatio: ſed Deus eſt ab æterno cauſa omninò ſufficiens ad productionem mundi: ergo de facto produxit mundum ab æterno. ¶ Confirmatur, & ſimul præcluditur euaſio, quæ poterat rationi adhiberi: quoniam poſita actione, & productione effectus, nequit non ipſe effectus produci, vt videtur conſtare ex ipſis terminis: ſed actio, qua Deus produxit mundum, fuit ab æterno, ſiquidem eſt actio immanens diuini intellectus, & non diſtinguitur à Deo: ergo mundus fuit productus ab æterno.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondetur, quod licèt cauſa neceſſaria producat neceſſariò ſuum effectum; cauſa tamen libera, qualis eſt Deus, quamvis ſufficiens ſit, valet ſe ſuſpendere à productione effectus. Et cùm actio diuina ſit ſummè efficax, ſubijcit ſibi effectum, non ſolùm quantum ad entitatem, ſed etiam quoad omnes circunſtantias loci, & temporis. Vnde licèt prædicta actio ſit ab æterno, non ſequitur, quòd producat effectum ab æterno; ſed ſolùm, quod poſſit illum inferre, vel ab æterno, vel in tempore, prout ipſe Deus diſpoſuerit.

Sed dices: per actionem, ac volitionem nouam non potuit produci effectus antiquus: ergo pariter per volitionem, & actionem antiquam nequit effectus nouus produci: ergo per actionem æternam Dei, non poteſt produci nouus effectus in tempore. ¶ Reſpondetur diſtinguendo primum conſequens, & ſi intelligatur de actione, & volitione antiqua, quæ præterijt, & iam non exiſtit, concedenda eſt conſequentia: quia effectus in actu petit cauſam, & cauſalitatem in actu. Negari verò debet, ſi intelligatur de actione antiqua, quæ nunquam præterijt, ſed ſemper eſt præſens, qualis eſt actio Dei, vtpotè quæ menſuratur æternitate. Vndè neganda eſt ſecunda conſequentia: quia actio diuina eſt omninò independens ab effectu, atque ideo valet eſſe ſine illo: & ſimul eſt ſummæ efficacitatis, & eminentiæ; quocircà infert illum in hac, vel illa duratione iuxta determinationem Dei.

3 Secundò arguitur: nam motus non habuit initium: ergo nec mundus. Suadetur antecedens: quia ad omnem motum præſupponitur mobile: quodlibet autem mobile fit per motum: ergo ante quemcumque motum datur alius, & alius motus; & conſequenter non datur primus motus, ſed motus caret initio. ¶ Confirmatur; quia tempus eſt ab æterno: ergo & mundus. Antecedens probatur: nam ſi tempus incepit: ergo *antea* non erat: ſed ly *antea* deſignat tempus: ergo fuit antequam eſſet, quod eſt impoſſibile: ergo tempus nunquam incepit, ſed fluxit ab æterno.

Reſpondetur ad argumentum, non omne mobile productum fuiſſe per motum; ſed plura facta fuiſſe per creationem, quæ non eſt motus, nec ſupponit ſubiectum, ſed producit ex nihilo totum ens: vndè non eſt neceſſarium, quod quilibet motus ſupponat alium motum. ¶ Ad confirmationem dicendum eſt, quod ly *antea* non deſignat tempus verum, & proprium; ſed vel æternitatem, vel tempus imaginarium, per ordinem ad quæ verificatur, quod *antea* non erat tempus reale.

Tertiò arguitur: quia de ratione ſummi boni eſt ſe ſummo modo communicare creaturis: ſed ſi mundus productus fuiſſet in tempore, Deus non ſe communicaſſet ſummo modo creaturis; quandoquidem major eſſet communicatio ab æterno: ergo mundus ab æterno conditus eſt.

Reſpondetur, quod licèt ſummum bonum ſit ſummè communicatiuum ſui, non eſt neceſſarium, quod ſe actu communicet: nam cùm Deus ſit agens liberum, poteſt ſua ſapientia, & libertate eligere eos communicationis modos, qui ſibi magis placuerint. Fides autem docet elegiſſe de facto communicationem ex tempore: ad quod conducere potuerunt congruentiæ rationes, quas ſupra propoſuimus, & aliæ plures, & altiſſimæ, quæ latent nos.

QVÆSTIO II.

Vtrum mundus cùm concurſu Dei ordinario valeat durare in æternum?

4 PRo deciſione quæſtionis, ſupponendum eſt vt certum, quod de facto cœli, elementa, & ſpecies humana durabunt in æternum: quia cœli ſunt ex natura ſua incorruptibilia; elementa verò ſecundum ſe tota idem habent, & ceſſante motu cœlorum, conſequentur incorruptionem etiam ſecundum partes, ſicut, & homo illam aſſequetur ſecundum diuinam prouidentiam, quæ ſtatuit, vt omnes homines reſurgant, & in æternum durent ad gloriam, vel ad pœnam. Motus autem cœli, tempus, & omnes mixtorum generationes poſt diem iudicij ceſſabunt, vt liquidò deducitur *ex Iſaia 60. & Apocalipſis 10.* Nam cùm omnia hæc conſtituta fuerint, vt hominum generationi, ac propagationi deſeruiant, conſequens eſt, vt homine ad cœlos aſcendente, vel ad inferos deſcendente, cuncta illa finiantur. Vnde ſolùm reuocamus in dubium, an mundus hic ſibi relictus, & cum communi Dei prouidentia poſſit in æternum durare, quoad omnes mixtorum ſpecies per repetitas indiuiduorum corruptiones, & generationes. Et dicimus *cum concurſu Dei ordinario, & communi prouidentia*: quia per reſpectum ad potentiam Dei abſolutam, nullus eſt ambigendi locus; cùm nulla appareat implicatio in eo, quod mundus iſte, prout nunc eſt, perſeueret in æternum.

§. Vnicus.

Defenditur communis ſententia.

5 DIcendum eſt, vniuerſum hoc ſibi relictum, & communi Dei concurſu adiutum poſſe durare in æternum. Ita Ariſtot. & communiter omnes Philoſophi. Fundamentum eſt; quoniam cœli, & eorum motus, atque influxus queunt ſecundum communem prouidentiam durare in perpetuum, vt omnes admittunt: ſimiliter ex eodem concurſu valent elementa eſſe perpetua, nam licèt ſint inter ſe contraria; ſeruant tamen eam in agendo, & patiendo proportionem, vt nullum valeat totaliter deſtruere aliud, ſed quodlibet poteſt illatum ſibi damnum reſarcire, vt experientia præcedentium ſæculorum conuincit, ac demonſtrat: ergo ex generali concurſu Dei valent omnes mixtorum ſpecies in æternum conſeruari, per repetitam indiuiduorum generationem; & conſequenter poteſt hoc vniuerſum, prout iacet, durare abſque termino à parte poſt. Probatur conſequentia: quia omnia mixta generantur ex influxu cœlorum, & elementorum: ergo ſi cœli, & elementa, atque eorum influentiæ queunt ſecundum prouidentiam Dei ordinariam durare in æternum; poterunt etiam omnes mixtorum ſpecies per repetitam indiuiduorum generationem aſſequi ex eodem concurſu perpetuitatem ſine fine.

Confirmatur primò: quia mixtorum ſpecies per tot ſæcula, quæ iam fluxerunt, potuerunt propagari, quin aliqua ſpecies perierit vſque nunc: ergo pariter poterunt propagari in æternum. ¶ Confirmatur ſecundò: nam ob benignum concurſum ſyderum, & aliarum cauſarum filij frequenter euadunt robuſtiores parentibus: ergo ſi quod damnum patiuntur ſpecies in aliquibus indiuiduis, poteſt aliundè reparari in alijs. ¶ Confirmatur tertiò: quo-

Digitized by Google

quoniam ſecundum prouidentiam Dei ordinariam, cuiuſvis ſpeciei conſeruationi præeſt vnus Angelus: ergo illius protectione quælibet ſpecies poteſt conſequi conſeruationem perpetuam.

6 Contrariam ſententiam docuit Plato in Thimæo, quæ poteſt ſuaderi primò: quia omne, quod naturaliter habet initium, debet habere finem; ſed mundus naturaliter habuit initium, vt diximus *quæſt. præced.* ergo ſibi relictus habebit finem. ¶ Confirmatur primò: quia ad durationem infinitam requiritur infinita virtus, vt ſic poſſit deuincere omnia contraria, & nociua: ſed nulla creatura gaudet infinita virtute: ergo nulla ex ſolo concurſu Dei ordinario valet durare in infinitum. ¶ Confirmatur ſecundò: nam compoſitio ex contrarijs eſt principium corruptionis: ſed hoc vniuerſum conſtat ex contrarijs: ergo habet ex ſe principium ſuæ corruptionis, ac proinde ſibi relictum non durabit in æternum.

Reſpondetur ad argumentum negando antecedens: quia licèt id, quod ex ſe excludit initium ſuæ durationis, nequeat habere finem, ſed ſit æternum; illud tamen, quod habet initium, poteſt carere fine, vt conſtat in Angelis. ¶ Ad primam confirmationem neganda eſt maior: quia ſine virtute infinita poteſt aliquid abſque fine durare, vel quia caret contrarijs, vt Angelus; vel quia per continuas generationes perpetua ſucceſſione inſtauratur, vt ſpecies equi. ¶ Ad ſecundam dicendum eſt, ex ea ſolùm conuinci, quod nullum indiuiduum affectum contrarijs qualitatibus valeat in æternum durare; ſecùs verò ſpecies: hæc quippe, cùm corrumpitur vnum illius indiuiduum, alterius generatione inſtauratur, atque ideò per repetitas generationes queit in æternum conſeruari.

7 Arguitur ſecundò: quoniam humidum radicale in generatione acceptum eſt longè perfectius eo, quod per nutritionem acquiritur: quocircà opus eſt, vt parentes communicent proli imperfectiorem ſubſtantiam ea, quam ipſi à ſuis genitoribus acceperunt: ergo per repetitas generationes adeò prædicta ſubſtantia vileſcet, vt nequeat ſe per generationem communicare; cùm generatio ſit actus perfecti. ¶ Quod poteſt confirmari, & vrgeri ex periodo, tàm vitæ, quàm ſtaturæ hominum, quæ adeò à perfectione primæua defecerunt, vt cùm priſcis temporibus ſatis longum vitæ ſpatium homines peregerint, præcellſamque ſtaturam habuerint, vt conſtat ex ſacra pagina, & tradit D. Auguſt. 15. *de Ciuitate Dei, capite 9.* modo quam breuibus, tàm vitæ, quàm ſtaturæ circumvallantur terminis: ergo manifeſtum eſt, quod ſpecies humana (& idem eſt de alijs) continuò à prima perfectione deflectit, & in ſui interitum vergit: ergo ſpecies mixtorum ſibi relictæ, & ſolo ordinario Dei concurſu adiutæ, non poſſunt conſeruari in æternum.

Ad argumentum reſpondetur, quod ob benignam influentiam cœlorum, & aliarum cauſarum ad generationem concurrentium frequenter parentes communicant proli perfectiorem ſubſtantiam, quam ipſi in ſua generatione acceperunt: vnde progigni valet filius robuſtior parentibus; nec opus eſt, vt ſpecies ſemper in deterius abeat. ¶ Confirmatio nihil concludit; quoniam periodus vitæ humanæ à tempore Dauidis ad hæc vſque tempora imminuta non eſt, vt ſatis colligitur *ex illo Pſal. 89. Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* In principio autem mundi diuturnior fuit vita hominis, quam eius ſpecies poſtulauerit, ob neceſſitatem tunc hominum propagationem, quam diuina prouidentia intendebat. Acceſſit etiam optima primorum parentum complexio à Deo immediatè fabricata, inſignis Medicinæ, atque Aſtrologiæ peritia, & alia, quæ non parum iuuabant ad vitam longiſſimè producendam. Statura autem illa prodigioſa non fuit omnibus hominibus communis, ſed ſolis Gigantibus propria, quorum ſuperbo robore mundus in crimina turpiter tunc prolapſus vapulabat.

QVÆSTIO III.

Vtrum aliqua creatura permanens potuerit eſſe ab æterno?

POſtquam oſtendimus, mundum incepiſſe in tempore, videndum eſt, an potuerit produci ab æterno, tàm ſecundum creaturas permanentes, quàm ſucceſſiuas. Et quia de ijs poſterioribus maior eſt difficultas, prius decidemus dubium, quoad permanentes.

§. I.

Eligitur ſententia Diui Thomæ.

8 DIcendum eſt, creaturam permanentem potuiſſe produci ab æterno, & nullam in hoc dari repugnantiam. Ita D. Thom. pluribus in locis, *& præcipuè 1. p. q. 46. art. 2. ad 1. & 3. contra Gentes, cap. 38. & quæſt. 3. de potentia, art. 14. & opuſculo 37. de æternitate mundi*, vbi inquit: *Sic ergo patet, quod in hoc, quod dicitur aliquid factum eſſe à Deo; & nunquam non fuiſſe, non eſt intellectus aliqua repugnantia. Si enim eſſet aliqua repugnantia, mirum eſt, quomodo Auguſtinus eã non vidit; quia hæc efficaciſſima via eſſet ad improbandam mundi æternitatem; cùm tamen ipſe multis rationibus impugnet æternitatem mundi in 11. & 12. de Ciuitate Dei. Hanc autem vnde omninò prætermittit? Quinimò innuere videtur, quod non ſit ibi repugnantia intellectus.* Et ſubdit: *Mirum eſt etiam quomodo nobiliſſimi Philoſophorum hanc repugnantiam non viderunt.* Vndè per ironiam concludit: *Ergo illi, qui tam ſubtiliter eam percipiunt, ſoli ſunt homines, & cum ijs oritur ſapientia;* Angelicum Doctorem ſequuntur communiter Thomiſtæ, Caietanus, Bannez, Nazar. 1. p. *quæſt.* 46. *art.* 2. Capreol. Herueus, & Deza *in* 2. *d.* 1. *q.* 1. Ferrar. 8. *Phyſicorum, quæſtione tertia*, Soto *quæſtione* 2. Malius *quæſt.* 10. Quibus etiam conſentiunt Durandus, Gregor. Gabr. Ocham, Suarez, & alii plures.

Ratio fundamentalis eſt: quoniã creaturã permanentẽ produci, & eſſe ab æterno nõ repugnat ex parte Dei, neq; ex parte creaturæ, neq; ex parte modi, quo fit; nimirũ per creationem ex nihilo: ergo non repugnat, quod creatura permanens fuerit producta ab æterno. Conſequentia liquet: quia in antecedenti referuntur omnia capita, ex quibus oriri poterat repugnantia. Antecedens autem oſtenditur, quoad ſingulas partes: *prima* quidem; tùm quia Deus ab æterno habuit potentiam ad producendum creaturam, liberumque illi fuit, eam tunc producere, vel in tempore. Tùm etiam, quia cauſa agens per actionem inſtantaneam, qualis eſt Deus, non præcedit neceſſariò ſuum effectum in duratione; qua ratione ſol in primo inſtanti, in quo fuit, potuit illuminare: ergo non repugnat ex parte Dei, quod creatura permanens fiat ab æterno. *Secunda* autem, quia de ratione creaturæ ſolùm eſt, quod habeat principium efficiens in ſuo eſſe, non verò initium in duratione; ſiquidem per priorem dependentiam ſufficienter ſaluatur, quod ſit ens ab alio: ergo non repugnat ex parte creaturæ permanentis fieri ab æterno, Maximè cùm ex eo, quod creatura fuerit ab æterno,

non

Digitized by Google

non ſequatur, quod illi communicetur attributum æternitatis; ſed ſolùm, quod habeat infinitam durationem à parte ante; ſicut Angelus illam de facto habebit à parte poſt. *Tertia* denique; quoniam ad creationem non requiritur, quod res creata priùs fuerit ſub *non eſse*, & poſtea tranſierit ad *eſse*, ſed ſufficit, quod fiat ex non præſuppoſito ſubiecto, vt docet D. Anſelmus in Monologio *cap. 8.* his verbis: *Dicitur aliquid eſse factum ex nihilo, cùm intelligimus eſse quidem factum, ſed non eſse aliquid, vnde ſit factum. Per ſimilem ſignificationem dici videtur, cùm homo triſtatur ſine cauſa, dicitur contriſtatus de nihilo*: ſed etiam ſi creatura fieret ab æterno, fieret ex nullo ſubiecto, ſeu cauſa materiali: ergo ex parte modi productionis non repugnat, creaturam permanentem fieri ab æterno. Quod euidentiùs conſtabit ſoluendo argumenta contraria.

§. II.

Occurritur fundamentis Aduerſariorum.

9 CONtrariam nihilominùs ſententiam amplectuntur B. Albertus *in hoc lib. cap. 1. & 2. parte ſumma Theologiæ tractatu 1. q. 2.* D. Bonauent. *in 2. d. 1. q. 2.* Ricard. ibidem. *art. 3. q. 4.* Toletus *in præſenti quæſt. 24.* & alij. Probatur primò ratione ſimul, & auctoritate: nam S. Patres, Arium ponentem Filium Dei eſſe creaturam hoc argumento communiter falſitatis cõuincunt: Nulla creatura eſt æterna: ſed Filius Dei eſt Patri coæternus: ergo non eſt creatura. Vndè apertè ſentire videntur, non poſſe vllam creaturam ab æterno produci; aliàs prædictum argumentum foret inefficax. Quo ſenſu dixit Ambroſ. 1. *Exameron*: *Quomodo ergo coæternum Deo mundum aſſerunt, & creatori omnium ſociant, atque æqualem eſse diſputant creaturam?* Et Damaſcenus, vt refert D. Thom. *opuſc. 27.* *Non aptum eſt, quod ex non eſse deducitur, coæternum eſse ei, qui ſine principio eſt, & ſemper eſt.*

Confirmatur ex D. Auguſt. *lib. contra Felician. cap. 7.* vbi ſic definit creaturam: *Creatura namque eſt ex eo, quod adhuc non eſt, aut aliquando non fuit, rei cuiuſcumque corruptibilis, quantum in ſe eſt, Patris omnipotentis Dei voluntate facta ſubſtantia*: ergo de ratione creaturæ eſt, quod priùs ſit ſub *non eſse*, quam quod conſtituatur ſub *eſse*: ſed quod eſt ab æterno, ſemper habuit *eſse*: ergo repugnat, cuiuis creaturæ produci ab æterno.

Reſpondetur, S. Patres diſputantes contra Arium ſolùm aſserere, quòd de facto nulla creatura eſt ab æterno producta; quod nobis minimè opponitur, & ſufficit, vt prædictum argumentum concludat efficaciter. Nam ſcriptura diuina ex vna parte docet, omnem puram creaturam incepiſſe in tempore; ex alia autem aſſerit Filium Dei eſse coæternum Patri: vndè legitimè concluditur Filium Dei non eſse creaturam. Neque vis prædicti argumenti reuocanda eſt ad principium incertum, nempè repugnare creaturæ, quod ab æterno fiat. Quibus addendum eſt, illud (propriè loquendo) dici coæternum Deo, quod menſuratur æternitate, & excludit ab intrinſeco initium, & finem ſuæ durationis; creatura autem ab æterno producta, tametſi infinitè duraret, non menſuraretur æternitate, ſed alia menſura inferiori, atque defectibili, quæ potuiſset habere principium: quocircà non poſset appellari coæterna Deo. Quo ſenſu interpretandi ſunt D. Ambroſ. & Damaſcenus.

Ad confirmationem deſumptam ex D. Auguſt. reſpondemus, per illa verba: *Aliquando non eſt, aut aliquando non fuit*, non ſignificari neceſsariò actum, ſed ſolam potentiam, & aptitudinem: nam creatura, licèt ſit ab æterno, valet tamen, quantum eſt de ſe, habere initium ſuæ durationis, & conſequenter tranſire de non eſse ad eſse. In quo ſatis diſtinguitur à creatore: huic quippè neceſsariò, & poſitiuè conuenit eſse ab æterno, & oppoſitum omninò repugnat.

Sed dices: de ratione creaturæ eſt, quod tranſeat de *non eſse ad eſse*: ſed quod tranſit à *non eſse*, priùs fuit actu ſub *non eſse*, quam ſub *eſse*: ergo repugnat, quod creatura habeat *eſse* ab æterno. Ad hæc: illud, quod producitur ex nihilo, priùs fuit ſub nihilo, quam ſub eſse; & conſequenter non potuit ſemper exiſtere, nec eſse ab æterno: ſed id, quod producitur per creationem, fit ex nihilo: ergo non poteſt res creari ab æterno. Adde ſecundò, creaturam non poſse annihilari ab æterno, quia id quod annihilatur priùs debet habere *eſse*, quam amittere illud eſse: ergo neque poteſt creari ab æterno, nam quod creatur priùs debet eſse nihil, quam habere *eſse*.

Hæc tamen facilè diluuntur ex dictis: nam vt verificetur, quòd creatura producta ab æterno tranſit à *non eſse*, & fit ex nihilo, non eſt neceſsarium, vt *non eſse*, & nihil præcedant duratione *eſse* creaturæ; ſed ſufficit, quod præcedant natura, & quantum eſt de ſe; quia nimirùm creatura ſibi relicta eſſet nihil; *eſse* verò habet à Deo: ea quippè, quæ competunt alicui ex ſe ipſo, præcedunt, quantum eſt de ſe, illa, quæ non conueniunt illi, niſi ab alio. Exemplum autem illud annihilationis nihil conuincit: nam implicat, quod deſtruatur, niſi illud, quod fuit: cùm annihilatio ſit tranſitus de *eſſe* ad *non eſſe*: vnde repugnat aliquid annihilari, ab æterno. Cæterùm vt aliquid creetur ſatis eſt, quod fiat ex nihilo, ideſt, ex nullo præſuppoſito ſubiecto, ſeu cauſa materiali; quamvis autem res ab æterno crearetur, poſſet fieri ex nullo præſuppoſito ſubiecto; quocircà non implicat, quod creatio ſit ab æterno.

10 Secundò arguitur: quia ſi Angelus v. g. fuiſſet ab æterno creatus, hæc propoſitio: *Deus creauit Angelum*, eſſe falſa: conſequens eſt abſurdum, vt ex ſe liquet: ergo Angelus non potuit ab æterno produci. Sequela oſtenditur: quia omnis propoſitio de præterito, regulatur per aliquam de præſenti: ſed ſuppoſita creatione Angeli ab æterno, non eſſet deſignabile aliquod primum inſtans, vel nunc, pro quo verificetur: *Deus nunc creat Angelum*; ſiquidem ante quodlibet nunc, erat Angelus productus: ergo illa propoſitio; *Deus creauit Angelum*, eſſet falſa.

Reſpondetur negando ſequelam, quam probatio non euincit: nam prædicta propoſitio: *Deus creauit Angelum*, verificaretur, non quidem per ordinem ad aliquod inſtans præſens temporis, ſed per reſpectum ad *nunc* æternitatis. Nam ſicut de Verbo diuino verè enunciamus, quod nunc generatur, & eſt genitum, & in æternum generabitur: ſic de Angelo ab æterno producto verificatur, quod nunc creatur, & eſt creatus, & in æternum creabitur. Et ratio eſt proportionabiliter eadem vtrobique: nam & generatio Verbi, & creatio Angeli ab æterno non tranſeunt, ſicut neque ipſa æternitas, cui coëxiſtunt.

11 Tertiò arguitur: quoniam ex noſtra ſententia ſequitur, Deum non producere liberè prædictum Angelum: conſequens derogat diuinæ perfectioni, & libertati: ergo. Suadetur ſequela, nam in primis Deus non potuiſſet non producere Angelum, cùm illum actu producebat, quia dum creatio exercetur, nequit non exerceri iuxta illud: *Omne quod eſt, ex ſuppoſitione, quod eſt, neceſsariò eſt.* Deinde non potuit eum non producere, antequam illum produxiſſet; quandoquidem quod ab æterno eſt productum, ſemper fuit productum, & habuit eſſe: ergo ſi Angelus fuiſſet creatus ab æterno, Deus

non

non haberet libertatem ad productionem illius.

Reſpondetur negando ſequelam: quia neceſſitas ex ſuppoſitione non officit libertati: & ideo licet Angelus productus ab æterno, non poſſet non in ſenſu compoſito ſuæ creationis eſſe productus: adhuc tamen liberè ſimpliciter produceretur à Deo: quia illa neceſſitas fundaretur ſuper volitionem liberam Dei, qua vellet Angelum ab æterno producere. Et quantum ad hoc, eadem difficultas militat in creatione Angeli exercita in nunc noſtri temporis; ſiquidem ex ſuppoſitione, quod Angelus fiat, nequit non fieri, & tamen liberè fit, quoniam illa neceſſitas innititur ſuppoſitioni ſimpliciter liberæ. Porrò ad libertatem agentis minimè requiritur, quod præcedat duratione ſuum actum, vel effectum: ſed ſufficit, quod præcedat natura, & quantum eſt de ſe: vt videre eſt in actu, quo Deus ab æterno voluit producere mundum in tempore; Deus quippè liberè ſe habuit in tali actu, quem tamen non præceſſit duratione.

12 Quartò arguitur: nam ſi ab æterno producerentur duo contraria intenſa, & inter ſe indiſtantia; vel ab æternò mutuò agerent, & ſe deſtruerent, vel non. Hoc vltimum dici nequit, quia deſtruit conceptum, ac naturam contrariorum. Si autem dicatur primum: ergo vnum ex illis contrarijs ſimul eſt ab æterno, vt ſupponitur, & ſimul non eſt; ſiquidem ab æterno deſtruitur à ſuo contrario: in quo datur euidens contradictio: ergo repugnat, quod aliquid fiat ab æterno.

Reſpondetur negando hanc vltimam conſequentiam, nam ex eò, quod ab æterno nequeant duo contraria produci, & ſimul ab inuicem agere, & ſe deſtruere: minimè infertur, vel quod nequeant produci abſolutè; vel quod illarum rerum productiones non valeant eſſe ab æterno, vt quiſque rem conſiderans facilè deprehendet. Data tamen hypoteſi, quod duo contraria producerentur ſimul, & indiſtantia; vel non agerent contra ſe inuicem, vel ſi agerent; neutrum expelleret, ac deſtrueret aliud; ſed Deus, data illa ſuppoſitione, vtrumque conſeruaret: ſiquidem ſupponitur vtrumque fieri, & eſſe ab æterno.

13 Vltimò arguitur: quoniam ſi Angelus poſſet creari ab æterno, valeret etiam produci cum gratia, atque ab æterno mereri; ſed hoc eſt abſurdum; ergo & antecedens. Probatur minor: nam quò actus meritorius eſt diuturnior, eò meretur maius proemium: ſi autem meritum Angeli fuiſſet ab æterno, duraret per infinitum tempus; ac proinde illi correſponderet, vt proemium lumen gloriæ infinitum, & viſio infinita, atque comprehenſiua Dei; ſed implicat huiuſmodi lumen, & viſio: ergo repugnat, quod Angelus ab æterno habeat actum meritorium.

Reſpondetur concedendo ſequelam, & negando minorem: ad cuius probationem dicendum eſt, quod licet ille actus, ratione ſuę extenſionis haberet proportionem ad merendum infinitam gloriã; ſi hęc eſſet poſſibilis; illam tamen in actu ſecundo non mereretur ob impoſſibilitatem illius. Sicut etiam quilibet actus Chriſti Domini habet, quantum eſt de ſe condignitatem ad merendum infinitam ſui corporis gloriam, quam tamen de facto non meruit, quia eſt impoſſibilis gloria corporis infinita ſimpliciter, & in actu. Quibus addendum eſt, quod quemadmodum, vt potentia Dei ſit infinita categorematicè, & ſimpliciter, non deſideratur, vt producat effectum categorematicè infinitum, ſed ſufficit, quod producat effectum infinitum ſyncategorematicè, & in potentia, quatenùs data quacumque creatura poteſt aliam, & aliam perfectiorem abſque termino producere. Ita vt meritum Angeli eſſet ratione extenſionis infinitum (quæ infinitas non eſt phyſica, quam ſupra *diſp.* 18. oſtendimus repugnare, ſed eſt duntaxat moralis) non requiritur, quod in actu ſecundo conſequatur gloriam infinitam ſimpliciter, ſed ſufficit, quod deſignato quolibet gloriæ gradu majorem, ac maiorem aſſequeretur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum valeant motus, & tempus eſſe ab æterno.

Titulus quæſtionis omnem motum propriè dictum complectitur, ſiue ſit augmentatio, ſiue alteratio, ſiue motus localis, tàm rectus, quàm circularis; quamvis, vt confuſionem vitemus, procedet quæſtio maiori ſaltem ex parte circa motum localem: quem ſi poſſe ab æterno dari oſtendatur, idem conſequenter aſſerendum erit de tempore, vtporè quod conſequitur ad motum.

§. I.

Probatur ſententia Angelici Doctoris.

14 Dicendum eſt, non implicare, quod motus, & tempus ſint ab æterno. Hæc eſt D. Thom. 1. *p. q. 46. per totam, & in 2. diſt. 1. q. 5. & art. 5. & opuſc.* 27. de æternitate mundi, & pluribus in locis, in quibus oſtendit, poſſibilem eſſe productionem mundi ab æterno: *mundi* autem nomine intelligitur vniuerſitas creaturarum, tàm permanentium, quàm ſucceſſiuarum, vt conſtat ex communi modo concipiendi. Deniquè S. Doctor *quæſt.* 3. *de Potentia art.* 17. *ad* 17. cùm propoſuiſſet argumentum ad probandum, quod motus circularis fuit de facto ab æterno, reſpondet. *Ad 17. dicendum, quod illa ratio non probat, quod motus ſemper fuerit, ſed quod motus circularis poſſit eſſe ſemper.* Vndè hic dicendi modus eſt ſatis frequens apud Thomiſtas. Videantur Caiet. & Nazarius 1. *p. q. 46. art.* 2. Ferrara *in hoc lib. q.* 3. Iauel *q.* 14. & alij.

Probatur primò ratione: quia cœlum potuit eſſe ab æterno, vt oſtendimus *quæſt. præced.* ergo, vel produceretur ſub exercitio motus, vel ſub quiete. Si primum: ergo ab æterno daretur motus. Si ſecundum: ergo ab æterno potuit eſſe motus; ſiquidem quies ſolum requiritur in eo, quod poteſt moueri, & non mouetur. ¶ Confirmatur primò: quia motus quoit proportionari corpori, quod mouetur, & lineæ ſuper quam fit: ſed in cœlo, cùm ſit corpus circulare, non eſt accipere principium, & finem in actu: ergo motus eius poteſt carere principio, & fine: conſtat autem, quod motus carens principio durationis eſt ab æterno: ergo non repugnat, quod motus, & tempus illum conſequens ab æterno fuerint. ¶ Confirmatur ſecundò: nam id, quod concipitur cum fundamento in re, non implicat contradictionem: ſed cum fundamento in re apprehendimus coexiſtere æternitati tempus, quod appellamus imaginarium: ergo non repugnat, quod tempus fuerit realiter ab æterno. Et id, quod diximus de motu locali circulari, poteſt alijs motibus proportionabiliter applicari; ſiue tales motus habeant vnitatem per continuationem non interruptam, ſiue per ſolam aggregationem, quatenùs tot poſſunt v. g. alterationes multiplicari, vt ante quamlibet deſignata fuerit alia, & alia ſine principio.

15 Secunda, & fundamentalis aſſertionis ratio eſt: quia ſemper attribuendum eſt diuinæ potentiæ, quod poſſit præſtare quidquid non inuoluit contradictionem: ſed in eo, quod motus, & tempus fuerint ab æterno nulla eſt contradictio: ergo motus, & tempus, attenta di-

Digitized by Google

uim potentia, potuerunt eſſe ab æterno. Minor non poterit aptiori modo ſuaderi, quam ſoluendo argumenta contraria: quod jam præſtamus.

§. II.

Difficultates in contrarium extricantur.

16 Contrariam opinionem amplectuntur Durandus *in 2. diſt. 1 q. 2. art. 3.* Soto, Conimbr. Rub. Oña, Plaza in præſenti, Suarez *diſp. 20. Metaph. ſect. 6.* & alij. Quę poteſt ſuaderi primo auctoritate D. Thom. *opuſc.* 27. vbi poſtquam oſtendit, non repugnare, quod aliqua creatura fiat ab ęterno per operationem inſtantaneam; ſtatim addit: *Repugnaret in cauſis producentibus effectus ſuos per motum; quia oportet, quod principium motus præcedat finem eius:* ergo ſentit, quod motus ſucceſſiuus nequit eſſe ab æterno. ¶ Confirmatur ex D. Auguſt. 12. *de Ciuit. Dei capite* 15. vbi inquit: *Tempus, quod mutabiliter tranſcurrit, æternitati immutabili non poteſt eſſe coæternum.*

Reſpondetur, D. Thom. ſolum intendere, quod nulla creatura determinata, & producta per motum ſucceſſiuum potuerit eſſe ab æterno, eò, quod motus ſucceſſiuus pręcedit duratione ſuum terminum; minimè tamē excludere, quod vel vnus motus per continuationem, qualis eſſet circularis, vel vnus ſaltem per aggregationem potuerit eſſe ab æterno; quoniam licèt nulla v. g. alteratio determinata ſit ab æterno, attamen ante quamlibet alterationem poteſt dari alia, & alia, quin detur prima; & conſequenter collectio alterationum, vel alteratio vna per aggregationem potuit eſſe ab ęterno. ¶ Ad confirmationem dicimus, coæternitatem importare æqualitatem in modo durationis; vnde quia æternitas eſt tota ſimul; & è conuerſo tempus importat ſucceſsionem partium, meritò aſſerit Auguſt. tempus non poſſe eſſe coæternum æternitati. Per hoc tamen non excluditur, quod tempus potuerit habere infinitas partes ſucceſſiuas, per quas æternitati abſque principio coëxiſteret.

17 Arguitur ſecundò ratione; quia in æternis non datur priùs, & poſterius, vt conſtat ex definitione æternitatis tradita à Boetio: ſed motus ſucceſſiuus includit eſſentialiter prius, & poſterius; ergo implicat, huiuſmodi motum eſſe ab æterno. ¶ Confirmatur, & explicatur primò: nam implicat, quod pars poſterior motus ſit ab æterno; cùm eſſentialiter ſupponat partem priorem: ergo repugnat etiam, quod pars prior ſit ab æterno. Patet conſequentia: nam ex oppoſito fieret, partem anteriorem motus durare per infinitum tempus ante partem poſteriorē, quod eſt contra naturam entis ſucceſſiui. ¶ Confirmatur, & explicatur ſecundò: nam in motu nullius partis corruptio valet eſſe ab ęterno; ſiquidem prius eſt aliquid generari, quam corrumpi: ergo neque potuit eſſe ab æterno vllius partis generatio. Probatur conſequentia: quia ſi generatio vnius partis eſſet ab æterno, & illius corruptio exerceretur in tempore: jam illa pars pręcederet per infinitum tempus ſuam corruptionem: hoc autem eſt apertè falſum: cùm in ſucceſſiuis ad generationem cuiuſcumque partis ſequatur ſtatim, & immediatè corruptio illius: ergo &c. ¶ Confirmatur, & explicatur tertiò: quoniam ex oppoſito fieret, infinitos annos fuiſſe ab æterno; quandoquidem duratio ſucceſſiua infinita nequit non complecti infinitos annos: conſequens eſt abſurdum; cùm annus præſupponat duratione menſes, hebdomadas, ac dies, & id, quod ſupponit duratione aliud, nequit eſſe æternum: ergo repugnat, quod tempus ſit æternum à parte ante, vel quod fuerit ab æterno.

Reſpondetur, hoc argumentum, & illius confirmationes æquè vrgere in tempore infinito à parte poſt: vnde cùm non conuincant dari repugnantiam in eo, quod tempus ſine fine duret, nec ſuadere valent, quod implicet, tempus durare ab æterno, & abſque principio. Quod licèt imaginatio non tranſcendens ſenſibilia, & impotens ad attingendam durationem infinitam nequeat apprehendere, ratio tamen facilè admittit, vt poſſibile, & diſſoluit oppoſitas difficultates. Ad argumentum igitur dicendum eſt, quod licèt in iis, quę menſurantur æternitate, ſicut propria menſura, repugnet ſucceſſio prioris, & poſterioris; non tamen in eis, quę per durationem inferioris rationis coëxiſtunt æternitati: qua ratione tempus poteſt coëxiſtere æternitati à parte poſt, vt Aduerſarij admittunt, & potuit eadem coëxiſtere æternitati à parte ante, vt nos docemus: par quippè quoad hoc eſt vtrobique ratio.

Ad primam confirmationem reſpondemus, quod vt motus fuerit ab æterno, non requiritur, aliquam illius partem determinatam priorem, vel poſteriorem fuiſſe ab æterno; hoc enim repugnat, vt confirmatio rectè concludit: ſed ſufficit, quod ante quamlibet partem priorem fuerit prior alia, & alia abſque principio, & parte prima. Sicut etiam, vt tempus duret in infinitum à parte poſt, non requiritur, quod vlla illius pars poſterior duret ſine fine, & coëxiſtat æternitati; ſed ſatis eſt, quod poſt quamlibet partem poſteriorem detur alia poſterior & poſt hanc altera, & altera ſine vltima. Vnde licèt nulla pars motus determinata queat eſſe æterna à parte ante, vel à parte poſt; collectio tamen partium valet vtroque modo eſſe æterna, vt conſtat ex dictis.

18 Ad ſecundam confirmationem concedimus, nullam corruptionem determinatam potuiſſe eſſe ab æterno; aſſerimus tamen collectionem omnium corruptionum potuiſſe eſſe ab æterno: quia tot includeret corruptiones, vt ante quamlibet deſignatam fuerit alia, & alia corruptio, ita vt non poſſet deſignari prima. Sicut ad hoc, vt tempus ſit infinitum à parte poſt, non requiritur, quod generatio alicuius partis determinatæ ſit æterna; hoc enim apertè repugnat, cùm poſt quamlibet ſequatur corruptio illius: ſed ſufficit, quod poſt quamlibet generationem ſequatur alia, & alia ſine vltima.

Dices: non ſolùm corruptio particularis, & deſignata debet ſupponere generationem rei, quæ corrumpitur; ſed etiam omnes corruptiones collectiuè ſumptæ ſupponunt pręceſſiſſe aliquid, quod corrumpatur: ergo ſicut repugnat, quod aliqua corruptio determinata fuerit ab æterno; ſic etiam repugnat, quod collectio omnium corruptionum fuerit ab æterno. ¶ Reſpondetur negando ſecundam partem antecedentis: quia licèt ad quamlibet corruptionem in particulari ſupponatur generatio rei, quæ corrumpitur; ad omnes tamen corruptiones ſimul, & collectim acceptas nulla generatio ſupponitur. Si enim ſimul ſumptis omnibus corruptionibus, adhuc ſupereſſet aliqua generatio, etiam ſupereſſet aliqua corruptio illi generationi reſpondens; & conſequenter non fuiſſent ſumptæ omnes corruptiones, & deſtrueretur ſuppoſitio facta. Vnde ſicut in tempore infinito à parte poſt, ad generationem cuiuſuis partis in ſpeciali ſequitur corruptio eius; & nihilominus non infertur, quod poſt omnes generationes partium ſimul ſumptarum detur aliqua corruptio; alias partes temporis non durarent in infinitum à parte poſt: ita in tempore infinito à parte ante, ad quamlibet corruptionem deſignatam præcederet aliqua generatio; & tamen ad omnes corruptiones collectim ſumptas nulla generatio præiret. Nec oppoſitum ſuaderi poteſt, niſi arguendo à diuiſis ad coniuncta, quod argumenti genus vitioſum eſt.

Ad vltimam confirmationem dicendum eſt, quod licet

cet

Digitized by Google

cèt ante quemlibet annum deſignatum dentur dies, & menſes, attamen collectio infinitorum annorum non præſupponeret dies, & menſes, ſed illos in ſe clauderet, & ex illis ſimul ſumptis conſtitueretur. Et ideo ſicut ante quemlibet annum determinatum daretur menſis, ita ante quemlibet menſem determinatum daretur annus, & nullus annus eſſet primus, ſed ante quemlibet deſignatum daretur alius, & alius ſine principio. Quæ declarari valent exemplo temporis infiniti à parte poſt: in eo quippè poſt quemlibet diem ſequitur nox, & poſt mẽſes annus: & nihilominùs ex hoc nequit inferri, quod poſt collectionem omnium dierum, & menſium detur annus: aliàs dies non durarent infinitè à parte poſt. Sic in noſtro caſu, licèt ante quemlibet annum deſignatum dentur menſes, & dies; at ante collectionem omnium annorum nullus eſt menſis, vel dies, ſed includuntur in illa collectione.

19 Arguitur tertiò: quoniam infinitum eſt impertranſibile: ſed ſi tempus fuiſſet ab æterno, eſſet pertranſitum infinitum tempus; ſiquidem eſſet pertranſitum omne tempus præteritum, quod nunc ſupponeretur fuiſſe infinitum, vt conſtat ex dictis: ergo repugnat, quod tempus ſit ab æterno. Adde, quod infinito nequit fieri additio: conſtaret autem quibuſvis annis præteritis, poſse addi alium, & alium annum: ergo anni præteriti non valent eſse infiniti: ergo tempus nequit eſse infinitum à parte ante.

Hoc argumentum diluit D. Thom. 2. *contra Gentes capite* 38. dicens: *Infinitum, etſi non ſit ſimul in actu, poteſt eſſe in ſucceſſione; quia ſic quodlibet infinitum acceptum finitum eſt. Quælibet igitur circulatio præcedentium tranſiri potuit, quia finita fuit. In omnibus ſimul, ſi mundus ſemper fuiſſet, non eſſet accipere primum, & ita neque tranſitum, qui ſemper exigit duo extrema.* Itaque licèt infinitum tempus fuiſset præteritum; non eſſet tamen, propriè loquendo pertranſitum: quia tranſitus petit eſse ab extremo ad extremum: ſed præteritio id non expoſcit: & in tempore infinito non datur aliquod primum, à quo ſit tranſitus: vnde non poteſt pertranſiri, etſi queat eſse præteritum. Ad id, quod additur, reſpondetur ex eodem S. Doct. *loc. cit.* quod ſi tempus duraſſet ab æterno, fuiſſet infinitum à parte ante, ſecùs verò à parte poſt: cùm nunc v. g. haberet in actu vltimum ſui inſtans: quamvis autem nihil poſſit addi infinito ex ea parte, qua eſt infinitum; benè tamen ex illa, qua finitum eſt: vndè annis præteritis, licèt infinitis poſſent addi alij plures anni à parte poſt.

Sed replicabis: quia non eſt maior diſtantia ab hoc inſtanti vſque in æternum à parte poſt, quam ab eodem inſtanti vſque in æternitatem à parte ante: ſed repugnat, quod tempus à parte poſt infinitum ſit aliquando præteritum: ergo implicat, quod tempus à parte ante infinitum queat eſſe præteritum in actu: atqui quodcumque tempus fuiſſet, modo eſſet præteritum: ergo repugnat tempus infinitum à parte ante. ¶ Sed ad hoc facilè conſtat ex proximè dictis: nam tempus ab æterno durans eſſet infinitum à parte, vt ſic dicamus, anteriori; finitum verò ex parte poſteriori: è contra autem tempus durans in æternum foret finitum à parte anteriori, & infinitum ex parte poſteriori. Vnde, cum vnicuique queat præfigi principium, vel terminus ex ea parte, qua eſt finitum, mirum non eſt, quod tempus ab æterno durans licèt careat principio à parte ante, habeat terminum à parte poſt; & conſequenter queat præteriri, & dici in hoc *nunc* præteritum in actu. Tempus autem durans in æternum licèt valeat incipere; caret tamen termino, & fine: quocirca nunquam poteſt verificari quod eſt adæquatè præteritum.

20 Arguitur quartò: quia ſol v. g. nequit ab æterno moueri: ergo motus non poteſt eſſe ab æterno. Probatur antecedens: nam cuicumque corpori determinato debetur determinatus locus: ergo ſol, cùm ſit determinatum corpus, produceretur ab æterno, in loco determinato: ſed in quocumque loco ſol produceretur ab æterno, fuiſſet, ac quieſceret in eo ſine principio; ſiquidem fieri ab æterno ſub aliqua diſpoſitione eſt ſemper fuiſſe ſub illa: ergo ſol non potuit moueri ab æterno. ¶ Confirmatur: quoniam ſi ſol moueretur ab æterno, illius reuolutio conſumeret, & non conſumeret infinitum tempus: conſumeret quidem, quia eſſet æterna: & non conſumeret, quia motus ſolis, ſolùm cauſat de facto tempus viginti quatuor horarum, vt ex ſe liquet; conſequens inuoluit contradictionem: ergo motus ſolis non potuit eſſe ab æterno.

Reſpondetur ad argumentum negando antecedens, cuius probatio minimè vrget: quia licèt ſoli debeatur determinatus locus, ſuper quem reuoluatur, ab Oriente v. g. in Occidentem; potuit tamen produci ſub motu continuo, & conſequenter moueri ab æterno. Vndè quamvis quælibet ſolis præſentia ſingillatim accepta correſponderet determinatè, vel noſtro hemiſphærio, vel oppoſito; nihilominùs ſub nulla præſentia determinata ſol fuiſset productus; ſed ante quamlibet præſentiam determinatam eſſet deſignabilis alia, & alia vſque in infinitum. Per quod patet ad confirmationem; nam ſolùm conuincit, nullam particularem ſolis reuolutionem poſse eſse infinitam, vel ab æterno; minimè verò, quod collectio reuolutionum non ſit ab æterno: & hoc poſteriùs ſufficit ad ſaluandam veritatem noſtræ aſſertionis.

21 Arguitur quintò: nam motus localis eſt poſterior duratione, quam mobile: ſed quod ſupponit aliud prius durans, nequit eſse ab æterno, vt ex ſe conſtat: ergo non potuit dari ab æterno motus localis. Antecedens ſuadetur, quoniam mobile v. g. cœlum, cùm ſit res permanens, debet incipere intrinſecè in inſtanti; motus autem ob ſuam ſucceſsionem nequit coëxiſtere inſtanti: & ideo cùm verificatur: *Nunc eſt mobile*, ſolùm verificatur: *Nunc non eſt motus, ſed immediatè poſt erit*: ergo motus localis eſt poſterior duratione, quam mobile.

Reſpondetur, quod licèt motus localis incipiens in tempore ſit poſterior quam mobile: ille tamen, qui fuiſſet ab æterno productus, nõ ſequeretur ad mobile, ſed ei in duratione coëxiſteret. Nec probatio in contrarium vrget: tùm qui non repugnat, quod res permanens producatur, Deo ita diſponente, per coëxiſtentiam ad motum, & tempus, vt ſupra oſtendimus *diſp.* 24. *q.* 4. Tùm etiam, quia ille modus incipiendi relatus in argumento eſt proprium rerum habentium principium ſuæ durationis: vnde nequit ex eo deſumi argumentum ad mobile, & motum, quę ſupponimus ab æterno produci. Quamobrem aſſerendum eſt, quod ſicut mobile ab æterno productum non habet aliquod inſtans initiatiuum ſui; ſed fuit ante quodlibet inſtans deſignabile: ita etiam motus æternus à nullo inſtanti determinato inciperet extrinſecè, ſed antecederet quodcumque inſtans deſignatum. Hunc enim incipiendi modum expoſcit, tùm motus æternus, tùm res permanens, quæ ab æterno produceretur ſub motu. Vnde licèt mobile v.g. cęlum præiret duratione quamlibet reuolutionem deſignatam, non tamen omnes collectiuè ſumptas.

22 Arguitur ſextò: quoniam ſaltem motus localis rectus non poteſt eſſe ab æterno: ergo nequit vniuerſaliter ſaluari, quod motus potuerit eſse ab æterno. Suadetur antecedens: nam motus rectus neceſsariò eſt inter duos terminos finitos; repugnat enim ſpatium infinitum, quod motu recto percurratur: ergo omnis motus rectus eſt finitus, & conſequenter non valet eſse æternus. ¶ Con-

Digitized by Google

¶ Confirmatur: quia ſi motus augmentationis, & alterationis eſsent ab æterno, & conſequenter infiniti, producerent quantitatem infinitè extenſam, & qualitatem infinitè intenſam: conſequens eſt impoſſibile, vt conſtat *ex ſupra dictis diſp.* 18. ergo repugnat, quod augmentatio, & alteratio ſint ab æterno.

Reſpondetur, argumentum, & confirmationem præciſè concludere, quod non poſſit dari ab æterno vnus motus, vel localis rectus, vel augmentationis, vel alterationis, qui ſit vnus ſimpliciter, & per continuationẽ: quod libenter admittimus. Hoc autem veritatem noſtræ aſsertionis minimè labefactat: ſaluatur enim indemnis per hoc, quod prædicti motus habeant vnitatem per aggregationem; quatenùs ante quemlibet v.g. motum localem rectum fuiſset alius, & alius vſque in infinitum ſine principio: nam licèt quilibet motus ſit finitus, collectio tamen omnium motuum ſibi mutuò ſuccedentium foret proculdubio infinita. Quæ ſolutio illuſtrari poteſt exemplo motus infiniti à parte poſt: quamvis enim repugnet, quod vnus motus rectus duret in æternum; nihilominus non implicat, quod collectio motuum rectorum ſit à parte poſt æterna: cùm dato quolibet motu recto, queat dari alius, & alius ſine vltimo. Sic proportionabiliter in motu æterno à parte ante philoſophãdum eſt.

23 Vltimò arguitur: quia ſi tempus fuiſset ab æterno præteriti fuiſsent infiniti anni, in quorum quolibet potuiſset Deus producere vnum Angelum: ergo cùm Angeli ſint immortales, forent nunc exiſtentes infiniti Angeli in actu: conſequens implicat contradictionem; ergo repugnat, quod tempus ſit ab æterno.

Hoc argumentum vrget eodem modo in tempore imaginario, quod ab æterno fluxit; poſset enim Deus in quolibet anno imaginario vnum Angelum producere: vnde ab omnibus ſoluendum eſt. Reſpondetur igitur, poſse quidem Deum in ſingulis annis ſingulos Angelos producere: at non poſse illos conſeruare ſimul: ſed ſi vellet in ſingulis annis vnum Angelum creare, deberet etiam in ſingulis annis annihilare vnum ex jam productis. Cuius rei non eſt quærenda alia ratio, niſi impoſſibilitas infiniti, quod in nulla linea poteſt dari in actu. Et certè nullæ Deo vires accreſcunt ex duratione: vnde ſi dato tempore infinito, poſset tunc conſeruare Angelos infinitos in actu, poſset pariter in ſpatio vnius horæ omnes illos producere, & conſeruare. Repugnantia ergo ad infinitos Angelos in actu, non in Deum, neque in durationem; ſed in ipſam infinitatem reuocanda eſt.

QVÆSTIO V.

Vtrum generationes, & corruptiones ſubſtantiales potuerint per diuinam potentiam eſſe ab æterno?

AD perfectiorem intelligentiam eorũ, quæ hactenùs diximus, oportuit præſentem difficultatem ſpecialiter diſcutere ob aliqua argumenta ſolutione digna. Nomine autem generationum, & corruptionum intelligimus prædictas mutationes naturali modo factas, hoc eſt, media alteratione, & diſpoſitionibus naturalibus, ita vt quodlibet indiuiduum per generationem productum, tandiu duraſſet, quandiu eius natura poſtulat.

§. I.

Eligitur pars affirmatiua.

24 DIcendum eſt, non implicare, quod generationes, & corruptiones ſubſtantiales fuerint ab æterno. Hæc eſt D. Thom. *locis ſupra citatis, num.* 14. & admittitur ab eius diſcipulis, quos dedimus ibidem.

Fundamentum eſt: quia generatio, & corruptio ſubſtantialis ſunt terminus alterationis, per quam vltimò diſponitur materia ad introductionem vnius formæ, & expulſionem alterius: ſed, vt oſtendimus *quæſt. præced.* non implicat, quod alterationes ſint ab æterno, quatenùs ante quamlibet alterationem determinatam poteſt dari alia, & alia vſque in infinitum à parte ante: ergo pariter non repugnat, quod generationes, & corruptiones ſubſtantiales ſint ab æterno, ita videlicet, quod ante quamcumque deſignatam generationem ſit alia, & alia, quin valeat deſignari prima. ¶ Confirmatur: nam per vnamquamque cœli circulationem poteſt aliquid generari; cùm motus cœli ordinetur ad generationem rerum inferiorum: ſed circulationes cœli potuerunt eſſe ab æterno: ergo & generationes ſubſtantiales.

Quæ explicari, & illuſtrari poſſunt exemplo æternitatis à parte poſt: etenim vt ſucceſſio generationum poſſit durare in æternum, vt oſtendimus *quæſt.* 2. non requiritur, quod aliqua particularis generatio, vel corruptio ſit æterna; ſed ſufficit, quod poſt quamlibet generationem detur aliqua corruptio, & poſt quamlibet corruptionem detur aliqua generatio, quin poſſimus deſignare vltimam generationem, aut corruptionem: quia non datur. Sic igitur, vt ſucceſſio generationum, & corruptionum queat durare ab æterno, non oportet, quod aliqua particularis generatio ſit æterna; ſed requiritur, & ſufficit, quod ante quamlibet generationem ſit aliqua corruptio, & ante quamlibet corruptionem ſit aliqua generatio, quin valeat deſignari prima generatio, aut corruptio: quoniam ſicut in infinito à parte poſt non datur vltimum, ſic in infinito à parte ante non datur primum. Nulla autem apparet maior repugnantia in hoc, quod ante quamlibet generationem detur alia, & alia vſque in infinitum; quam in eo, quod poſt quamlibet generationem detur alia, & alia vſque in infinitum: Vnde ſi generationes ſubſtantiales naturali modo factæ queunt durare in æternum; pariter potuerunt ab æterno durare.

25 Hic tamen animaduerte, ſtatutam aſſertionem indefinitam eſſe, neque extendendam fore ad generationem humanam: in hac quippè aliter philoſophandum eſt. Cùm enim anima rationalis ſuæ naturæ relicta ſit immortalis; ſi infinitæ hominum generationes modo naturali factæ præceſſiſſent, neceſſariò ſequeretur dari infinitas animas in actu: quod repugnat. Vndè aſſerendũ eſt, quod propagatio ſpeciei humanæ non potuit eſſe ab æterno ſecundum prouidentiam ordinariam. Attenta verò diuina potentia, nulla eſt contradictio in eo, quod generationes humanæ ab æterno fuerint: potuit enim Deus ita in creatione animarum procedere, vt quoties vnam produceret, toties aliam ex iam productis annihilaret: vnde non ſequeretur dari infinitum in actu. Sed quidquid ſit de hac particulari generatione, veritas noſtræ aſſertionis, quæ indefinita eſt, ſaluatur in omnibus aliis.

Digitized by Google

§. II.

Refertur contraria ſententia.

16 NEgatiuam partem defendunt omnes Auctores ſupra relati *num.* 16. quam probant primò: nam vt generationes eſſent ab æterno; deberent eſſe infinitæ, vt ex ſe patet: ſed repugnat, quod generationes ſint infinitæ: ergo, & quod ſint ab æterno. Probatur minor: quia multitudo clauſa terminis nequit eſſe infinita: ſed omnis multitudo generationum v. g. leonum clauderetur terminis; ſiquidem à leone vltimò genito deueniendum eſſet ad primum leonem, quem Deus produxit: ergo repugnat, quod collectio generationum ſit infinita. Explicatur ampliùs; quia vbi eſt prima, & vltima generatio, nequit collectio generationum eſſe infinita: ſed in caſu quæſtionis daretur vltima generatio, vt ex ſe conſtat; & etiam prima generatio: ea nempè, quæ procederet immediatè à leone, & leæna productis à Deo per creationem: ergo collectio generationum leonum non valet eſſe infinita. Quæ difficultas æquè vrget in omnibus aliis generationibus.

Reſpondetur negando minorem, & ad probationem reſpondemus, quod licèt infinitum careat termino intrinſeco, queit tamen habere aliquem terminum extrinſecum, ad quem non perueniat; ſed ſiſtat citra ipſum, quaſi negatiuè, vt ſupra diximus *diſput.* 18. *num.* 37. Leo autem per creationem productus non ſpectat intrinſecè ad collectionem leonum productorum per generationem: & ideo non dicit ordinem ad aliquem ex illis leonibus, tanquam ad ſecundum, neque ipſe habet rationem primi reſpectu illius collectionis. Vndè non prohibetur illa collectio eſſe infinita: quia etſi extrinſecè terminetur per leonem creatum; nihilominus ex leonibus genitis nullus eſt primus: ſed ante quemlibet deſignatum eſſet priùs alius genitus, & ante hunc alter, & ſic in infinitum. Per quod patet ad illam argumenti explicationem: quoniam licèt leones procederent immediatè à leone, & leæna productis à Deo per creationem, ſi ly *immediatè* cadat ſupra cauſam proximam, & excludat alias cauſas; ſecus verò, ſi deſignet, aliquem leonem determinatum eſſe primum, ac immediatum effectum, & primogenitum. Sic enim nullus leo procedit immediatè ab illis, & negandum eſt ſuppoſitum: nam ante generationem cuiuſcumque leonis eſt alia, & alia cæterorum generatio, quin ſit peruenire ad primam, quia non datur.

17 Deinde ſuadetur hæc ſententia: quoniam generatio modo naturali facta eſt terminus præcedentis alterationis, & ad illam ſubſequitur duratione: ergo repugnat generationem modo naturali factam eſſe ab æterno. Ex quo etiam videtur concludi, quod collectio omnium generationum nequeat eſſe æterna à parte ante: nam ſicut ſe habet particularis generatio ad particularem alterationem, ſic ſe habet collectio omnium generationum ad collectionem omnium alterationum: ergo collectio omnium generationum ſupponit alterationem; & conſequenter nequit eſſe æterna.

Solutio huius argumenti ſatis apparet ex dictis *quæſtione præcedenti*, ſolùm enim conuincit, quod nulla particularis, & deſignata generatio potuit eſſe ab æterno; ex quo tamen non rectè infertur, quod collectio omnium generationum nequeat ab æterno durare. Et ratio eſt: quoniam licèt quælibet generatio deſignata ſupponat alterationem; collectio tamen generationum infinitarum nullam alterationem ſupponit, ſed infinitas alterationes includit. Nam quemadmodum ante quamlibet generationem eſſet alteratio: ita ante quamlibet alterationem eſſet generatio, vnde ſeries omnium generationum ſimul ſumptarum non ſupponeret ſeriem omnium alterationum; neque è conuerſo. Quod explicatur exemplo æternitatis à parte poſt: etenim non eſt neceſſarium, quod poſt omnes alterationes ſimul ſumptas ſequatur aliqua generatio; aliàs collectio omnium alterationum non poſſet durare in æternum: ergo pariter non requiritur, quod ante omnes generationes ſimul acceptas detur aliqua alteratio; ſed ante quamcumque alterationem deſignabilem poteſt dari alia, & alia generatio vſque in infinitum à parte ante.

18 Vltimò arguitur: quoniam in cauſis ſubordinatis nequit dari proceſſus in infinitum ex Ariſtot. 2. *Metaph. textu* 5. ſed ſi præceſſiſſent infinitæ generationes verbi gratia leonum, præceſſiſſent infiniti leones habentes inter ſe ſubordinationem per modum generantis, & generati; cauſæ, & effectus; ſiquidem nullus eſſet leo, ante quem non eſſet alius leo generans: ergo repugnat generationes eſſe infinitas, & ab æterno.

Reſpondetur ex D. Thom. 2. *contra Gentes, cap.* 38. *& prima parte quæſtione* 46. *articulo ſecundo*, quod proceſſus in infinitum ſolùm repugnat in cauſis per ſe ſubordinatis, nempè quarum vna non mouet, niſi dependenter ab actuali influxu alterius; vti in generatione hominis ſe habent homo, cœlum, & Deus. Si enim iſtæ cauſæ eſſent infinitæ, nulla eſſet prima, & conſequenter nulla eſſet: à qua primò inciperet motus in actu, ac proinde nulla moueret. Cauſæ autem per accidens ſubordinatæ, id eſt, quarum vna in influendo non dependet ab actuali influxu alterius; licèt eam aliàs per accidens ſupponat, queunt in infinitum multiplicari; cùm in hoc nulla ſit deſignabilis repugnantia. Et hanc dumtaxat poſteriorem ſubordinationem ſeruarent infiniti leones, ſi eorum generatio fuiſset ab æterno: quia per accidens eſt reſpectu huius leonis generantis, quod præceſſerint alij infiniti leones: accidit quippè illi, in quantum generat, eſse genitum ab alio, & eodem modo generaret, etiam ſi nullum leonem ſupponeret.

QVÆSTIO VI.

Quomodo ex motu deueniamus in notitiam vnius primi motoris.

EX ijs, quæ in toto hoc opere dicta ſunt, aſſurgit mens ad cognitionem vnius primæ cauſæ, & perfectionum illius. In quo, quamvis intellectus placidè conquieſceret, non multum indulgebimus calamo: quia non poteſt hæc materia pro dignitate in præſentiarum verſari; ſed illuſtrior, ac diffuſior eius contemplatio ſpectat ad Theologos. Vnde ſolùm colligere ſtudebimus ea, quæ faciliora intellectu ſunt, & vt coronidem ſui laboris appoſuit Ariſtoteles toti operi.

19 Dicendum eſt, quod ex motu rectè colligitur dari vnicum primum motorem. Sic docent Ariſtot. & D. Thom. *in hoc libro* 8. *text.* 28. & communiter omnes Philoſophi, & Theologi. Ratio eſt: quia omne, quod mouetur, ab alio mouetur, vt ſtatuimus *diſputatione* 16. *numero primo*, ſed in cauſis per ſe ſubordinatis non poteſt procedi in infinitum, vt diximus numero præcedenti: ergo neceſſariò deueniendum eſt ad vnum primum motorem, à quo omnia moueantur, & ſint.

Hinc ſequitur primò, hunc primum motorem eſſe omnino immobilem. Quoniam primus motor non poteſt moueri ab alio: aliàs iam non eſſet primus motor; ſed ad alium priorem motorem recurrendum foret, & ſic

ſic in infinitum. Deinde nequit moueri à ſe, tùm quia omne, quod mouetur, ab alio mouetur: tùm quia primus motor non conſtat ex partibus componentibus, quarum vna ſit per ſe mouens, & alia per ſe mota: nam cùm partes ſint priores, quam totum, iam primus motor non eſset primum ens, & conſequenter nec primus motor: quæ eſt manifeſta implicatio.

Infertur ſecundò, primum motorem eſse actum purum, & æternum. Nam vnumquodque eſt mobile, ſecundum quod eſt in potentia: ſed primus motor eſt omninò immobilis: ergo nihil potentialitatis habet, ſed eſt puriſſimus actus. Porrò vbi eſt omnimoda immutabilitas, nequit eſse indifferentia, & potentia ad eſse, & non eſse: at primus motor eſt omnis potentialitatis, ac immutabilitatis expers, vt iam oſtenſum eſt: ergo nullam indifferentiam habet ad eſse, & non eſse, ſed neceſsariò habet eſse, & conſequenter eſt æternus; cùm æternitas nihil aliud re ipſa ſit quam infinita, & neceſsaria duratio.

Infertur tertiò, primum motorem eſse infinitè perfectum. Quia perfectio rei non limitatur, niſi ex ſuis cauſis: ſed primus motor nullam habet cauſam ſui, vt oſtenſum eſt, & liquet ex terminis: ergo illius perfectio eſt illimitata. Deinde id, quod mouet aliud ad aliquam perfectionem, priùs habet in ſe talem perfectionem; cùm vnumquodque agat, ſecundum quod eſt in actu: ſed primus motor mouet omnia mobilia ad ſuas perfectiones: ergo habet in ſe omnes perfectiones poſſibiles. Ad hæc: actus non finitur, niſi per potentiam receptiuam: ſed primus motor eſt actus irreceptibilis: ergo eſt actus infinitus: conſtat autem, quod actus ex ſuo conceptu dicit perfectionem: ergo primus motor eſt infinitè perfectus.

Infertur quartò, primum motorem habere virtutem actiuam infinitam. Virtus enim agendi conſequitur eſſentiam rei, & illi proportionatur; ſiquidem vnumquodque agit ſecundum modum, quo eſt: ſed primus motor eſt infinitè perfectus: ergo habet virtutem actiuam infinitam. Præterea, ſicut vnumquodque recipit, quatenùs eſt in potentia; ſic agit, ſecundum quod eſt in actu: ſed primus motor habet ſummam actualitatem; cùm nihil potentialitatis includat: ergo habet ſummam vim ad agendum.

Infertur quintò, primum motorem eſſe vbique. Quia mouens debet eſſe coniunctum mobili, vt oſtendimus *diſp. 26. num. 14.* ſed primus motor mouet omnia: ergo eſt coniunctus omnibus mobilibus: ergo eſt vbique: Maximè cùm primum mouens agat immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti, eò quod in illo virtus, & ſuppoſitum non diſtinguuntur.

Infertur ſextò, primum motorem habere intellectũ. Tùm quia primus motor non mouetur ab alio in finem; aliàs iam non eſſet motor primus: ſed ipſe mouet ſe in finem, & cuncta dirigit in proprios fines, tanquam motor vniuerſalis: ad hoc autem requiritur cognitio finis, & eorum, quæ ſunt ad finem: ergo primus motor eſt cognoſcitiuus. Tùm etiam, quia primus motor mouet creaturas ad intelligendum: ergo nequit non habere hanc perfectionem. Tùm præterea, quia immaterialitas, ſeu puritas à materia eſt radix intellectualitatis: ſed primus motor hoc ipſo, quod ſit actus purus, nequit non eſſe ſummè immaterialis: ergo debet eſſe ſummè cognoſcitiuus. ¶ Ex quo etiam deducitur, quod habet voluntatem: tùm quia voluntas ſequitur ad intellectum. Tùm quia hoc ipſo, quod primus motor cognoſcat propriam bonitatem, neceſſariò ſe ipſum diliget; cùm ſummum bonum perfectè cognitum neceſſitet voluntatem ad amorem. Tùm denique, quia primus motor, vtpote intelligens, influet per intellectum: hic autem non mouet, niſi media voluntate: ergo primus motor habet voluntatem. Porrò intellectio, & volitio primi motoris eſt realiter idem cum illo: ſi enim intelligeret, & vellet per intellectionem, & volitionem à ſe diſtinctas, & ſibi de nouo aduenientes, mutaretur realiter per illas, & faceret compoſitionem cum eis: hoc autem repugnat primo motori, qui eſt omnino immutabilis, & actus purus: ergo primus motor, non ſolùm eſt intelligens, & volens; ſed eſt ipſa intellectio, & volitio.

Vltimò infertur, primum motorem eſſe obiectum primarium ſuæ intellectionis, & volitionis; intelligere autem, & diligere alia à ſe, vt obiectum ſecundarium. Ratio eſt: quoniam eſſentia non ducit directè, & primariò, niſi in cognitionem eius, cuius eſt eſſentia: ſed primus motor intelligit ſe ipſum per ſuam eſſentiam, & non per aliquam ſpeciem ſuperadditam: ergo intelligit ſe ipſum, tanquam obiectum primarium. Et cùm idem realiter ſit obiectum per ſe primò intellectus, & voluntatis; planè ſequitur, quod primus motor ſeipſum tanquam obiectum primarium diligat. Cognoſcens autem comprehenſiuè aliquam cauſam eo ipſo attingit, ſaltem tanquam obiectum ſecundarium omnes effectus in illa contentos: ſed primus motor continet in ſe ipſo omnia poſſibilia: ergo cognoſcens ſe ipſum, ſicut obiectum primarium attingit omnia alia à ſe tanquam obiectum ſecundarium. Spectat verò ad perfectionem ſummam primi motoris, vt omnia pro meritis diligat: at creaturæ, vtpote habentes bonitatem finitam, & pluribus imperfectionibus permixtam, non ſunt dignæ amore neceſſario: ergo primus motor non diligit neceſſariò creaturas, ſed liberè, ita videlicet, quod poſſit eas non diligere.

Et hæc ſufficiat Philoſopho attigiſse ductu motus de ſummo, ac primo motore, qui eſt Deus O. M. in cuius gloriam cedant, quæ hactenus dicta ſunt. Sint etiam in honorem B. Mariæ Virginis de monte Carmeli, & Sanctiſſimi Doctoris, ac Doctoris noſtri D. Thomæ, cuius mentem aſsequi fideliter ſtuduimus; & cuius interceſſionibus hùc perueniſse credimus, & ad alia progredi feliciter ſperamus. Si autem aliquid ab eius mente alienum huic operi irrepſerit; illud ſæpiſſimè retractamus, & tanquam à nobis alienum reijcimus.

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM:

In quo littera D. diſputationem, littera N. numerum marginalem, col. Columnam; vltimus verò numerus paginam deſignat.

A

ABSTRACTIO.

ABSTRACTIO à materia ſingulari *ſub qua* generica Philoſophiæ d. 1. n. 6. col. 1. Pag. 3

Accidens.

Accidens connaturale per eandem actionem fit, ac ſubjectum d. 4. n. 19. col. 2. 28
Quid de aliis accidentibus n. 20. ibid.
Quare accidens poſſit reſpicere proximè inexiſtentiam, & operationem, ſecus verò ſubſtantia? d. 10. num. 9. col. 1. 65
Accidens concurrit effectiuè ad productionem ſubſtantiæ, num. 13. col. 2. 66
Non principaliter, ſed inſtrumentaliter, num. 14. ibid.
Non adæquat ſubſtantiam, nec in eſſe entis, nec in eſſe producibilis, n. 15. col. 1. 67
Per quid eleuatur ad eam producendam? n. 18. col. 1. 68
Accidentia Euchariſtiæ in cuius virtute agunt, num. 20. col. 2. ibid.

Accidens.

Accidens vt operetur in virtute ſubſtantiæ, non indiget ſpeciali influxu ab ea immediatè prouenientе, n. 23. col. 2. 69
Vnum accidens qualiter poſſit eſſe cauſa principalis alterius, n. 40. col. 1. 75
Accidens ſpirituale eſt duplex: aliud permanens, aliud tranſiens, d. 12. n. 7. col. 2. 84
Quod eorum poſſit recipi in ſubiecto corporeo? ibid.

Actio.

Actio an ſemper terminetur ad communicandam exiſtentiam? d. 3. n. 24. col. 1. 17
An ſit cauſalitas agentis? d. 10. n. 44. col. 1. 76
Diſtinguitur realiter à paſſione, & motu, d. 17. num. 9. col. 1. 113
Qualis ſit hæc diſtinctio? num. 11. col. 2. ibid.
Subiectum illius non eſt agens, ſed paſſum, num. 15. col. 2. 114
Ad eam non datur per ſe motus, d. 22. n. 11. col. 2. 159

Æternitas.

Æternitas eſt menſura diuini *eſſe*, d. 21. n. 3. col. 1. 145
Diſtinguitur virtualiter ab eſſẽtia diuina, n. 14. col. 2. 147
Per quid diſtinguatur à tempore? num. 28. col. 1. 151
Per quid ab æuo? ibid.

Æuum.

Æuum diſtinguitur eſſentialiter à tempore, & æternitate, d. 21. n. 26. col. 2. 150
Per quid? n. 28. col. 1. 151
Petit concurſum Dei ad menſurandum, & quomodo? n. 29. col. 2. ibid.
Non eſt duratio infinita, n. 30. col. 1. 152
Qua gaudeat indiuiſibilitate? ibid.
Reſpectu quorum exerceat rationem menſuræ? num. 32. col. 2. ibid.

Angelus.

Angelus æquiuocè eſt in loco, d. 1. n. 1. col. 1. 2
Etiam ſi exiſterent infiniti Angeli de facto, nullus eorum eſſet ſimpliciter infinitus, d. 18. n. 18. col. 2. 121
Eius inceptio poteſt eſſe in tempore, d. 24. n. 18. col. 1. 175

Anima.

Anima ſeparata habet appetitum ad reunionem, d. 3. n. 39. col. 2. 20
Qualiter iſte ſit naturalis? ibid.
Anima non educitur de potentia materiæ, d. 4. num. 6. col. 2. 24
Non dependet ab illa, n. 10. col. 1. 25
In reſurrectione informabit eandem formaliter materiã, ac in vita, d. 6. n. 7. col. 1. 35
Conuenit illi definitio naturæ nõ ſolùm ſecundum quod eſt ſenſitiua, ſed etiam prout rationalis, d. 7. num. 22. col. 2. 47
Quid de ſtatu ſeparationis? n. 24. ibid.

Appetitus.

Appetitus eſt duplex, innatus, & elicitus, d. 3. n. 32. col. 1. 20
Appetitus materiæ primæ. Vide *Materia.*

Ars.

Ars non poteſt per ſe efficere opera naturæ, d. 7. n. 32. col. 1. 50
Qualiter ad ea concurrat? num. 33. ibid.

Axioma.

Axioma *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis* qualiter intelligi debeat? d. 3. n. 41. col. 1. 22
Axioma *Natura eſt determinata ad vnum* explicatur, d. 7. n. 27. col. 2. 48
Veritas illius axiomatis: *Quod eſt cauſa cauſa, eſt cauſa cauſati*, expenditur, d. 15. n. 9. col. 2. 99

B

Bonitas.

BOnitas eſt ratio formalis conſtitutiua finis in ratione mouentis, d. 14. n. 7. col. 1. 93
Non autem apprehenſio, n. 9. col. 2. ibid.
Qualiter iſta ſe habet ad bonitatem? num. 10. ibid.

C

Calor.

CAlor ferri candentis non producit ſubſtantiam principaliter, ſed inſtrumentaliter, d. 10. n. 20. col. 2. 68
In cuius virtute agat? ibi.

Cauſa.

Cauſa creata non poteſt realiter identificari cum ſua cauſalitate, d. 6. n. 11. col. 2. 36
Eius definitio, d. 8. n. 1. col. 1. 51
Eius diuiſio, n. 4. col. 1. 52
Omnis cauſa eſt prior in ſuo genere effectu, num. 6. & 7. col. 1. 53
Non prioritate *In quo*, ſed *à quo*. ibid.
Cauſa non conſtituitur in ratione cauſæ per relationem ad effectum, n. 8. col. 1. ibid.
Quando excedat effectum in perfectione? à n. 12. col. 1. 54
Cauſa principalis non excludit concurſum alterius, d. 11.

Digitized by Google

11, num. 2. col. 2. 77

Cauſa.

Cauſa ſecunda agit, vt mota, & præmota à prima, d. 11. num. 4. col. 1. 78
Si non præmoueretur à Deo, eſſet primum mouens, n. 9. col. 2. 79
Deus non eſſet cauſa prima, nec Deus, ibidē, & deinceps.

Cauſa.

Cauſæ extrinſecæ antecellunt intrinſecas perfectione, d. 15. n. 5. col. 2. 98
Cauſæ adinuicem ſunt cauſæ n. 7. col. 1. 99

Cauſa efficiens.

Cauſa efficiens, an debeat excedere effectum in perfectione? d. 8. n. 15. & deinceps. col. 1. 55
Eius definitio d. 10. n. 1. col. 1. 62
Eius diuiſio, n. 4. col. 1. 63
Exceditur cauſa efficiens à finali, d. 15. n. 2. col. 2. 97
Sed antecedit materialem, & formalem, n. 5. col. 2. 98
Etiam eſt prior illis, n. 9. col. 2. & deinceps. 99

Cauſa finalis.

Cauſa finalis eſt perfectior ſuo effectu, d. 8. n. 20. col. 1. 56
Superat efficientem, d. 15. n. 2. col. 2. 97
Eſt prior abſolutè omnibus cauſis, num. 9. & deinceps. col. 2. 99

Cauſa formalis.

Cauſa formalis poteſt realiter diſtingui à ſua cauſalitate, d. 6. n. 10. & deinceps. col. 1. 36
Quæ autem ſit eius cauſalitas? Vide *Vnio*.
Per quod conſtituatur potens ad cauſandum d. 9. num. 1. col. 1. 56
Quare non recipiatur in accidentibus ad ipſam diſponentibus? col. 2. ibid.
Eius effectus primarius. Vide *Compoſitum*.
Superat perfectione materiam, d. 15. n. 1. col. 1. 97
Vide *Forma*.

Cauſa materialis.

Cauſa materialis diſtinguitur realiter à ſua cauſalitate, d. 6. à n. 11. col. 2. 36
Eius virtus cauſatiua non eſt aliquid à ſe diſtinctum, d. 9. n. 1. col. 1. 56
Ipſius cauſalitas. Vide *Vnio*.
Eius effectus primarius. Vide *Compoſitum*.
Eſt imperfectior formali, d. 15. n. 1. col. 1. 97
Vide plura Verbo *Materia*.

Cœlum.

Cœlum eſt verum ens naturale, d. 7. n. 15. col. 2. 45
Non eſt viuens. ibid.
Nec actiuè ſe mouet. ibid.
Eius forma eſt verè natura. ibid.
Motus cœlorum quandiu permanebit, n. 21. col. 1. 47
Formæ cœlorum, an educantur de potentia materiæ, Vide *Forma*.

Cognitio.

Cognitio, an ſit ratio formalis mouens voluntatem? Vide *Bonitas*.

Compoſitum.

Compoſitum fit vt Quod, non autem partes, d. 2. nu. 3. col. 1. 7
Non diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, d. 6. n. 21. col. 1. 40
Non eſt natura, d. 7. n. 10. col. 2. 44
Eſt effectus primarius formæ ſubſtantialis, d. 9. num. 4. col. 1. 58
Etiam materiæ primæ, ibid.
Diſtinguitur realiter à qualibet illarum, n. 5. col. 2. ibid.
Vbi an id, quod recipit materia, ſit ab ipſa realiter diſtinctum, nec ne? ibid.

Conſeruatio.

Conſeruatio materiæ, quæ actio ſit, d. 4. n. 16. col. 1. 27
Quis ordo intercedat inter productionem, & conſeruationem Angeli, d. 21. n. 32. col. 2. 151

Continuum.

In continuo dantur indiuiſibilia, d. 23. n. 1. col. 1. 163
Sunt aliquid reale. ibid.
Non componitur ex illis, num. 7. col. 1. 165
Habet partes aliquotas, & proportionales, à n. 16. vſque ad 20. & deinceps. col. 2. 167
An ſint infinitæ? n. 20. col. 2. 168

Corruptio.

Corruptio quid exigat? d. 3. num. 22. col. 2. 16
Potuit eſſe ab æterno, d. 27. n. 24. col. 2. 193

Creatura.

Creatura non poteſt eſſe infinita ſecundum eſſentiam, d. 18. n. 8. col. 1. 119
Neceſſariò conſtat genere, & differentia. ibid.
Quacumque data, poteſt Deus perfectiorem, & perfectiorem producere ſine termino, n. 15. col. 2. 120
Creatura permanens potuit eſſe ab æterno, d. 27. num. 8. col. 2. 188
Quid de Succeſſiuis. Vide *Motus*.

D

Definitio.

Definitio Philoſophiæ, d. 1. n. 1. col. 1. 2
Definitio principiorum entis naturalis, d. 2. n. 1. col. 1. 6
Definitio naturæ, d. 7. n. 1. col. 1. 42
Definitio ideæ, d. 9. n. 8. col. 1. 60
Definitio cauſæ finalis. Vide *Finis*.
Definitio cauſæ efficientis, d. 10. n. 1. col. 1. 62
Vide plura ſuis verbis.

Deus.

Deus quare non cadat ſub conſideratione philoſophiæ d. 7. n. 19. col. 2. 46
Eodem actu attingit ſeipſum, & creaturas; iſtas effectiuè, ſe autem affectiuè, d. 10. n. 8. col. 2. 64
Quid ſuppleat in accidentibus Euchariſtiæ in ordine ad operandum? n. 26. col. 2. 70
Eius concurſus ſimultaneus eſt ſimpliciter neceſſarius ad operationem creaturæ, d. 11. n. 1. col. 1. 77
Etiam præuius, n. 4. col. 1. 78
Iſto ſublato, operaretur cæco, & ignoranti modo, & non vt cauſa ſimpliciter prima, n. 12. col. 1. 80
Non conſtat genere, & differentia, d. 18. n. 9. col. 1. 119

Duratio.

Duratio. Vide *Tempus, Æuum, Æternitas*.

E

Eductio.

Eductio quid ſit? d. 4. n. 4. & deinceps. col. 1. 24
Quid ad eam requiratur? ibid.
Ad quas formas terminetur? Vide *Forma*.

Effectus.

Effectus ſecundarius an poſſit inueniri ſine primario? d. 3. n. 27. col. 2. 18
Qualiter effectus debeat diſtingui à ſua cauſa? d. 6. n. 25. col. 1. 41
Quomodo poſſit eam excedere? d. 8. à n. 13. col. 2. 54
Effectus cauſæ ſecundæ magis dependet à Deo, quam ab ipſa, d. 11. num. 3. col. 2. 77
Idem numero effectus non poteſt ſimul procedere à duplici cauſa totali, & eiuſdem ordinis, d. 15. num. 12. col. 2. 100
Nec diuiſiuè, n. 20. col. 2. 102

Effi-

Digitized by Google

Efficiens.

Efficiens. Quæ ſit cauſalitas efficientis, d. 10. num. 44. col.1. 76

Vide plura verbo *ſubſtantia*, Verbo *Cauſa*. & Verbo *Accidens*.

Efficiens.

Efficiens duplicem coniunctionem habere poteſt cum paſſo, d.26. n.13. col.2. 183

Quam ex illis neceſſariò petat, n.14. col.1. 184

Elementa.

Elementa ſunt ſecundum ſe tota incorruptibilia, & ingenerabilia, d.4. n.16. col.2. 27

Secùs verò ſecundum partes. ibid.

Ens naturale.

Ens naturale quid ſignificet? d.1. n.1. col.1. 2

Coincidit cum ſubſtantia naturali, ibid.

Ens à quo ſumatur? d.3. n.3. col.1. 11

Ens naturale componitur ex materia, & forma, tanquam ex partibus eſſentialibus, d.6. num.1. col.1. 33

Ab eis tamen ſimul ſumptis realiter non diſtinguitur? n.21. col.1. 40

Eſſentia.

Eſſentia, & exiſtentia realiter diſtinguuntur in creatis. d.3. n.23. col.2. 16

Eſſentia præcedit exiſtentiam in genere cauſæ materialis, ibid. 17

Non eſt ante ipſam completè extra cauſas, ibid.

Concurſus eſſentiæ reſpectu paſſionum, d. 10. num. 33. col.2. 72

Exiſtentia.

Existentia est vltimus terminus intra lineam substantiæ, d.3. n.20. col.1. 16

Non potest habere rationem potentiæ, n.18. col.2. 15

Eius distinctio ab essentia, n.23. col.2. 16

Est effectus formæ substantialis, ſine qua nec diuinitus communicari potest materiæ, n.25. col. 2. 17

Producitur ab agente creato, vt ab instrumento diuinæ virtutis, d.11. n.15. col.1. 81

F

Fatum.

Fatum an ſit? & quid ſit? d. 13. num. 7. col. 2. 90

Finis.

Definitur, d.14. n.1. col.2. 91

Diuiditur, ibid.

Est vera causa realis, n.4. col.2. 92

Per quid constituatur in ratione causæ, n.7. col.1. 93

Eius causalitas, n.17. col.2. 95

Eius excessus ſupra efficientem, d.15. n.2. col.2. 97

Forma.

Forma qualiter ſit principium entis naturalis, d. 2. n.6. & deinceps. col.2. 7

Forma præexistens quare non ſit principium entis naturalis, n.10. col.2. 8

Forma cadaueris an fiat per ſe ex forma viua, num. 10. col.1. 9

Forma substantialis est actus primus corporis, d. 4. n.2. col.1. 23

Omnis forma ſubſtantialis mixtorum educitur de potentia materiæ, n.7. col.2. 24

Qualiter in illa contineatur? n.8. col.1. 25

Quid de formis coelorum? &

Quid de formis elementorum? n.11. & 13. col.2. 25, 26

Duæ formæ ſubſtantiales non poſſunt informare eandem numero materiam, n.25. col. 2. 30

Nec vna forma duas numero portiones materiæ, n. 27. col. 1. 31

Forma vnitur materiæ medio nexu ab extremis realiter diuerſo, d.6 n.9. col.2. 35

Forma habet rationem naturæ, d.7. n.11. col.1. 45

Non conuenit in tali ratione vniuocè cum materia, n.28. col.1. 49

Forma, & materia per ſuaſmet entitates ſubſtãt, habentq; in actu primo vim ad cauſandum, d.9. n.1. col.1. 56

Forma pro illo priori, in quo cauſat, nec eſt per ſe, nec in alio, d.8. n.11. col. 1. 54

Vide plura, verbo, *Cauſa formalis*.

Forma ſubſtantialis eſt terminus per ſe primò intentus à natura, d.10. n.16. col.2. 67

G

Generatio.

Generatio prout actio reſpicit agens, non verò vt mutatio, d.2. n.9. col.2. 8

Probabile eſt, eſſe actionem realiter ab alteratione diuerſam; ſed oppoſitum est verius, d.10. n.30. col.2. 71

Comprehenditur ſub definitione motus, d. 16. num. 10. col.2. 107

Potuit eſſe ab æterno, d.27. n.24. col.2. 193

Quid de generatione humana? num. 25. ibid.

Gratia.

Gratia angelorum, licèt eorum productionem comitetur, educta fuit ex potentia ſubiecti, d.4. n.17. col.1. 28

Etiam gratia aliorum iuſtorum educitur ex illorum potentia, n.23. col.2. 29

Quomodo ſit incorruptibilis, n.24. col. 1. 30

Vbi cur eius eductio dicatur in ſcriptura creatio? ibid.

Grauia.

Grauia, & leuia à quo moueantur? d.26. n.6. col.1. 182

H

Homo.

Homo ſub diuerſa ratione cadit ſub conſideratione Philoſophiæ, ac Medicinæ, d.1. n.12. col.1. 4

Qua materia reſurget? d.6. n.8. col. 1. 35

Humanitas.

Humanitas non diſtinguitur realiter à partibus ſimul ſumptis; d. 6. n.21. col.1. 40

Qua gaudeat diſtinctione? n.23. col.2. ibid.

Non eſt natura, d.7. n.10. col.2. 44

I

Idea.

Idea materiæ. Vide *Materia*.

Idea ad quod genus cauſę pertineat? d.9. n.8. col.1. 60

Eius eſſentia explicatur, d.9. n.8. ibid.

Eius diſtinctio ab effectu, n.9. col.2. ibid.

Eius influxus, n.10. ibid.

Potiſſimè ad genus cauſæ formalis reducitur, num. 12. col.1. 61

Indiuiſibilia.

Indiuiſibilia. Vide *Continuum*.

Inceptio rerum.

Inceptio rerum, quos terminos habeat? d.24. n.1. 170

Qualiter incipiant res ſucceſſiuæ? n.2. col. 1. 171

Qualiter indiuiſibilia motus? n.4. col.1. 172

Quid de quiete? n. 5. ibid.

Inceptio abſoluta accidentium n.7. col.2. ibid.

Inceptio illorum in certo gradu, n.9. col.1. 173

Inceptio ſubſtantiæ corruptibilis, n.12. col.1. 174

Inceptio ſubſtantiæ acquiſitæ per augmentationem, n.15. col.2. ibid.

Inceptio ſubſtantiæ angelicæ. n.17. col.1. 175

An poſſit ſubſtantia ſeparata, vel purè ſpiritualis incipere in tempore? n.18 col.1. ibid.

Infinitum.

Infinitum quotuplex ſit, d. 18. n.1. col.1. 117

Non poteſt dari infinitum in actu, n.2. ibid.

Nec ſecundum eſſentiam, n. 8. col.1. 119

Nec ſecundum magnitudinem, n.21. col.1. 122

Nec ſecundum multitudinem, n.24. col. 1. 123

Nec ſecundum intenſionem, n.29. col.1. 124

Digitized by Google

Qualiter vnum infinitum poteſt eſſe maius alio? n. 34. & deinceps. col. 1. 126

Inſtrumentum.

Inſtrumentum non debet eſſe eiuſdem perfectionis cum effectu, d. 10. n. 17. col. 1. 68
De ratione inſtrumenti eſt agere vt motum à cauſa principali, d. 12. n. 1. col. 1. 82
Debet neceſſariò habere actionem præuiam ad actionem principalis agentis, n. 10. col. 1. 86

Intenſio.

Intenſio frigiditatis in aqua à quo proueniat? d 10. n. 38. col. 1. 74

L

Locus.

Locus an ſit? & quid ſit? d. 19. n. 1. col. 1. 128
Diſtinguitur ab vbi, n. 2. col. 2. ibid.
Eſt omninò immobilis, n. 7. col. 1. 130
Vnde illi immobilitas proueniat? n. 8. col. 2. ibid.
Quæ ſuperficies locum conſtituat? n. 15. col. 1. 132
Superficies ſe habet per modum ſubiecti reſpectu loci, n. 17. col. 2. ibid.
Locus naturalis quid addat ſupra rationem Loci? n. 20. col. 2. 133
Omnia entia naturalia ſunt in loco, n. 23. col. 1. 134
Quid de primo mobili? n. 24. col. 2. ibid.
De eius partibus? n. 25. col. 1. 135
Poſſunt duo corpora eſſe in eodem loco ſimul, num. 31. col. 2. 136
Secus verò vnum in duobus, n. 38. col. 1. 138

M

Magnitudo.

Magnitudo duplicem ſibi vendicat terminum: *Maximum quod ſic, & Minimum quod non*, d. 25. n. 1. 176
Termini paruitatis, ibid.
Terminus non viuentium, n. 3. col. 1. 177
Terminus viuentium, Vide *Viuens*.

Materia.

Materia prima verè datur in rerum natura, d. 3. num. 1. col. 1. 10
Eſt primum ſubiectum ſubſtantiale, n. 2. col. 2. ibid.
Eſt pura potentia excludens omnem actum, etiam entitatiuum, n. 5. col. 2. 11
Cum hoc ſtat eſſe participationem actus puri, num. 7. col. 2. 12
Et eſſe actu bonam, n. 9. ibid.
Caret vnitate ſpecifica poſitiua; gaudet verò negatiua, n. 11. col. 1. 13
De vnitate eius numerica, n. 12. col. 2. ibid.
Poteſt ſucceſſiuè habere plures vnitates ſpecificas poſitiuas, n. 13. col. 1. 14
Eius conuenientia cum materia cœleſti, n. 14 col. 1. ibid.
Non habet propriam exiſtentiam? n. 18. col. 1. 15
Nec modo exiſtit per eandem, per quam exiſtebat, quandò primo fuit producta, n. 21. col. 2. 16
Ad exercendam ſuam cauſalitatem non petit exiſtere, n. 24. col. 1. 17
Nec poteſt eſſe in rerum natura ſine forma, num. 25. col. 2. ibid.
Eius idea, n. 30. col. 1. 19
Eius incorruptibilitas, n. 31. col. 2. ibid.
Quem habeat appetitum ad formam ſubſtantialem? n. 33. col. 1. 20
Et an ſit aliquid ab ea diſtinctum? n. 34. col. 1. ibid.
Quotuplex ſit prædictus appetitus? n. 35. col. 2. ibid.
Quandoq; appetit formam imperfectam præ perfectiori, n. 38. col. 1. 21
Appetit etiam corruptionem totius, col. 2. ibid.
Eſt etiam prima radix corruptionis, n. 39. col. 2. ibid.
Eius cauſalitas. Vide *Vnio*.
Quomodo ſit cauſa totius, d. 6. n. 15. col. 1. 41
Eſt verè natura, d. 7. n. 11. col. 1. 45
Qualiter motus ſit ei violentus? n. 18. col. 1. 46

Motus.

Motus violentus, d. 7. n. 18. ibid.
Differentia inter motum circularem, & rectum, num. 21. col. 1. 47
Primò incipit ab efficiente, d. 10. n. 1. col. 1. 61
Motus aquæ recuperantis frigiditatem, à quo proueniat? n. 39. col. 2. 74
Definitio motus, d. 16. n. 1. col. 1. 105
Definitum illius, n. 7. col. 1. 107
Diſtinguitur realiter à terminis *à quo, & ad quem*, n. 14. col. 2. 108
Eius ſubiectum, n. 19. col. 2. 109
Non eſt ſuperior ad actionem, & paſſionem, d. 17. n. 2. col. 1. 111
Eſt illarum ſubiectum *Quo*, n. 3. col. 2. ibid.
Realiter ab illis diſtinguitur, n. 9. col. 1. 113
An hæc diſtinctio ſit realis entitatiua? n. 11. col. 2. ibid.
A quo ſumat motus vnitatem ſpecificam? d. 22. num. 13. col. 1. 159
A quo numericam? n. 21. col. 1. 161
Vnde contrarietatem? n. 26. & 27. col. 1. 162
Idem non poteſt ſimul motibus contrariis ſubeſſe, n. 28. col. 2. ibid.
Nec poteſt ſe ipſum ſecundum ſe totum mouere, d. 26. n. 1. col. 1. 180
Motus cordis à quo proueniat? n. 4. col. 2. 181
Primus motus voluntatis, n. 5. col. 1. 182
Motus reſpirationis, n. 9 col. 1. 183
Motus potuit eſſe ab æterno, d. 27. n. 14. col. 2. 190
Ex motu vnitas primi motoris demonſtr. n. 28. col 2. 194

Mutatio.

Mutatio inſtantanea non comprehenditur ſub definitione motus, d. 16. n. 8. col. 1. 107
Eius differentia à motu, d. 22. n. 1. col. 1. 155

Mundus.

Mundus non fuit ab æterno, d. 27. n. 1. col. 1. 186
Poteſt verò in æternum durare. n. 5. col. 2. 187

N

Natura.

Natura definitur, d. 7. n. 1. col. 1. 42
Eius definitio eſt eſſentialis, n. 7. col. 1. 44
Eius conceptus eſt reſpectiuus, n. 8. ibid.
Eius terminus, ibid.
Diſtinguitur conceptus naturę à conceptu eſſentię, n. 9. col. 2. ibid.
Ratio naturę ſaluatur in concurſu paſſiuo formę, n. 14. col. 2. 45
Nec petit actualem coniunctionem cum materia, n. 24. col. 2. 47
Conceptus naturę non eſt vniuocus reſpectu materię & formę, n. 28. col. 1. 49
Natura diſtinguitur ab arte, n. 31. col. 2. ibid.

O

Obiectum.

Obiectum quam exerceat cauſalitatem reſpectu potentię, d. 8. n. 5. col. 2. 52
Obiectum Philoſophię, d. 1. n. 2. 3. col. 1. 2
Operatio ſpiritualis qualiter poſſit à corpore dependere? d. 7. n. 26. col. 1. 48
Operatio poteſt eſſe ſpecificatiuum accidentis, non autem ſubſtantiæ, d. 10. à n. 16. col. 2. 67

P

Paſſio.

Paſſio diſtinguitur realiter ab actione, & motu, d. 17. n. 9. col. 1. 113

Ad

Ad eam non datur per ſe motus, d.22.n.11. col.2. 158
Paſſiones entis an conuertantur omnes cum ente? d. 3. n.9. col.2. 12

Pars.

Pars actualis non petit neceſſariò actum, d.3.n.8.col.2. ib.
Nec etiam vnitatem ſpecificam poſitiuam, n.16.col.2. 14

Pars.

Pars elementalis an ſit corruptibilis? Vide *Elementum.*
Pars eſt duplex: *aliquota, & proportionalis*, d. 23. n. 16. col.2. 167. Vide *Continuum.*

Philoſophia.

Philoſophia quid ſignificet, d.1, Prooemial. in princ. 1
Multiplex illius acceptio, ibid.
Eius obiectum, d.1.n.2.3.4. & 5. col.1.& deinceps. 2
Eſt vera ſcientia, n. 10. col.2. 3
An ſpeculatiua? n.11. col.1. 4
Habet vnitatem atomam quoad omnes ſuas partes, n.13. col.2. ibid.
Non ſubalternatur Metaphyſicæ, n.14. ibid.
Eius finis, n.15. ibid. Eius partitio, n. 16. col.1. 5

Potentia.

Potentia obiectiua quid? d.3. n 6. col.1. 12
An ſemper debeat expleri per actum? ibid.
Potentia alia naturalis, alia obedientialis, d. 4. num. 23. col. 2. 29
Potentia operatiua ſpecificatur ab operatione, d.10. n.6. col.1. 64
Iuxta diſtinctionem operationis diſtinguitur, n.7. ibid.
Cum hoc ſtat reſpicere plures actus ſubordinatos, n. 9. col.1. 65
Potentia vitalis non poteſt ab anima ſeparari? n.29.c.1.71

Præmotio.

Præmotio efficax Dei eſt ſimpliciter neceſſaria ad operationem, & ſubordinationem creaturæ, d.11.n.4.c.1.78
Nec non ad ſaluandum in Deo rationem primi motoris, à n.7. col. 1. 79

Principium.

Principium Philoſophiæ eſt duplex: materia, & forma, d.1.n.6. col.1. 3
Principium entis naturalis triplex: materia, forma, & priuatio, d 2.n.5.col.2. 7
An requiratur influxus ad rationem principij? n.7.col.1.8
Vnio non eſt principium, n.11. col.1. 9
Nec etiam diſpoſitiones, ibid.
Principia entis naturalis ſunt prima contraria, n.12.& 13. col.2. ibid.
Ratio principij qualiter conueniat naturæ? d.7.n.1.c.1.42
Qualiter coincidat cum cauſa? n.2. col.1. 43
An ſit reſpectiua? n. 8. col. 1. 44

Priuatio.

Priuatio formæ eſt principium ipſius, d.2. n.7. col.1. 8
Non autem priuatio formæ præexiſtentis, & quare? n.8. col.2. ibid.
In ratione principij non conuenit vniuocè cum materia, & forma, d.5. n.1. col.1. 32

Proprietas.

Proprietas dimanat ab eſſentia per reſultantiam, d. 10. n.31. col.1. 72
Cum hoc ſtat eſſe principium aliquo modo effectivum, n.33. col.1. 73
Illarum dimanatio in quo conſiſtat? n.34. ibid.
Proprietates cuius ſint inſtrumenta? agentis principalis, an eſſentiæ, à qua reſultant, n.36. col.2. ibid.
Poſſunt ab eſſentia ſeparari. ibid.

Q

Qualitas.

QValitas an ſit per ſe terminus motus? d. 22. num. 6 col.2. 157

Quando.

Quando: ad illud non datur per ſe motus, d.22.num.11. col.2. 158
Vbi de aliis prædicamentis

Quantitas.

Quantitas: ad eam datur per ſe motus, d.22.n.3.c.1. 156
Quid ad hoc requiritur? n.1.& 2 col 1. 155
Quantitas Christi domini eſt in Euchariſtia indiuiſibiliter, non autem in coelo, n. 5. col.1. 157
Quies duplex alia negatiua, & alia priuatiua, d. 24. n. 5. col.1. 172. Quomodo incipiat, & deſinat. ibid.

S

Scientia.

SCientia practica, & ſpeculatiua penes diuerſos fines diſtinguuntur, d. 1. n.12. col.1. 4
Scientia media eſt impoſſibilis, d.11.n.13. col.1. 80
Ex illa ſequitur, Deũ operari cæco, & ignoranti modo, ib.

Subſtantia.

Subſtantia creata non poteſt eſſe immediatè operatiua, d.10. n.6 col.2. 63
Benè autem radicaliter, n 7. col.1. 64
Non ſpecificatur extra proprium prædicamentum, ſecus vero accidens, ibid.
Non eleuat potentias operatiuas medio influxu ad ipſas terminato n.23. col 1.69. Per quid eleuet? n.24. c.2. ib.
Subſtantia denudata ab omni accidente, quam durationem haberet, d.21. n.19. col.2. 148
Quæ ſubſtantiæ menſurentur æuo? n.27.col.1. 151
Quæ tempore? n 33 col.2. 152
Quæ æternitate? Vide *Æternitas.*
Ad ſubſtantiam nõ datur per ſe motus, d.22.n.8.c.1. 158

T

Tempus.

TEmpus an ſit? & quid ſit? d 21. n. 1.& 3. col.1. 144
Eius multiplicatio in eſſe rei, n. 4. col.1. 145
In ratione menſuræ, n.10. col.2. 146
Illius ſubiectum, n. 9. col.2 ibid.
Diſtinguitur realiter à motu, n.13. col.1. 147
Non exiſtit ratione partium, n.20. col.2. 148
Ratione cuius? ibid.
Differentia inter tempus, æuum, & æter. à n.27.c.2. 150

V

Vacuum.

VAcuum *eſt locus non repletus corpore*, d.10. init. 142
Non eſt poſſibile per vires creat. corp. n.1.c.1. ib.
Nec per vires Angeli, n 3. ibid.
Benè autem per Dei potentiam, n. 5. col.1. 143
Si daretur vacuũ, poſſet corpus per illud mou. n.6. c.1. ib.
An in inſtanti, vel in tempore? n.7. ibid.

Vbi.

Vbi ex cuius adiacentia reſultet? d.20. n.7. col.2. 143
Terminat per ſe motum, d.22. n.7. col.2. 157

Viuens.

Viuens, an habeat term. ſuæ magnit. d.25.n.2. col.2. 176
Nec non ſuæ paruitatis? n 8. col. 1. 178
De non viuentibus, n.9. col. 2. ibid.

Vnio.

Vnio eſt modus realiter diuerſus à par. d.6. n.9. col.2. 35
Eſt vnicus, & indiuiſibilis, n. 16. col.1. 38
Eſt cauſalitas illarum ad inuicem, d 9. n.2.& ſeq. col.1. 57
Vnio Verbi ad humanitatem eſt ſupern. d.6.n.13. co.1.37
Eſt ſubſtantia modalis. Quare illa non repugnet? ibid.
Vnio animæ ration. eſt corp. & non ſpiritual. 20.c.2. 39

Vnitas.

Vnitas ſpecifica, alia poſitiua, alia neg. d.3.n.11. col.1.13
Quæ vnitas ſit paſſio entis? n.15. col.2. 14

Vnitas.

Vnitas temporis. Vide *Tempus.*
Vnitas motus. Vide *Motus.*
Vnitas materiæ. Vide *Materia.*

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE

Digitized by Google